B. I.


DISCIPLINA
POPULI DEI.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISCIPLINA
POPULI DEI
IN NOVO TESTAMENTO
EX SCRIPTORIBUS
SACRIS ET PROFANIS COLLECTA
A
CLAUDIO FLEURY
PRESBYTERO ET PRIORE ARGENTOLIENSI
GALLICE SCRIPTA
HERBIPOLI
A SOCIETATIS JESU SACERDOTE LATINE REDDITA,
Nunc vero a Francisco Antonio Zaccaria ejuſdem Societatis Presbytero, atque Ateſtiorum Principum Bibliothecæ Præfecto adnotationibus, ac variorum Diſſertationibus illuſtrata.

TOMUS I.
PRIORES DUAS PARTES EXHIBENS.



VENETIIS
MDCCLXI.

Typis Antonii Zatta.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

FRANCISCI ANTONII ZACCARIÆ S. J.
IN NOVAM HANC EDITIONEM
PRÆFATIO.

TOT inter *Theſauros* Græcarum, Romanarum, Italicarum, atque Hebraicarum Antiquitatum, quos Gronovii, Grævii, Burmanni, Hugolinique induſtriæ debemus, dolui ſemper deſiderari etiamnum a nobis *Theſaurum* alium Eccleſiaſticæ Reipublicæ longe utiliſſimum, Chriſtianarum nempe Antiquitatum. Buddeus quidem, & Vvalchius in *Bibliotheca Theologica ſelecta* P. xx. *pag.* 689., tum etiam Johannes Albertus Fabricius in Voigtii primum *Thyſiaſteriologia*, deinde in *Bibliographia antiquaria p.* 112. editionis Hamburgenſis a. 1716. *Theſauri Antiquitatum Eccleſiaſticarum edendi conſpectum* cum eruditis viris communicarunt: at inventus eſt hactenus nemo, qui conſilio huic perficiendo manus porrigeret adjutrices. Neque id eo dico, quod credam, ſiquando Theſaurus iſte eſſet in lucem emitendus, Heterodoxorum illorum *conſpectum* plane eſſe amplectendum; immo in illo deſiderari plura ſive ordine ſpectes, ſive libros in vaſtiſſimum opus inferendos, lubens fateor. Queror tantummodo in Italia præſertim, quæ Catholicæ Religionis ſedes eſt ampliſſima, doctos viros aut aliis ſtudiorum generibus diſtentos opus negligere Chriſtianæ Reipublicæ perhonorificum, aut ſiquidem ad illud animos adjicere molirentur, ea quæ ad ejus confectionem neceſſaria maxime eſſent, librorum, typorumque præſidia deſiderare. Heinc enim illud demum conſequetur, ut vel ſemper Theſaurum iſtum deeſſe nobis, vel apud Hæreticos magno Catholicæ rei detrimento ob heterodoxorum de Chriſtianis antiquitatibus libel-

lorum, qui in eo recudentur, copiam prodiiſſe tandem illum dolituri ſimus.

Interea dum Princeps aliquis Chriſtianæ rei ſtudio inflammatus tantum opus deſiderari diutius non ſinat, ego privatorum hominum in Chriſtianas Antiquitates amori conſulturus, librum hunc edo Gallice a Claudio Flevrio pridem divulgatum, atque in plures vulgares linguas, ut Germanicam, & Italicam noſtram, converſum, Latine autem a Societatis noſtræ Sacerdote redditum, atque anno 1746. Herbipoli e Lochneri, ac Mayeri typographio emiſſum, Sed vere ut dicam etſi id operis plurimi facio, minoris tamen eſſet utilitatis, niſi illud acceſſionibus quibuſdam locupletatum nunc demum prodiret. Qua in re non illud ſolummodo curandum mihi eſſe video, ut qui illo uſuri ſint, *compendio antiquitatum Eccleſiaſticarum*, quod cum Conradi Samuelis Schurzfleiſchii *controverſiis & quæſtionibus inſignioribus* earumdem *antiquitatum Eccleſiaſticarum* Walchius Lipſiæ a. 1733. evulgavit, Guillelmi Cavei *Chriſtianiſmo primitivo* Anglice ſæpius edito, Gallice vero Amſtæledemenſibus typis expreſſo a. 1711., Godfridi Arnoldi Germanico libro *de officiis & moribus primorum Chriſtianorum*, idque genus commentariis non indigeant: (ſi enim hoc mihi unum propoſuiſſem, quos Italice *de moribus primorum Chriſtianorum* Romæ emiſit in vulgus a. 1754. eruditus Dominicanæ Familiæ ſcriptor Thomas Maria Mamachius, tomos omnino tres Latine vertere nullo negotio potuiſſem); verum in hoc potiſſimum laborandum mihi eſt, ut minoris cujuſdam Chriſtianarum Antiquitatum theſauri loco editio iſthæc ſit ſtudioſis Lectoribus.

Itaque primum inſtruendos eos eſſe mihi intellexi ubere librorum notitia, quos ubi argumentum quodpiam fuſiore calamo pertractatum libeat ipſis videre, poſſint conſule-

ſulere; idque præſertim in adnotationibus præſtiti, quas Fleury operi ipſi ſubjeci. [Libros porro adnotavi non Catholicorum modo, ſed etiam Hæreticorum Scriptorum, quos tamen iis ſolum legendos eſſe moneo, quibus per ſupremos Fidei quæſitores liceat. Alterum autem multo fortaſſis utilius erit brevium quarumdam de præcipuis in Fleury libro contentis materiis, earumque ex doctiſſimis Catholicorum hominum lucubrationibus ſtudioſe delectarum Diſſertationum collectio. Hanc vero eo ordine exhibiturus ſum, quem Auctoris μέθοδος poſtulat; non tamen ſingulis capitibus diſſertationes ad illa pertinentes adjiciam, ne opus nimis diſſecetur, ſed potius ejus quæ quatuor ſunt ſingulis partibus aptiores quaſdam Diſquiſitiones ſubjungam. Harum non paucas ex Johannis Cabaſſutii *Notitia Eccleſiaſtica*, & Johannis Mabillonii *Præfationibus* deprompſi; nam etſi vulgatiores apud nos ſunt iſtiuſmodi libri, non tamen omnibus, quibus opus hocce eſſe præ manibus cupio, præſto erunt, & argumenta præterea, de quibus agunt, breviter ſolideque tractant. Multas nihilominus ex operibus non ita paſſim obviis Albaſpinæi, Fileſaci, Garnerii, RoſWeydi, aliorumque ſimilium excerpſi, ut ne illi quidem, quibus eſt non contemnenda librorum ſupellex, laborem hunc meum faſtidirent. Si longiores quaſdam diſſertationes libuiſſet colligere, vel ſolum Bollandianorum Patrum luculentiſſimum de Actis Sanctorum opus plures ſane ſuppeditaſſet; ſed brevitati, quoad licuit, conſulendum mihi eſſe duxi, atque quas dabo, diſſertationes adnotationibus, quibus quid in eamdem rem a recentioribus Scriptoribus traditum ſit, breviter indicarem, illuſtrare malui, quam prolixos heic edere commentarios. Cavendum mihi præterea fuit a tabulis æreis, ut lectorum ſumptibus parcerem; quare factum, ut diſſertationes quaſdam

etſi

etſi non ita longas omiſerim, quod hujuſmodi tabulis illarum editio indiguiſſet. Illud reſtat, ut qui hocce opere uſuri ſunt, non eruditionis tantum cauſſa illud legant, ſed ad eam, quam Majores noſtros amplexi ſunt, ſanctiſſimam vivendi rationem ſe moreſque ſuos conformare maxime ſtudeant. Id enimvero in Catholicæ ipſius Eccleſiæ decus quod cordi nobis eſſe maxime decet hiſce præſertim quibuſcum conflictamur, difficillimis temporibus, cedet. *Manifeſta eſt arbor*, ajebat inclytus Martyr Ignatius *epiſt. ad Epheſios, ex fructu ipſius. Similiter qui profitentur ſe Chriſtianos eſſe, ex iis quæ faciunt* (non ex iis, quæ feciſſe Majores ſuos intelligunt) *cernuntur*.

IN-

Digitized by Google

INDEX TOMI I.

PARS PRIMA.

CAput unicum. *Eccleſia Chriſti Hieroſolymitana.* Pag. 3
Ad caput unicum.
R. P. Johannis Haiden Soc. Jeſu de Therapeutis Philoni Judæi, *Diſſertatio.* 7

PARS II.

Eccleſia Chriſti perſecutionibus exagitata. 27
CAP. I. *Gentilium ante ſuam converſionem ſtatus.* ibid.
CAP. II. *Inſtitutio ad Fidem & Baptiſmus.* 29
CAP. III. *Vita novorum Chriſtianorum & ſpeciatim precandi ratio.* 31
CAP. IV. *Studium Sacrarum Scripturarum.* 34
CAP. V. *Officia, opificia & conſueta occupationes Chriſtianorum* 36
CAP. VI. *Jejunia Chriſtianorum.* 37
CAP. VII. *Convivia Chriſtianorum.* 39
CAP. VIII. *Modeſtia & gravitas Chriſtianorum.* 41
CAP. IX. *Connubia Chriſtianorum.* 43
CAP. X. *Concordia Chriſtianorum.* 45
CAP. XI. *Chriſtianorum cœtus & liturgia.* 46
CAP. XII. *Occultatio myſteriorum fidei.* 48
CAP. XIII. *Odiorum in Chriſtianos cauſa.* 49
CAP. XIV. *Perſecutiones, Judiciorum forma, & ſupplicia de Chriſtianis ſumpta.* 54
CAP. XV. *Carceres Chriſtianorum.* 57
CAP. XVI. *Cura ſacrarum reliquiarum, item de Confeſſoribus.* 58
CAP. XVII. *Excommunicationis & pœnitentiarum uſus.* 59
CAP. XVIII. *Aſceta, virgines, viduæ, diaconiſſa.* 61
CAP. XIX. *Pauperum cura.* 63
CAP. XX. *Hoſpitalitas Chriſtianorum* 64
CAP. XXI. *Infirmi & ſepulturæ Chriſtianorum.* 66
CAP. XXII. *Epiſcopi, Presbyteri cum reliquo Clero.* 68
CAP. XXIII. *Chriſtianorum primis tribus Eccleſiæ ſæculis prudentia atque patientia.* 72

AD

AD PARTEM II.
SELECTARUM DISSERTATIONUM
M A N T I S S A.

AD CAPUT III. P. Emmanuelis de Azevedo S. J. *de divini officii nominibus, & definitione, antiquitate & excellentia.* Diſſertatio I. 75
Ejuſdem *de variis divini Officii horis.* Diſſertatio II. 76
Ejuſdem *de ſigno, quo olim ad divina Officia clerici convocabantur.* Diſſertatio III. 77
P. Franciſci Xaverii Zech S. J. *de campanis & inſtrumentis muſicis.* Diſſertatio IV. 81
P. Emmanuelis de Azevedo S. J. *de vetere recitandi Officii divini ratione.* Diſſertatio V. 89
Ejuſdem *de priſcis Chriſtianorum conventibus.* Diſſertatio VI.
AD CAPUT V. Fr. Thomæ Mariæ Mamachii Ord. Prædic. *de artibus, quas profitebantur Chriſtiani veteres, ut victum ſibi compararent.* Diſſertatio VII.
AD CAPUT VI. P. Johannis Cabaſſutii Oratorii Domini Jeſu, *de veterum jejuniorum Eccleſiæ origine, & ritibus.* Diſſertatio VIII.
Gabrielis Albaſpinæi *de jejuniis, & ſtationibus obſervationes.* Diſſertatio IX.
Johannis Ciampini Romani, *de Cruce Stationali inveſtigatio hiſtorica,* ſeu Diſſertatio X. 129
Ludovici Antonii Muratorii, *de IV. Temporum jejuniis.* Diſſertatio XI. 140
Fr. Joh. Hyacinthi Sbaraleæ Ord. Min. S. Franciſci Conv. *De jejunii quatuor Temporum origine ac Inſtitutore.* Diſſertatio XII. 153
AD CAPUT VII. P. Johannis Cabaſſutii Congregationis Oratorii Domini Jeſu, *de Agapis.* Diſſertatio XIII. 163
Gabrielis Albaſpinæi Aurel. Ep. *de Agapis.* Diſſertatio XIV. 164
Ludovici Antonii Muratorii, *de Agapis ſublatis.* Diſſertatio XV. 166
AD CAPUT VIII. Jo. Lami, *de re veſtiaria hominis Chriſtiani primitivi,* Diſſertatio XVI. 175
AD CAPUT XII. P. Emmanuelis de Azevedo S. J. *de diſciplina Arcani, & de Liturgiis,* Diſſertatio XVII. 192

AD

AD CAPUT XIV. P. Petri Lazeri S. J., *de perſecutionibus in Eccleſiam excitatis ævo Apoſtolico*. Diſſertatio XVIII. 196

P. Johannis Thomæ Rinaldi Auguſtiniani, *de perſecutionibus quibus primo & ſecundo aera chriſtianæ ſeculo Eccleſia exagitata eſt*. Diſſertatio XIX. 208

Divi Theodorici Ruinartii, *de actis Martyrum*. Diſſertatio XX. 227

AD CAPUT XVII. P. Johannis Cabaſſutii Congreg. Orat. Domini Jeſu, *de litteris formatis, ſeu canonicis*. Diſſertatio XXI. 233

Ejuſdem, *de communionibus laica, & peregrina*. Diſſertatio XXII. 237

AD CAPUT XVIII. P. Johannis Cabaſſutii Congreg. Orat. Domini Jeſu, *de ſacris Virginibus*. Diſſertatio XXIII. 239

Ejuſdem, *de Diaconiſſis*. Diſſertatio XXIV. 241

AD CAPUT XIX. D. C. P. A. *de collectis Chriſtianorum*. Diſſertatio XXV. 244

AD CAPUT XXI. P. D. Johannis Mabillonii Monachi Benedictini, *de extrema unctione*. Diſſertatio XXVI. 254

Johannis Fileſaci Theologi Pariſienſis, *Funus veſpertinum*. Diſſertatio XXVII. 257

P. D. Johannis Mabillonii Benedictini, *de ritu humandi Sacerdotes veteri & novo*. Diſſertatio XXVIII. 267

Ludovici Antonii Muratorii, *de veterum Chriſtianorum ſepulchris*. Diſſertatio XXIX. 269

Ejuſdem, *de antiquis Chriſtianorum ſepulchris*. Diſſertatio XXX. 272

AD CAPUT XXII. P. Johannis Cabaſſutii Oratorii Domini Jeſu, *de diſcrimine inter Epiſcopos, & Presbyteros jam inde ab ipſis Eccleſiæ exordiis*. Diſſertatio XXXI. 283

Ejuſdem, *quiſnam fuerit priſcorum Epiſcoporum Senatus ac Presbyterium*. Diſſertatio XXXII. 287

NOI

NOI RIFORMATORI
Dello ſtudio di Padova.

AVendo vedu to per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Gio: Paolo Zapparella Inquiſitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato: *Diſciplina Populi Dei in novo Teſtamento ex Scriptoribus ſacris, & prophanis collecta a Claudio Fleury Presbytero, & Priore Argentolienſi*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza ad Antonio Zatta Stampator di Venezia, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 28. Settembre 1759.

(Z. Alviſe Mocenigo 2. Riformator.

(Marco Foſcarini Cav. Proc. Rif.

(Franceſco Moroſini 2. Cav. Proc. Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 23. al Num. 135.

Gio: Girolamo Zuccato Seg.

Addi 3. Ottobre 1759. Regiſtrato nel Magiſtrato Eccel. degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Gio: Pietro Dolfin Seg.

PAR-

PARTITIO
TOTIUS OPERIS.

QUatuor partibus Diſſertationem hanc abſolvam. Prima mores referet Chriſtianorum Hieroſolymæ degentium uſque ad urbis hujus ſub Veſpaſiano excidium. Primus iſte Chriſtianiſmi ſtatus etſi perexigui ſpatio temporis circumſcriptus fuit; meretur tamen ob inſignem ſuam perfectionem ſeparatim ab aliis conſiderari. Altera pars tria Eccleſiæ prima ſæcula complectetur, Tyrannorum vexationibus famoſa. Tertia imaginem proponet Eccleſiæ, a ſæculo Chri-

Digitized by Google

ſti quarto pace ac libertate publica fruentis. Poſtrema Diſſertationis pars cauſas afferet mutationum ac viciſſitudinum, quæ in Eccleſia Chriſtiana ſubinde acciderunt.

D E

Digitized by Google

DE DISCIPLINA POPULI DEI

PARS PRIMA.

CAPUT UNICUM.

Eccleſia Chriſti Hieroſolymitana.

R Eligio Chriſtiana quemadmodum divino plane non humano conſilio & virtute ſundata fuit; ita initio ſtatim ſui ortus undequaque perfecta extitit, perinde ac rerum iſta univerſitas ſimul atque a Deo procreata fuit; valde bona, id eſt, numeris omnibus abſoluta prodiit. Nec quiſquam, inquit Tertullianus, niſi per ſummum errorem opinetur, in rebus, quæ ad mores vitamque recte componendam pertinent, ſubſecutis temporibus utilius aliquid, ſapientius atque ſublimius excogitatum fuiſſe, quam quod Redemptor noſter primum Apoſtolos ſuos, Apoſtoli vero deinceps primos Chriſtianos docuere. Quanquam hæc ipſa Evangelii tam excellens doctrina pro diverſa animorum habitudine, & gratiæ diſpari menſura diverſos item effectus in animis mortalium produxit. Nam ad Iſraelitas quod attinet, veros illos quidem ac genuinos, ipſa veri Dei notitia & legis antiquæ obſervantia, qua inde a teneris annis imbuti erant, præſertim Majorum traditione, & Sacrarum Scripturarum lectione accedentibus, ipſos proxime expeditos reddebant ad Evangelicam legem quam perfectiſſime obſervandam, ubi primum illius perfectionem rite edocti eſſent, intelligerentque, quodnam regni genus, quæ ſalus & libertas eſſet, a Meſſia ſibi afferenda. Longe operoſius erat, ad hanc Novæ Legis perfectionem Gentiles adducere, qui ad id uſque temporis *ſine Deo & lege* vixerant, ultro ſe paſſi pecudum more duci ad *ſimulacra muta*, ſolitique in cœno flagitiorum omnium ſeſe volutare. Igitur a Chriſtianis Hieroſolymitanæ Eccleſiæ petendum nobis ante omnia exemplum eſt, ac prototypon vitæ illius, qua perfectiorem, & quod hinc conſequens eſt, beatiorem in terris fruſtra requiras.

Ephes. 2. v. 12. 1. ad Cor. 12. v. 2.

Eam vero S. Lucas deſcribit in hæc verba: *Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Paulo poſt iſta ſubjungit: *Omnes etiam. qui credebant, erant pariter, & habebant om-*

Act. 2. v. 42. Ibid. v. 44. &c.

nia communia. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat, quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cor-
Act. 4. v. 32. *dis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* Et alibi: *Multitudinis*, ait, *credentium erat cor unum & anima una: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed erant illis omnia communia. . . . . Neque quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes aſſerebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis, prout cuique*
Act. 5. a v. 12. *opus erat.* Denique alio in loco hæc habet: *Per manus Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe, & erant unanimiter omnes in porticu Salomonis, cæterorum autem nemo audebat ſe conjungere illis: ſed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum.*

Summa perfectionis Chriſtianorum hactenus deſcriptæ erat catecheſis, oratio, Euchariſtiæ uſus, animorum conjunctio, bonorum temporalium communio, gaudium interius exteriuſque, reverentia demum, exiſtimatio & amor univerſi populi. Conſtabat Eccleſia hominibus cujuſcunque ætatis & ordinis, ac utriuſque ſexus, breviſſimoque tempore mirum in modum adoleſcebat. Siquidem unius Petri gemina prædicatione hominum facile octo millia Chriſto nomen dederunt, quem ad numerum novam indies recens converſorum acceſſionem factam fuiſſe, non uno loco acta Apoſtolorum perhibent. Erant iſti novelli Fideles maximam partem matrimonio juncti; nam perfectæ continentiæ rara ad eam diem exempla extabant. Adhæc privatis ædibus inter ſeſe diſcreti habitabant; hoc enim S. Lucas indicare voluit, cum ſcripſit, ipſos fregiſſe circa domos panem, hoc eſt: in ſuiſmet ædibus Chriſti corpus conſecraſſe ac diſtribuiſſe. In communi tamen omnes vivebant, bonis, quæ quiſque poſſideret, divenditis; [1] pecuniam vero ex eorum venditióne redactam primum quidem Apoſtoli, deinde ſeptem Diaconi tanta fide & prudentia diſpertiebantur, nemo ut in illa multitudine inops eſſet. [2]

Atque hæc erat inſignis illa & opere ipſo luculenter expreſſa idea æqualitatis bonorum, vitæque perfecte ſocialis forma, quam antiqui Legislatores ac Philoſophi ſtatuebant eſſe certiſſimam ad felicitatem viam; etſi eandem reipſa conſequi nequicquam adlaborarint. Huc ſpectabat lex illa Minois, publicas in Creta inſula menſas inſtrui jubentis: huc Lycurgi collimabant edicta, quidlibet agentis, ut divitias & lu- Arist. Politic. lib. 2.

[1] *Hanc bonorum communionem in Roma Hieroſolymitana Eccleſia auſus eſt negare* Johannes Laurentius Moſheimius *de Proteſtantium numero in ea, quam* de vera natura communionis bonorum in Eccleſia Hieroſolymitana *edidit, diſſertatione. Ejus futilia ſane argumenta refutavi in* hiſtoria litteraria Italiæ T. V. p. 501. *Recte autem* Fleury omnes *ait in communi vixiſſe; nam licet Eſtius, & P. Mamachius* Origin. & Ant. Chriſtian. T. III. *contendant, non omnes Hieroſolymitanos Fideles fuiſſe communem vitam profeſſos; Actuum tamen Apoſtolicorum verbis multo conformior eſt eorum ſententia, qui Hioroſolymis omnes in communi vixiſſe docent. Confer quæ in citato* Tomo V. *dicta ſunt* p. 503. ſeqq., *uti etiam quæ de eodem argumento retractavimus* T. IX. p. 328. ſeqq.

[2] *Neque tamen (quod Salmaſius, Zieglerus Baſnagius, Binghamus, aliique heterodoxi paſſim effutiunt) hinc fit, Diaconos profanos menſarum adminiſtros fuiſſe. Ut alia mittam, quæ Bellarminus, Petavius* Diſs. Eccleſiaſt. lib. 2. c. 1. *Natalis Alexander, ejuſque noviſſimus editor Cl. P. Manſius, aliique ad eum Petavii locum a me in nuperrima tanti viri editioni commemorati tradunt, Arator elegans æque atque antiquus Chriſtianus Poeta* lib. I. *in* Acta Apoſtolorum *ſeptem illorum inſtitutionem verſibus declarans, minime profanum fuiſſe munus oſtendit.*

Jura miniſterii ſacris altaribus apti
In ſeptē ſtatuere viris, quos undiq; lectos
Levitas vocitare placet. Quā ſplendida cœpit
Eccleſiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Mmiſceat, & Latices cum Sanguine porrigat Agni.

xum

xum e Lacedemonia proſcriberet. Denique modum hac in re prætergreſſus Plato, dum omnia voluit eſſe communia, familias ipſas, ſublato earum diſcrimine, exæquari inter ſeſe voluit. Intelligebant iſti nimirum, ad ineundam vitæ perfectam ſocietatem inprimis opus eſſe, ut e medio tollantur *meum* & *tuum*, atque privatorum commodorum reſpectus procul arceantur: hoc illi pœnarum metu extorquere, hoc ratiocinando perſuadere hominibus fruſtra conati ſunt; ſolius enim divinæ per Chriſtum gratiæ opus id futurum erat, utpote quæ ſola flectere hominum voluntates, & naturæ corruptionem ſanare valet.

Judæi ut qui a lege Dei melioribus erant præceptis inſtituti, perfectiora communis vitæ exempla apud ſe habebant. Eſſeni hi erant, ac Therapeutæ. Solum in Palæſtina Eſſenios reperire erat, ac fere erant quatuor millia hominum. In agris morabantur, ac ruſticanis laboribus, opificiiſque innocuis intenti communem vitam, paupereinque ducebant. Plerique a matrimonio abſtinebant: orationi, legiſque ſtudio, Sabbati præſertim diebus vacabant. At fatum credebant, divinationi ſe ſe dedebant, ac Judæis erant ſuperſtitioſiores. Therapeutæ diverſa loca incolebant; plerique tamen in Ægypto prope Alexandriam commorabantur. Solitudini, & contemplationi magis quam Eſſeni, erant hi addicti, atque Orationi, lectioni, legiſque meditationi ſolum ſtudebant. Solo fere pane ſub veſperum veſcebantur. Sabbato, ac Pentecoſtes die conveniebant ſimul oraturi, cibumque ſumpturi. Philo, & Joſephus utrorumque vivendi rationem fuſiore calamo perſequuntur. Quod ſi ſub Moſis lege, quæ ad perfectionem haud ducebat, hujuſmodi vitæ inſtitutum ſervari potuit, mirandum non eſt, eaſdem, ac multo puriores floruiſſe ſub lege Gratiæ virtutes.

Igitur terrenorum bonorum inter primos Chriſtianos communio haud ex alio fonte, quam ex charitate manavit; hac inter ſe juncti Fideles, fratrum adinſtar in unam quodammodo familiam coaluere, in qua eadem ex penu liberi omnes ab uno eodemque Patre aluntur; qui cum ſingulos ex æquo diligat, nemini quidquam deeſſe patitur. Nimirum ob oculos perpetuo verſabatur præceptum illud mutuæ fraternæque dilectionis, a Jeſu Chriſto, cum perſæpe alias, tum in nocte, quæ paſſionem ipſius proxime præceſſit, gravibus verbis inculcatum, ut adeo diſerte diceret: *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*. *Joan. 13. v. 35.* Porro ad vendenda bona ſua eoſdem aliud Chriſti præceptum induxit, quo nos jubet renunciare omnibus, quæ quiſque poſſidet. Hanc illi legem obſervare ſtatuerunt non tantum animi promptitudine; nam eatenus Chriſtiani omnes eadem tenentur; ſed re etiam ipſa & operis executione implere illam decreverunt, ſecuti Redemptoris conſilium: *ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus... & veni ſequere me*. *Matt. 19. v. 21.* Securiores enim ſumus, animis ea non adhærescere, quæ re ipſa jam dimiſimus, quam quæ adhuc poſſidemus. Præterea non ignorabant Fideles celebrem Chriſti vaticinationem de urbe Hieroſolymitana, antequam *generatio hæc præteriret*; id eſt: ſua adhuc ætate funditus evertenda. Quare ultro abjicere voluerunt, quidquid animum affigere infeliciſſimæ urbi ac regioni poterat, cui tam certa vaſtitas & ruina immineret.

Erat igitur hæc vitæ communis ratio Chriſtianorum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ propria, [1] maximeque illis & perſonis & temporibus accommodata. Nam ſi humanis rem iſtam rationibus exigas, fieri vix potuit, ut diu admodum ſtaret hominum tanta multitudo nullis certis reditibus & bonis conſtabilita. Sane illam ipſam Eccleſiam Hieroſolymitanam aliarum Eccleſiarum ope frequenter indiguiſſe, multaque & magna pecuniæ ſubſidia eidem reliquis e provinciis ſubmiſſa fuiſſe, ex Actis Apoſto-

[1] *Si Therapeutæ, de quibus Philo, Chriſtiani fuerunt (qua de re addidi Diſſertationem in fine primæ hujus partis) non ita vitæ communis ratio Eccleſiæ Hieroſolymitanæ propria fuit, ut non etiam ad Alexandrinam Eccleſiam ſpectarit.*

Act. 24. v. 17. 1. Cor. 16. v. 1. Chryſ. hom. 11. in Acta.

lorum & Epiſtolis D. Pauli perſpicuum fit. [1] Et tamen S. Chryſoſtomus, qui tanto poſt tempore floruit, non dubitavit, hoc vitæ communis inſtitutum ſui temporis Fidelibus proponere tanquam exemplum imitabile, mediumque efficax adducendi ad Chriſtum quoſcunque infideles. Credere fas eſt, Sanctos illos Hieroſolymis operatos manibus ſuis fuiſſe, Chriſti Domini & Apoſtolorum imitatione; cur enim hanc quoque perfectionis partem illis negemus, qui perfectiſſima quæque conſectati ſunt, præſertim cum hac ratione defectum proventuum magna ex parte ſupplere poſſent?

Supra demonſtratum eſt, Fideles perſeveraſſe in doctrina Apoſtolorum; iidemque *Diſcipuli* perſæpe appellantur, quibus verbis ſignificatur, ipſos quæ ad ſalutem ſcitu factuque neceſſaria eſſent, flagranti ſtudio addidiciſſe, partim Apoſtolos audiendo, qui, quæ ipſi a Divino Præceptore ſuo didicerant, nunc publice, nunc privatis in congreſſibus aſſidue explanabant; partim lectitando ſacras literas, deque iiſdem inter ſe mutua collatione agendo. Dicuntur etiam perſeveraſſe unanimiter in oratione: aſcendiſſe quotidie in templum, & in porticu Salomonis orandi cauſa conveniſſe. Accedit Sanctorum Petri & Joannis exemplum, qui *aſcendebant in templum ad horam orationis nonam*; quæ res veroſimile reddit, tunc temporis obſervatas jam fuiſſe ſtatas precum horas, quas poſtmodum Eccleſia Chriſtiana conſtanter & perpetuo complexa eſt. Demum vitæ ratio exterior Chriſtianis initio cum Judæis communis erat, eademque utriſque ſacrificiorum & ceremoniarum antiquæ legis obſervatio; qui mos non niſi cum Templo ipſo Hieroſolymitano abolitus tandem fuit; & hoc erat, quemadmodum Patres loqui ſolebant, *ſepelire Synagogam cum honore*.

Act. 3. Baron. an. 34. num. CCL. &c.

Act. 21. v. 26.

Secundum orationem Scriptura ſacra mentionem facit *fractionis panis*; quo nomine in Actis, uti ſæpe alibi in Novo Teſtamento, Euchariſtia intelligitur. Auguſtum hoc Myſterium nequaquam in Templo frequentabatur, ubi non ſatis liberum erat religionis exercitium, & Judæis inſuper mixti Chriſtiani; ſed privatis in ædibus, ubi ſoli Fideles aderant, uſurpari ſolebat. Euchariſtiam tunc, uti olim victimas & ſacrificia pacifica, convivium excipiebat, a charitate *Agape* dictum, cujus uſus diu inter Chriſtianos viguit. [2] Hoc genus epularum, uti eadem Acta commemorant, celebrabatur cum *exultatione*, & *ſimplicitate cordis*; revera enim parvulis quamſimillimi Fideles erant animi candore & demiſſione; cumque divitias & ſpes ſæculi caducas ſponte ſua abjeciſſent; liberi ac ſoluti vivebant fomentis cupiditatum, & curis hujus vitæ ſupervacuis, ſola cœleſtium bonorum exſpectatione, regnique Chriſti, quod propediem affuturum credebant, dulci deſiderio ſe ſuſtentantes. Jam ſi nos paucula hæc, quæ de primis illis Chriſtianis ſacræ litteræ teſtantur, ſine admiratione legere non poſſumus; nihil mirum videri debet, ab hominibus, qui iſta & iſtis majora coram ſpectarent, talem tantumque cœtum in amore juxta & honore habitum fuiſſe.

[1] *Sentit ergo Fleury, vitam communem in Hieroſolymitana Eccleſia diutius perſeveraſſe. Negat hoc quidem P. Mamachius putans non ultra S. Stephani martyrium communionem bonorum apud Fideles Hieroſolymitanos viguiſſe, eaque potiſſimum ratione ad id ducitur vir doctus, quod nulla deinceps in Apoſtolicis Actis eius mentio occurrat. At ne ſublatam quidem illam S. Lucas perhibet; diuturniorem autem fuiſſe veroſimilius etiam ex eo eſt, quod illam a Sanctis Patribus ſcimus ſummis fuiſſe laudibus concelebratam; quid enim erat, quod vitæ rationem non integro anno conſtitutam tantopere extollerent? Quid? quod ipſa hæc pecuniæ ſubſidia Hieroſolymam miſſa indicio ſunt, Fideles Hieroſolymitanos non fuiſſe bonis inſtructos, quæ vero communia eſſent, admodum tenuia fuiſſe. Vide hiſtoriam litterariam Italiæ* T.V. p. 507.

[2] *Vide Diſſertationes.*

DISSER-

DISSERTATIO

DE THERAPEUTIS PHILONIS.

Reverendi P. Joannis Haiden S. J.

HOminum genus, quod in Ægypto apud Alexandriam Societatem conſtituit ampliſſimam; quodque deſertis urbibus, familia, fortunæ bonis omnibus agros incolens vitæ ſeverioris inſtitutum profitebatur; Philo Judæus, ſui temporis facile diſertiſſimus *Θεραπευτὰς* nominavit; eorumque cultum, vivendi normam, ſtudia, reſque cæteras ſingulari Libro, quem inſcripſit *περὶ βίου θεωρητικοῦ ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν* [1] egregie complexus eſt. Opus hoc nonnulli ſubinde cum evolverent, in mentem iis venit ſuſpicari: iſto ſcribendi genere a Philone adumbrari primos, qui ex Alexandrinis Chriſto nomen dediſſent. Præivit ceteris, niſi fallor, opinione hac Euſebius Pamphili Cæſareenſis [2] facile in ſequelam trahens Scriptores alios, nec paucos, nec ignobiles, quibus perſuaſum erat: Divum Marcum Principis Apoſtolorum Petri in prædicatione comitem, myſteriorumque interpretem, deſcriptis Romæ compendio rebus a Chriſto geſtis, Ægypto, atque Alexandriæ ſalutarem fidem intuliſſe: nec multo poſt animos nonnullorum huc impuliſſe: ut extra mœnia, remoti a turbis, villas ſecretiores incolerent, rebus æternis contemplandis, vitæque auſterioris ſtudio ætatem omnem impenſuri. Credebant tum forte legatione functum Philonem Romæ apud Claudium; ubi de admirando apud Cives ſuos inſtituto a Petro edoctus, Sectatores ejus continuo laudibus ſibi ſumpſit exornandos. Hæc multis inſederat opinio; ex qua haud pauciores, qui artem criticam exercent, dimovere eos ſunt conati; ſed adeo diſtractis inter ſe ſtudiis, ut alii Philonis Therapeutas Judæis: nonnulli Eſſenorum Sectæ: Philoſophis potius gentilibus cæteris, quam Chriſtianis accenſerent.

Igitur, an Divi Marci inſtitutione Chriſto authorati quipiam apud Alexandriam, nomen Therapeutarum, & laudes acceperint a Philone? ac per eundem Marcum, quod nonnullis placuit, diſciplinæ vitæque Monaſticæ initium in Ægypto datum ſit? examinandum venit. Prius vero quam in re tot ſæpe Eruditorum jurgiis agitata mentem meam aperiam, Diſſertationis Oeconomiam ita diſpono, ut primo loco paucis, quid Philo ipſe ſcripſerit: altero quid hoc de argumento Veteres ſenſerint: deinde qui Scriptores eruditi temporibus noſtris proximi Philonem interpretati ſint, ſtatuam. Corolarii vicem ſubibit Quæſtio de vitæ Monaſticæ initiis apud Ægyptios.

---

1 De Vita contemplativa, ſeu de ſupplicum Virtutibus. Hoc in opere *ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν* obſcurius nonnullis videtur; hinc exiſtimant legendum potius: *ἱκετῶν αὐτῶν* de quo conſule Sandium Hiſt. Eccl. p. 30. Sed priora verba ſervarunt Euſebius, D. Hieronymus, Ruffinus, Suidas, Nicephorus: niſi dicere velis corruptionem vocis *ἱκετῶν* anteriorem eſſe his Scriptoribus. Sunt quibus *ἱκετῶν* idem eſt, quod *θεραπευόντων*, ſeu, qui DEO ſervit demiſſe: id quod ex Syracidis cap. 36. v. 17. *Εἰσάκουσον κύριε δεήσεως τῶν ἱκετῶν σου* eruere ſe poſſe putant. Melius fere illi, qui *οἰκετῶν* ſcribendum ſentiunt, prout in vetuſtiſſimo quodam MS. Bibliothecæ Auguſtanæ reperiri ait compilator magni Lexici univerſalis; Librariorum enim oſcitantia Littera O, facile potuit negligi; hac vero adjecta *οἰκέτης* & *Θεραπευτὴς* idem dicent, & clarius DEI famulum expriment. Interim Scaliger, Elench. Trihæreſ. c. 28. *ἱκετῶν* idem vult eſſe, quod Gallis: *Bigot* ſeu pietatis, & religionis ſimulator; ſed iniquiora, ut videtur, interpretatione.

2 Euſeb. Ceſareenſ. Hiſt. Eccl. Lib. 2. c. 17.

§. I.

§. I.

Quid Philo ipſe ſcripſerit?

Operæ pretium exiſtimavi, Therapeutarum inſtitutum Philonis verbis ſub conſpectum ponere, ut inde argumento Lux major affulgeat. Igitur cum de veritate eorum, quæ de Societate iſta miranda prorſus ſcripturus eſſet, pauca præmiſit; tum viros hujus inſtituti contemplationi deditos Θεραπευτὰς: mulieres Θεραπευτρίδας, appellat; deinde ait:

Huic vitæ inſtituto, qui ſe addicunt, non ex more rogati id faciunt, ſed amore correpti rerum cœleſtium, & quaſi furore Divino perciti, donec ad contemplationem illam deſideratiſſimam perveniant. Deinde præ immortalis, beatæque vitæ cupidine, quaſi jam hac mortali defuncti facultates ſuas relinquunt liberis, aut cognatis, ultro eis poſſeſſione cedendo, atque etiam ſociis & amicis, ſi cognati deſunt.

Relictis his, fugiunt ſine reſpectu fratrum, liberorum &c. deſerunt numeroſas cognationes, ſocietates &c. ipſas denique patrias, in quibus geniti, educatique ſunt, quandoquidem conſuetudo magnum momentum habet ad allectandos homines.

Demigrant autem non in aliam civitatem, ſicut ſervi, qui ſe vendi heris aliis impetrant, miſeri! ut qui ſervitutem mutant, non effugiunt; --- ſed extra mœnia degunt in hortis aut villis ſolitariis, amantes ſolitudinem non hominum odio, ſed ad cavendos congreſſus cum diſſimilibus, quo ſciunt moribus bonis officere.

Hoc genus reperitur in multis orbis regionibus, merito ut abſolutæ probitatis receptum a Græcis [1] atque Barbaris; maxime tamen in Ægypto frequentatur per præfecturas ſingulas, præſertim circum Alexandriam. Ex omnibus autem locis optimus quiſque Therapeutarum tanquam in hujus generis patriam colonus mittitur in locum quendam aptiſſimum, ſitum ad Stagnum *Mariam* in terreno colle, acclivi leniter, tutum ſimul, & laudatum ab aeris temperie: ſecuritatem enim ei præſtant villæ, vicique proximi.

Domicilia vero convenarum ſunt admodum frugalia, parata contra æſtum tantummodo & frigora; non contigua, ut in urbibus: nec tamen longe remota; quia ſocietatem diligunt, ut ſibi poſſint invicem ſuccurrere contra latronum incurſus fortuitos.

Singuli habent ſacrum ædificium quod σεμνεῖον καὶ μοναστήριον vocant, ubi ſolitarii ſanctæ vitæ myſteriis dant operam; nec cibi potuſve quidpiam eo inferunt, aliudve in uſum corporis; ſed legem tantum, & Prophetarum oracula, hymnos; & quædam alia pietati ſcientiæque promovendæ utilia. Itaque perpetuam DEI habent memoriam, ita, ut ne in ſomnis quidem aliud eis obverſetur. Et ſunt, qui ſomniando etiam produnt præclaras ſacræ Philoſophiæ ſententias.

Quotidie bis precari ſolent, mane, ac ſub veſperam: Oriente Sole petentes diem vere felicem, utque mentes eorum cœleſti repleantur lumine: occidente vero, ut anima in totum exonerata ſenſibus moleque rerum ſenſibilium veritatem veſtiget in Conſiſtorio Domeſtico. Medium vero Matutini, veſpertinique temporis interſtitium totum meditationi attribuitur. Verſantes enim ſacra volumina dant operam Philoſophiæ per manus acceptæ a majoribus, ſcrutando ejus allegorias. Habent etiam priſcorum commentarios, qui hujus ſectæ auctores multa reliquerunt monumenta de allegoriis ejuſmodi, ad quorum imitationem ſe accommodant. Itaque non ſolum contemplantur, ſed etiam cantica, hymnoſque in DEI laudem componunt vario metrorum, carminumque genere. Per ſex dies ſeorſum, quiſque in ſuis illis modo dictis Monaſteriis philoſophantur; non progredientes foras, imo ne proſpicientes quidem.

Septimo die conveniunt in cætum

[1] Euſebius Interpres L. 2. c. 17. ita vertit: *Oportuit enim boni, perfecti Græciam, & Barbarum populum participem eſſe.*

com-

communem, & juxta ætatis ordinem conſident decenti habitu, manus continentes ſub pallio, dexteram inter pectus barbamque, ſiniſtram applicatam lateri. Tum progreſſus in medium natu maximus, & dogmatum ejus Sectæ peritiſſimus, diſſerit vultu ad gravitatem compoſito, voce moderata, non ſine magna prudentia, ſecus, quam Oratores, aut ætatis noſtræ Sophiſtæ oſtentatores Eloquentiæ. Reliqui omnes auſcultant per ſummum ſilentium, annuentes oculis tantum, aut capite.

Id commune ſemeneum, in quod ſeptimo quoque die conveniunt, ſepto clauditur duplici, ſeparatis virorum & mulierum, quæ ſimul auſcultant, cætibus; medius autem paries a ſolo ſurgit tribus quatuorve cubitis, in modum loriculæ, ſuperiora uſque ad tectum patent. Hoc modo & pudori fœminei ſexus conſulitur, & verba Doctoris exaudiuntur facile abſque obſtaculis.

Temperantiæ, tanquam fundamento in animum jacto, virtutes cæteras ſuperſtruunt: neque cibum, nec potum quiſquam ſumit ante Solis occaſum, quod ſapientiæ ſtudium luci convenire judicent; tenebris vero curam corporis. Nonnulli ex his vix tertio quoque die famem ſentiunt, attenti magis ad diſciplinarum ſcientiam. Nec deſunt, qui perdurent duplum ejus temporis, & vix ſexto die deguſtant cibum neceſſarium, adſueti ſicut cicadæ rore vivere, canticis opinor ſolantes inediam. Septimo tamen die, ut feſto, ſacratoque, poſt curam animi corpus quoque reficiunt.

Pane utuntur ſimplici: ſal vicem ſupplet obſonii. Qui delicatiores ſunt, hyſopum pro condimento adjiciunt, potum e fluentis hauriunt, abſque omnibus lenociniis, fruendo rebus ſine quibus non licet vivere. Edunt, igitur ne eſuriant, bibunt, ne ſitiant, ſaturitem cavendo ut inimicam animo pariter, & corpori.

In veſte, uti in ædium tegmine eadem apparet ſimplicitas ad arcendos calores & frigora: pro pelliceis craſſa tunica in hyeme, æſtate vero exomis, aut interula. In univerſum exercent modeſtiam, ut fontem veritatis: ſicut e faſtu mendacium prognatum autumant.

Numeros in primis obſervando, poſt ſeptem hebdomadas elapſas conventus ſuos inſtaurant, venerati non ſolum ſimplicem ſeptenarium, ſed & vim ejus multiplicem. Tempus iſtud profeſtum eſt maximæ feſtivitatis, incidentis in numerum quinquagenarium ſanctiſſimum, & naturæ gratiſſimum. Ubi vero convenere Candidati, & læti cum ſumma gravitate ad ſignum datum a quopiam Ephemereuta (ſic hujuſmodi miniſtros nominant) priuſquam diſcumbant, ſtantes una ſerie decenter, ſublatiſque ad Cœlum manibus, atque oculis, his quoniam didicerunt ſpectare cœleſtia: illis utpote incorruptis a muneribus, & a quæſtu illicito, precantur, ut DEO placeat id convivium.

Abſolutis precibus Seniores diſcumbunt, ac mox alii pro cujuſvis dignitate: nec enim Seniores ex annis æſtimant; ſed quantumlibet grandævos habent pro pueris, ſi ſero inſtitutum hoc ſunt amplexi.

Adhibentur menſæ fœminæ quoque, anus pleræque, ſed virgines ſponte continentes præ amore ſapientiæ. Diſcubitus ita diſtribuitur, ut ſeorſum viri dextrum latus, ſeorſum fœminæ ſiniſtrum teneant. Quod ſiquis ſuſpicatur lectiſternia etſi non ſumptuoſa, certe molliuſcula parari hominibus ingenuis, & Philoſophiæ deditis; ſciat eſſe tegetes rudes e vili contexta materia, videlicet e papyro indigena, ſic humi aggeſtas, ut eminendo fulciant cubitos.

In miniſterio non utuntur mancipiis: quando quidem ſervitutem cum natura omnino pugnare autumant; nemo hic ſervus adeſt; miniſtrant ingenui, & ſponte, quidquid opus eſt, faciunt, juſſa non expectando, ſed prævenienda alacritate voluntaria. Hinc ingenuis delegatur hoc officium, habito delectu ex omni ſodalitatis hujus juventute, ut quiſque præclarum aliquod indolis ac virtutis ſpecimen edidit. Diſcincti autem, & promiſſis tunicis accedunt ad miniſtrandum, ut abſit omnis ſervilis ſpecies ab h c convivio.

Vinum per illos dies non præbetur, ſed aqua limpidiſſima, plurimis frigida,

da, calida vero iis, qui inter ſeniores tractantur delicatius. Menſa pura eſt a cruentis dapibus: pro cibo panis apponitur, ſal pro obſonio, & pro condimento hyſopus nonnunquam, in delicatorum gratiam. Vinum habent pro veneno afferente dementiam; oppiparis autem obſoniis ajunt irritari concupiſcentiam, quæ bellua eſt inſaturabilis.

Poſteaquam Convivis ordine ſuo diſcumbentibus adſtiterunt miniſtri decenter parati ad obſequium, nulla ne ſequitur compotatio? imo ſilentium majus quam antea, ita, ut ne mutire quidem cuiquam liceat, aut reſpirare vehementius. Proponit quiſquam quæſtionem e ſacris litteris aut etiam ſolvit ab alio propoſitam, nihil de ſolutione ſolicitus: nec enim captat laudem argutiarum, aut eloquentiæ. Omnes vero auditores ad illum unum differentem arrecti auſcultant, & intelligere ſe nutu, vultuque indicant; nec minore attentione juniores, qui diſcumbentibus adſtant, audiunt. Ubi vero Præſes viſus eſt, rem bene tractando ſatisfeciſſe auditorum deſiderio, plauſus editur ab omnibus. Tum Præſes aſſurgens hymnum in laudem DEI primus canit, aut recens a ſe compoſitum, aut deſumptum ab alio Vatum veterum. Extant enim hujus generis carmina priſca verſu trimetro, & hymni inter ſacra canendi ante altaria vel a ſtantibus, vel a choreas ducentibus moderatas, variis flexibus atque reflexibus. Præſulem mox imitantur cæteri ordine decenti. In fine hymni, extremaque clauſula vocem extollunt ſine ſexus diſcrimine.

Abſolutis hymnis ſingulorum juniores dictam paulo ante menſam efferunt, in qua rite cibus ille ſacratiſſimus!, panis fermentatus cum ſale apponitur, & hyſopo ob reverentiam ſacræ menſæ dedicatæ in Templi veſtibulo. Nam & in ea ſolent proponi panes cum ſale abſque condimento alio: ſed panes non fermentati, & ſal ſine ulla mixtura.

Cœnam ſequitur ſacrum pervigilium his ritibus: ubi omnes conſurrexere duo chori fiunt in medio cœnaculi, alter virorum, alter fœminarum, cuique ſuus dux & præfectus deligitur canendi peritia præſtans. Deinde cantant hymnos in laudem DEI compoſitos partim ſimul conſonantes, partim alternis concentibus cum decoro manuum geſtu modulantes, & ſaltantes. Deinde, poſtquam uterque chorus ſeorſim explevit ſe his deliciis, velut amore Divino ebrii permiſcentur, & e duobus choris unus fit. Itaque producta uſque ad Matutinum hac comeſſatione honeſtiſſima neque gravati crapula, neque nictitantes, ſed excitatiores, quam cum venirent ad convivium, verſo ad auroram vultu, totoque corpore, quam primum Solem orientem aſpiciunt; felicem diem & veritatem, perſpicacemque mentis aciem ſibi comprecantur, atque ita precationibus abſolutis ad ſuum quiſque ſemeneum ſecedit, & ad negotiationem, culturamque conſuetæ Philoſophiæ.

§. II.

Quid Veteres de Therapeutis ſenſerint?

ANte Euſebium Cæſareenſem, Pamphilii dictum, apud nullum, quod ſciam, e priſcis Patribus de præclaris illis ſublimioris Philoſophiæ Sectatoribus in Ægypto occurrit mentio, nec cui in mentem prius veniſſe puto: ut illos Chriſti cultoribus adnumerandos cenſeret.

Magnus quidem Dionyſius Areopagita, aut quiſquis ſub ejus nomine ſcripſit, ſemel, atque iterum in operibus ſuis Therapeutarum meminit. Prior locus in Libro de Eccleſiaſtica Hierarchia ita habet: [1] ἔνθεν οἱ θεῖοι καθηγεμόνες ἡμῶν ἐπωνυμιῶν αὐτοὺς ἱερῶν ἠξίωσαν οἱ μὲν Θεραπευτὰς, οἱ δὲ μοναχοὺς ὀνομάζοντες ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ καθαρᾶς ὑπηρεσίας, καὶ θεραπείας, καὶ τῆς ἀμερίστου καὶ ἑνιαίας ζωῆς, ὡς ἑνοποιούσης αὐτοὺς ἐν ταῖς τῶν διαιρετῶν ἱεραῖς συμπτύξεσιν, εἰς θεοειδῆ μονάδα καὶ φιλόθεον τελείωσιν. Alter inter

---

1 Dionyſ. Areopagita Eccl. Hierarch. cap. 6. de ordinibus qui initiantur. *Hinc Sancti præceptores noſtri Divinis eos appellationibus ſunt proſecuti; alii quidem Therapeutas ſeu cultores, alii vero Monachos denominantes.*

Epi-

Epiſtolas reperitur quarum prima inſcribitur Γαΐῳ ἀγαπητῷ [1] ſuper que locum Sanctus Maximus in Scholiis ait : *Therapeutas autem capite ſexto de Eccleſ. Hierararch. dixit appellari Monachos, ibidem docens : quanam ratione inſtituantur; cum non ſint clerici, populo tamen ſublimiores. Hos autem Philo Judæus admirari viſus eſt, in libro de vita contemplativa*. Sentit ergo, niſi fallor, Sanctus hic Interpres, Monachos a D. Dionyſio deſcriptos par inſtitutum habuiſſe cum Therapeutis Philonis, ac idcirco eodem nomine eos appellari. Sed enim Monachorum inſtitutum, [2] rituſque eos conſecrandi, cum ignota prorſus Apoſtolicis temporibus teneant hodiedum peritiores artis Criticæ; tum hoc ipſum caput ſuſpecta, dubiaque illis reddit opera Dionyſii. Ego vero, tametſi ea illico magno Athenienſium Præſuli propterea non abjudicem (nec enim ſeu pro iis, ſeu contra ea hic depugnare vacat) ſi tamen mentem Doctiſſimi Haloixii, qui Sanctum illum Patrem adverſus Scaligerum vindicat, ſatis ſum aſſecutus; de alio prorſus hominum, DEUM colentium genere, ac Therapeutæ noſtri ſunt, Divum Dionyſium loquentem intelligere mihi videor: quippe fatetur Haloixius [3] Monachos Dionyſii partem fuiſſe populi urbani, quæ inter profanos Cives & recenſeretur, & degeret: & quæ a Sacerdotibus erudiri, ac conſecrari ſolita eſt. At Sodales illi in Ægypto non Alexandriæ, ſed extra mœnia, conſortiumque omne cum cognatis, & amicis deſugientes vixere: nec ædes privatas in urbibus, aut collegia, ut iſti, ſed hortos, & villas a mœnibus longius ſitas, & ſecretiores duntaxat incoluerunt, quod clare docetur *de fuga ab urb. tumult.* §. ſuperiore. Mirum etiam, quod cum minutim quæque de Therapeutis ſuis recenſeat Philo, ne verbo quidem de more conſecrandi, recepto apud eos, unquam meminerit. Quare ut ut nihil ſubſidii ex hoc loco in rem præſentem adeſſe video; tamen exiſtimavi non prætermittendum eo: quod multi ei aliquid ineſſe ſibi perſuadeant; mihi interea tutiora ſequi libuit; ac proinde cæteris Patribus, & Scriptoribus antiquis unum præmitto Euſebium, de ſcripta Eccleſiæ Hiſtoria optime meritum, ut, qui fere in hoc argumento Diſputationis dedit initium. Igitur altero Hiſtoriæ ſuæ libro [4] cum de rebus a D. Marco geſtis ſcriberet, *Marcum*, inquit, *hunc primum ajunt in Ægyptum miſſum: Evangelium illic, quod & conſcripſerat, prædicaſſe, primumque Eccleſias Alexandriæ conſtituiſſe. Tanta autem ibi credentium virorum, & mulierum multitudo prima acceſſione per exercitium philoſophicum admodum ac diligentiſſimum collecta eſt, ut exercitia eorum, conventus, & univerſam reliquam vitæ converſationem Philo litteris mandare dignatus eſt*. Mox occaſionem Philoni ſcribendi adducit: *Fertur hic Philo Romæ ſub Claudio ad colloquium Petri Romanis tum prædicantis veniſſe &c.* Porro capite ſequente [5] prolixius diſſerit de Religioſis in Ægypto, ſeu Therapeutis Philonis, quorum ſingillatim virtutes enumerans, illud philoſophandi genus inſtitutioni Apoſtolorum plane fuiſſe con-

1 S. Maximus *in Scholiis* de Cajo hoc ait: *Conjicio, Cajum hunc eſſe, ad quem D. Joannes Evangeliſta tertiam ſuam ſcripſit Epiſtolam*; conjecturam hanc quoque firmat ex aliis, quibus Divinus hic Vir una cum Apoſtolis convixit.

2 Inter cæteros Scaliger in Elencho: *Ante Paulum*, inquit, *nullus Eremita fuit, nulli κοινόβιοι, μονάζοντες in Chriſtianiſmo. Eos ſane non tacuiſſent, quot quot a Juſtino Martyre viri Eccleſiaſtici ad Cyprianum uſque ſcripſerunt. Neque tot examina Monachorum potuerunt eſſe, quin ut Tertullianus loquitur, aliquam conteſſerationem cum Eccleſiis, atque Epiſcopis haberent. Denique multa de illis apud Eccleſiaſticos Scriptores extarent; at nulla extant.*

3 Haloix in Apologia pro operibus Dionyſii, iiſdem præfixa in Bibliotheca maxima PP. Edit. Lugdun. *Quod Scaliger e Tertulliano contra afferebat dicente:* Non ſumus Silvicolæ, neque exules vitæ, *nihil adverſus Dionyſium facit: cum is de Monachis intra urbes habitantibus agat.*

4 Euſeb. Hiſtor. Eccl. Lib. 2. c. 16.

5 Idem eodem Lib. c. 17.

ſor-

forme arbitratur. Ita: quod omnibus fortunæ bonis ad propinquos tranſmiſſis ſponte ceſſerint, id proprium arguit fuiſſe primis Chriſti Sectatoribus, de quibus *caput. 4. Actor. Apoſt.* Rurſum: quod Chriſtianorum ad inſtar Eccleſias ſuas variis in locis extructas haberent: quæ ſemenea, & monaſteria dicerent; in quibus ſanctioris vitæ myſteria remotis arbitris ſoli peragerent; deinde: quod commentarios veterum legerent, qui eſſent Evangelia, & Scripta Apoſtolorum, nec non expoſitiones quædam Veterum Prophetarum. Ad hæc: quod jejuniis, vigiliis, & Sacrorum Librorum lectioni vacarent, idque cum primis circa Paſchalem feſtivitatem, quod totum fieri ex more Chriſtianorum videmus. Quin etiam quod πρόεδρον ſuum, ſive Epiſcopum, nec non Diaconos miniſtrantes haberent. Ex quibus demum concludit: Philonem primos Evangelicæ Doctrinæ prædicatores, & ab Apoſtolis traditam Eccleſiæ Chriſtianæ diſciplinam in mente habuiſſe, cum iſta de Therapeutis ſcribenda ſuſciperet. Ita ille e Veteribus facile princeps rerum in Eccleſia geſtarum ſcriptor; cujus ſubinde amplexus eſt ſententiam D. Hieronymus, qui in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum hæc notavit: *Philo Judæus Alexandrinus de genere Sacerdotum idcirco a nobis inter Scriptores Eccleſiaſticos ponitur, quia Librum de prima Marci Evangeliſtæ apud Alexandriam ſcribens Eccleſia, in noſtrorum laude verſatus eſt non ſolum eos ibi, ſed in multis quoque provinciis eſſe commemorans, & habitacula eorum dicens monaſteria.* Addit his, quæ ſupra innuit ſubobſcure Euſebius: *Aiunt hunc . . . cum ſecunda vice veniſſet ad Claudium, in eadem urbe locutum eſſe cum Apoſtolo Petro, ejuſque habuiſſe amicitias, & ob hanc cauſam etiam Eccleſiam Marci, diſcipuli Petri, apud Alexandriam Sectatores ornaſſe laudibus.*

Prior Hieronymo argumentum hoc quoque tractavit D. Epiphanius, cum de Chriſtiani nominis origine diſputans [1] doceret, Chriſtianos Antiochiæ primitus Ἰεσσαίους fuiſſe nuncupatos, ſeu a Jeſſe Davidis Patre, ſeu potius a JESU, qui in Hebraica dialecto θεραπευτὴς, vel Medicus, & Servator eſt. Tum enim mox ad Philonis tractatum provacans, ibidem Jeſſæos iſtos a Scriptore noſtro laudari aſſerit. [2] *Quod quidem*, inquit, *argumentum uberius pertractatum reperies in Libro, quem de Jeſſæis inſcripſit: ubi illorum vitæ diſciplinam, ac præconia celebrans, eorumque monaſteria, quæ ad paludem Mariam circircumcirca poſita ſunt, deſcribens, non de aliis ullis, quam de Chriſtianis iſta narravit.* In hoc tamen differt ab Euſebio, quod librum Philonis inſcriptum dicat περὶ Ἰεσσαίων, quem iſte περὶ βίου θεωρητικοῦ ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν nominavit. Diſſentit item, cum ſcribit: Philonem ad Jeſſæos iſtos, ſeu Therapeutas, deductum eſſe, & ad monaſteria eorum divertiſſe ipſis Paſchæ feriis, quibus omnem vitam eorum inſpiciebat, obſervabatque, nonnullos totam illam ſacroſanctam hebdomadem ſine ullo cibo tranſigere: alios alternis diebus illum ſumere; quoſdam vero ſub veſperam. Inter utrumque autem convenit, quod affirment: *Quæcunque toto illo Libro a Philone tractata ſunt, ea Chriſtianorum ad fidem, vivendique rationem omnino pertinere.*

Abit in eandem ſententiam Sozomenus, Epiphanio ætate proximus, in quo leges: [3] *Philo Pythagoræus tradit Hebræorum facile præſtantiſſimos, undique in locum ad lacum Mariam in colle ſitum coactos ſe pio & ſevero vitæ generi dicaſſe &c. quæ dum ad hunc modum narrat Philo, videtur eos ſignificare Hebræos, qui ſua ætate religionem Chriſtianam profeſſi fuerant; adbuc tamen morem Judæorum aliquantulum in vita ſequebantur, & inſtituta ſervabant; nam apud alios hoc genus vitæ non reperitur &c.* Conformia his habet Caſſianus *Inſtit.* L. 2.

1 Epiphanius Lib. de Hæreſibus c. 29. in hæreſi Nazaræorum.

2 Εὕροις δ' ἂν εἰ φιλολογεῖς, καὶ τούτου τὴν ὑπόθεσιν ἐντυχὼν τοῖς τοῦ Φίλωνος ὑπομνήμασιν, ἐν τῷ περὶ Ἰεσσαίων αὐτῷ, ἐπιγραφομένῃ βίβλῳ, ὃς τούτων τὴν πολιτείαν καὶ τὰ ἐγκώμια διεξιὼν, καὶ τὰ αὐτῶν περιοικίδι, οὐ περὶ τινῶν ἑτέρων ὁ ἀνὴρ ἱστόρησεν, ἀλλὰ περὶ χριστιανῶν.

3 Sozomenus Hiſt. Eccl. Lib. 1. cap. 12.

cap. 5. Ven. Beda in *Prologo* ad D. Marcum. Illud minime prætereundum, quod Photius in ſua Bibliotheca, neſcio unde, aut ex quo Scriptore, codicibus [1] ſuis inſeruit: *Ferunt*, ſcribit ille, *eundem Philonem, Chriſtianis etiam ſacris initiatum, ab his tandem dolore quodam, atque iracundia deſciviſſe. Verum antea, Claudio imperante, adita Roma in B. Petrum Apoſtolorum Principem incidiſſe, eoque uſum familiariter: atque hinc etiam factum eſſe, ut Diſcipulorum B. Marci Evangeliſtæ, S. Petri auditoris, mentionem, laudemque poſuerit*. At præter Photium, qui adſerat Philonem Chriſto nomen dediſſe, alium nondum reperi; igitur rem nulla authoritate firmatam ceu commentum ſuſpicio, & Auguſtino lubens [2] adſentior de eodem Philone ſcribenti: *Conatus eſt aliqua interpretari non ad Chriſtum intelligendum, in quem non crediderat; ſed ut inde magis appareret, quantum interſit: utrum ad Chriſtum referas omnia.*

§. III.

Qui Scriptores eruditi temporibus noſtris proximi Philonem interpretati ſint?

Viri æque Catholici nominis, atque a fidei veritate alieni, aliam, quam quæ a Veteribus eſt propoſita, explicandi Philonis viam iniverunt, nihil veriti dicere, ii inprimis, quos in re fidei novitatis ſtudium tranſverſum egit: [3] priſcos illos a veritate multum aberraſſe, dum de Chriſtianorum ſcriberent initiis. Unde cum ab eis hoc in argumento diſcederent, ipſi in varias diſtracti ſunt opiniones. Legem Judæorum, ritusque ſolummodo profeſſos Therapeutas defendunt plurimi: non multo pauciores familiæ Eſſenorum illos adſcribunt: cæteri ad Philoſophos ethnicos eos damnant.

Ex hac igitur triplici Sententia, prima ad gentem Hebræorum Therapeutas refert duce Valeſio, Euſebii interprete, qui ſequaces habet Pagi Antonium, Cotelerium, Claudium Fleury, Grotium, Dupinium, Salmaſium, Scharbau &c. Hi omnes putant deceptum [4] Euſebium Cæſareenſem ſimilitudine morum, & norma vivendi, quam Therapeutæ tenuerunt; quamque eandem eſſe Veteres cum Chriſtiano inſtituto ſuſpicabantur. Perperam enim, ajunt, ex ſignis communibus, aut exteriori ſpecie; affinitatem quandam cum Chriſti Lege præferente, arguitur ſincera in DEUM religio: niſi quis propterea Eſſenos quoque Chriſti aſſeclis adnumerare velit, quod & illorum vitæ ratio Chriſtiano inſtituto in multis conformis fuerit, ut ut in paucis ab eo diſſentiret. Quoniam igitur non pauca in Therapeutis reperiuntur, quæ, ſi penitius inſpexeris, cum moribus Chriſtianorum minus congruere deprehendes; non eſt, cur eos cum Euſebio Chriſti aſſeclis potius, quam Judæis accenſeas; vel a Philone toto illo libro, ſub hoc nomine laudari ſuadeas.

Quorſum enim illa ſuperſtitioſa, neſcio, quæ rituum Moſaicorum obſervatio? Ex inſtituto Moſis certis temporibus quædam apud eos agitari conſueviſſe, narrat Philo, cujuſmodi erant: colere Sabbata: ad numeros, maxime

1 Photius in Bibl. codic. 103 104.

2 S. Auguſt. Lib. 12. contra Fauſtum cap. 39.

3 Scaliger de Emendat. tempor. Lib. 6. audacter ſcribit: *Reſpondere volumus, Veteres illos ſummos viros cum de incunabulis Chriſtiani verba faciunt, multa a veritate aliena pronuntiaſſe.*

4 *Eſſenos fuiſſe Chriſtianos Euſebius bariolatus eſt ex Philone.* Idem Lib. 6. de emendat. temp.

Junius in animadverſ. ad Bellarminum Lib. 2. de Monachis cap. 5. num. 26. ſatis arroganter. *In hac* ait *Hiſtoria Eſſenorum applicatione, quemadmodum & in aliis non paucis, Euſebius deceptus eſt: quem qui poſt ſecuti ſunt, a veritate hiſtoriæ aberrarunt. Non temere jam olim homines docti in Euſebio plus judicii deſiderarunt, & legendis illius ſcriptis adhiberi a quovis jubent.* Alios pro hac, oppoſitiſque iſti ſententiis vide apud Fabricium in *ſalutari luce Evangelii*, Mamachium *Tom. I. Orig.* & *antiquit. Chriſtian.* p. 17. Salam in Bonæ Liturgicos Libros *Tom. II.* p. 36. *ſeqq.*

ſepte-

ſeptenarium, ejuſque vim multiplicem attendere: inde lapſis hebdomadis ſeptem cœtus cogere: hymnos, & priſca Veterum carmina verſu trimetro edita decantare, idque ante aras ſtando, aut choreas ducendo: in multam quoque noctem ac diem ipſum tripudiis, ſolemnique ſaltatu commovere membra: inferre menſis panes fermentatos cum ſale, & hyſopo ob reverentiam menſæ in Templi veſtibulo dedicatæ &c. quæ omnia an non ſatis produnt, viros iſtos contemplationi deditos ad Judæos ſolum pertinere? quid? quod Philo, poſteaquam de conviviis ſapientum Græcorum prolixius diſſeruit, deinde Sermonem ad Therapeutas converſurus, clare innuat, Moſis fuiſſe diſcipulos? *Hæc,* inquit, *ut ſupervacanea faſtidiuntur a Moſis diſcipulis a prima ætate veritati adſuetis &c.* Chiſtiani vero nominis an toto ſuo libro uſpiam meminit? quod tamen ignorare non potuit: ſi, ut Euſebius, ac Hieronymus ſcribunt, in Petri amicitiam Romæ penetrans, cum illo familiariter congreſſus eſt? Fama certe Chriſtianæ Religionis tum apud Ethnicos, tum apud Judæos pervulgata fuit; & Philo ipſe adſerit: id genus hominum in multis orbis partibus a Græcis, atque Barbaris receptum, ac in Ægypto per ſingulas præfecturas ſedes cepiſſe. Ad hæc Philo in principio Libri *de Virtutibus* ſeu de legatione ad Cajum totam Judæorum, Iſraelitarumque gentem vocat, τὸ ἱκετικὸν γένος. At liber, in quo de Therapeutis agitur æque ab eo inſcribitur περὶ ἱκετῶν; genti proinde Hebrææ Therapeutas eum adnumerare extra controverſiam eſt.

Fateor, nec levis momenti eſſe iſta, quæ hujus opinionis patroni in rem ſuam adſerunt; nec tamen continuo illis ſubſcribunt, qui cum Baronio, Montfauconio, Tillemontio, Beveregio, Papebrochio, & Serario noſtro Therapeutas Chriſtianis vendicant. Ac primo quidem authoritatem Euſebii, defendunt Hieronymi, & Epiphanii teſtimoniis; qui de Therapeutis idem ſenſerunt, & Chriſtianis ſacris a Marco docuerunt fuiſſe inſtitutos; ut idcirco deceptum Euſebium vitæ, morumque ſimilitudine a Chriſtianis deſumpta merito negent. Sed Hieronymus & Epiphanius hallucinationem, ut in aliis non paucis ſolent, ita hic quoque ἀνεξετάστως ſecuti ſunt? [1] At quis fidem nude iſtud aſſerentibus dabit? quis credet, Hieronymum ingenio perſpicaciſſimum, adeo incautum fuiſſe, ac impudentem: ut Euſebii in omnibus ſententiam ſine conſilio, & judicio ſequeretur? Legerit, eſto, in Eccleſiaſtica Euſebii Hiſtoria, Philonem, cum de Therapeutis ſcriberet, iſta de Chriſtianis eſſe locutum; an id propterea ſolum firmaſſe dicendus eſt? quod Euſebius authoritate ſua in hoc ei præiverit? an vero potius, quod Philonem ſemel, atque iterum conſulens, [2] ac cum mentis ejus interprete conferens, ſummis id rationibus adſtructum viderit; ex quo ipſe in eandem ſententiam, fidemque adductus ſit? Et nunquid eandem ſententiam Epiphanius a Doctiſſimo Euſebio hauſit, ut non nemo ſomniabat? [3] enim vero quos Euſebius Therapeutas vocat, Epiphanius Ἰεσσαίους appellat; & quem Philonis librum prior περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν inſcriptum ait: Epiphanius περὶ Ἰεσσαίων legit; ex qua etiam inſcriptione colligit: Chriſtianos primitus Ἰεσσαίους nuncupatos eſſe. Ad hæc: cum Euſebius Romæ Philonem a Petro edoctum de hoc præclaro apud Alexandrinos inſtituto recenſet: Epiphanius ad ipſos Therapeutas eundem divertiſſe, atque vitam, mores, & ſtudia curatius inſpexiſſe, jejunia item & pervigilia ante Paſchatis ſolemnia obſervaſſe notat. Liquet

Tertull. præ.Script. cap. 12.

---

1 Scaliger in prolegom. de emendat. tempor. *Quæ a Philone lib. de Eſſenis narrantur, ſatis levitatis damnant Euſebium, & reliquos Veteres, qui Euſebium ſecuti, idem bariolati ſunt.*

Idem Scaliger in emendat. temp. lib. 6. *Vide, quod accidit, ubi auctoritas antevertit veritati: Quicunque enim illa legebant, non dubitabant, eſſe vera, quia auctore Euſebio.*

2 Junius Lib. 2. n. 32. *Hæc boni Patres facile advertiſſent, ſi Philonem potius viſum fuiſſet conſulere, quam Euſebii auctoritati concedere.*

3 Idem loc. cit. n. 27. *Nempe Epiphanius in tenebris palpans, Euſebium ducem ſecutus eſt a veritatis filo aberrantem.*

ergo,

ergo, quod Epiphanius non ab Euſebio iſta acceperit; ſed inciderit forſitan in tractatum, datam inſcriptionem præferentem; unde & perſuaſum habuerit, Jeſſæos illos, ſeu Therapeutas, in eo celebratos, inter primos Chriſti fidei fuiſſe cultores: idque non ex ſola morum ſimilitudine, vitæque in paucis conformitate, quæ una ſi ſpectetur, deceptioni ſine dubio eſt obnoxia; verum ex cæteris diſciplinæ adjunctis rite exploratis, quæ propria eſſe Chriſtiano inſtituto, nec alteri facile Sectæ congruere agnovit. Et vero ut Ille, Euſebius item, & Hieronymus quarto claruerunt ſæculo; ita de diſciplina naſcentis Eccleſiæ, ad quam longe propius accedebant, multo melius judicium ferre poterant, quam iſti novitatis ſtudioſi, qui tot non annorum modo, verum ſæculorum etiam intervallo ab iis remoti ſunt. Nihil proinde eſt, quod ab eorum opinione recedendum ſuadeat, niſi validiores cogant rationes. Hæ vero quas dederunt, tantæ nondum ſunt, ut receptam veterum Patrum ſententiam evertere poſſe videantur. Nam quod de rituum ex Lege Moſis obſervatione adferunt: de cultu Sabbati: de vigiliis: de Pentecoſte, ſeu quinquageſima die: de hymnorum, & carminum vario genere editorum concentu, nullo negotio diluuntur. Quem enim latet? primorum Chriſtianorum non paucos, eos præſertim, qui e Judæis ad fidem acceſſerunt, ritus nonnullos Moſis retinuiſſe? 1 quodſi igitur Therapeutis, dum Chriſtianis adlecti ſunt, ex Hebræorum more quid adhæſit; ecquid mirum? ab Judæorum ſecta prodierunt, quod ipſi adverſarii non diffitentur; unde recte monuit D. Hieronymus: 2 a Philone, cum Eccleſiam Alexandrinam videret adhuc judaizantem, quaſi in laudem gentis ſuæ librum fuiſſe conſcriptum. Advertit quoque ad id Sozomenus: 3 qui Philonem ait loqui de Hebræis, qui ſua ætate Religionem Chriſtianam profeſſi, adhucdum tamen morem Judæorum aliquantulum ſervabant. Et hoc eſt, cur diſcipuli Moſis a Philone vocentur. Coluerint itaque Sabbata, & alia id genus ex inſtituto Moſis egerint; nondum inde conficitur: unam ſuperſtitionem Judaicam ſecutos fuiſſe; nam & primis e Chriſtianis aliquos Sabbata iſta aliquamdiu obſervaſſe, in comperto eſt. Quanquam nihil prohibeat dicere: Philonem phraſi ſuæ gentis, Chriſtianorum Sabbata, ſeu Dominicos deſcripſiſſe; perinde enim verbis iſtis *ταῖς ἑβδόμαις συνέρχονται* nec Dominicum, nec Sabbatum aperte expreſſit; ſed *ſeptimis* quibuſque *diebus* Therapeutas conveniſſe notavit; qui vero Dominicis conveniunt, ſeptimis adhuc diebus convenire, procul dubio cenſendi ſunt. Atque hoc modo diſſertiſſimus Judæorum de Verno quoque jejunio, quod a quinquageſima plerique inchoarunt olim: de vigiliis Chriſtianis, & Sacro Pentecoſtes die locutus videtur. Id, quod ipſum indicat Euſebius: 4 qui jejunia e Philone deſcripta, & Pentecoſten, ad eas exercitationes refert, quæ circa Salutis & patientis Domini, feſtum diem exerceri conſueverunt. Quod de hymnis, & vario carmine additur, quaſi vero id cadere non poſſet in primos Chriſtianos, qui ſerius hymnos contexere cœperint, nempe poſt Antonii tempora; cum viri docti ad religionem noſtram ſeſe applicuiſſent, levis eſt momenti; extra dubium enim eſt: primos Chriſtianos & hymnos, & Pſalmos, & Cantica concinere ſolitos eſſe; id enim ab Apoſtolo commendatum noverunt Ephe-

1 Timotheum circumcidit Paulus *Actor.* 16. v. 3. Ipſe quoque, Nazaræorum voto ut ſe exſolveret, intonſam gerebat cæſariem, quam ſub temporalis illius voti finem in Cenchreis totondit *Actor.* 18. v. 18. Sic & Jacobus ipſi D. Paulo: *Vides*, ait, *frater*, *quot millia ſint in Judæis*, *qui crediderunt & omnes æmulatores ſunt legis? Actor.* 21. v. 20.

2 Hieronym. de Scriptor. Eccl. in Marco. Euſebius Hiſt. Eccl. Lib. 2. c. 16 *Manifeſtum relinquitur: non modo vidiſſe eum viros illos Apoſtolicos ex Hebræis veroſimile profectos; ob eamque cauſam priſcorum adhuc rituum, more Judæorum, obſervantes.*

3 Sozomenus ſupra loc. cit.

4 Euſeb. Lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 17.

ſiis,

ſiis, [1] item Coloſſenſibus, [2] ubi ᾠδαὶ πνευματικαὶ, a Paulo memoratæ, artificioſæ fuiſſe videntur cantiones, & vario metrorum genere contextę: ᾠδὴ enim carmen, quod metrice ſcribi ſolet, ſignificat. Patet igitur: ab Eccleſiæ Apoſtolicæ inſtitutis uſque adeo id non abhorrere, ut iis ſumme potius conſonet. Diſcimus id ipſum e Plinio *in Epiſtola ad Trajanum* ſcribente: Chriſtianos ſui temporis ſolitos fuiſſe, *Stato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto, quaſi DEO, dicere ſecum invicem*. Idem confirmat fragmentum, e vetuſto libro adverſus Ardemonis hæreſin conſcripto, ſervatum apud Euſebium, ex quo hæc habentur: [3] *Pſalmi quoque & Cantica fratrum ab initio a fidelibus conſcripta Chriſtum Verbum DEI concelebrant, divinitatem ei tribuendo*. Igitur ab antiquis Eccleſiæ temporibus, imo ab initio Apoſtolicæ prædicationis, carmina in Chriſti honorem decantabantur; ut ita, quæ Philo de Therapeutarum hymnis narrat, Veterum de iis opinionem confirment potius, quam evertant.

Cur demum Chriſtiani nominis nuſpiam toto libro meminerit, cauſa eſt: quod cum Judæus eſſet, nec mediocris apud ſuos vir auctoritatis; in eaque, in qua natus erat, denaſci ſtatuiſſet religione: vel ab eadem ſaltem perfidia palam diſcedere vereretur; voluerit dedita opera, & Chriſti, & Sectatorum ejus, nomen ſilentio involvere; ſicque recondito ſenſu ſcribere, ut, cum neque Chriſtianos, neque Judæos diceret; ob nominis tamen, rituumque nonnullorum ſimilitudinem Judæis Judæi putarentur; ob cætera omnia Chriſtianis Chriſtiani agnoſcerentur; ob utraque, Ethnicis utrilibet viderentur. Dici præterea poteſt ideo ab ornandis Chriſtiano nomine Therapeutis abſtinuiſſe: ne ſua ipſius perfidia damnaret contumaciam, ſuique populi Philoſophis, quos omnium optimos, ac præſtantiſſimos haberi volebat, Chriſtianos anteferret Philoſophos. Quod autem Judæos ἱκέτας appellet in libro de *Virtutibus*, facit hoc propterea: quod Imperatori Cajo ſupplices per eum facti ſint; non tamen hic ut proprium Genti, ſed commune aliis vocabulum ἱκέτας accipit; de Therapeutis vero dum loquitur, ἱκέτας dicit ex eo: quod ratio inſtituti eorum exigat, ut ſupplicationibus, & orationibus verum Numen colerent; non item, quod Judæos crederet.

At ſunt in Philone nonnulla alia, quæ majorem Therapeutarum præſeferunt vetuſtatem, quam ut a Servatoris ſuper Cœlos aſcenſu, Apoſtolorumve prædicatione eorum duci poſſit initium; ſcribit enim doctiſſimus Philo: operam illos dediſſe Philoſophiæ per manus a Majoribus acceptæ, lectitaſſe commentarios Veterum quorundam Sectæ ſuæ Authorum, qui multa reliquerunt monumenta doctrinæ in allegoriis poſitæ. Quæ autem avita illa Philoſophia, niſi Judaica? qui Veteres illi priorum ſæculorum niſi Hebræi, aut Eſſeni? enim vero de Chriſtianis iſta accipi non poſſunt; nam hi novelli erant, &, ut Valeſius ait, nudius tertius nati, qui auctores veterum ſectæ ſuæ ignorarunt. Marcus certe, quem magiſtrum in fide habuiſſe dicuntur, non ſecus, ac cæteri Apoſtoli doctrinam Chriſti recentius prædicabant: nec priſci haberi, dicive poterant, ut qui Therapeutis, ac Philoni ipſi ætate aut pares, aut non multo erant ſuperiores; & hi quæ tandem allegoricæ cujuſdam Ideæ monumenta elucubrata reliquerant? ubi ea ſunt? quis ejuſmodi vidit? legit? audivit? Adde morem exponendi allegorice ſacras litteras, adhibita ad id præſertim Veterum Philoſophia, nullum fuiſſe receptum apud primos Chriſtianos: cavendum enim ab iſta, Coloſſenſes monuit Apoſtolus. [4] Deinde apud Therapeutas, ejuſdem inſtituti dicuntur mulieres θεραπευτρίδες fuiſſe ὧν αἱ πλεῖσται γηραλέαι παρθένοι, qui autem Philonis

1 Ἀλλὰ πληροῦσθε ἐν πνεύματι λαλοῦντες ἑαυτοῖς ψαλμοῖς, καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς ᾄδοντες, καὶ ψάλλοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ κυρίῳ &c.

2 Διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτοὺς, ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς &c.

3 Euſeb. Hiſt. Eccl. Lib. 5. c. 28.

4 Ad Coloſſ. 2. v. 8. βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας. Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam.

tem-

tempore potuerunt eſſe Virgines adeo ſenes[1], ſi virginitatis propoſitum ante ſalutiferam Chriſti Domini mortem non ſuſcepiſſent? nam ab illa, uſque ad alterum Claudii Imperatoris annum, nonniſi decennium abiit, cui quotquot voles, annos adde, dum poſtea Librum iſtum ſcripſit Philo; vetulas tamen virgines non probabis; igitur priores fuiſſe Apoſtolicis temporibus, dicere neceſſe eſt.

Nihil iſtis moventur, qui oppoſitam defendunt ſententiam. Philoſophiam per manus a Majoribus acceptam eſſe Judaicam admittunt, ſed eam, quæ in Moſe, ac Prophetis, continetur: cujus præcipuum caput *Luc.* 24. Emautinis expoſuit diſcipulis Magiſter Divinus.

Neque ſi Græcorum Philoſophiæ operam dediſſe Therapeutas dicant, quicquam ab inſtituto eorum alienum ſe concedere exiſtimant; ſive enim ab Judæis, ſive ab Eſſenis originem ſuam habuerint, non continuo ſimul, atque fidem Chriſti amplexi ſunt Philoſophiæ ſtudium abjecerint; ſed amplius eo excoluerint animum: quoniam nemo tum aliquid ſcire cenſebatur, niſi qui præclaram rerum humanarum, divinarumque cognitionem, labore ac induſtria ſibi comparaſſet. Erat tum Alexandria ſedes ſcientiarum, ibi Philo, ibi Judæi plurimi liberales combiberunt artes; unde ſi ad Chriſti fidem Alexandrini accolæ, Marci opera, ut creditur, ſunt adducti; ad veſtigandas veritates, maxime Philoſophiam adhibuerint, eamque fortaſſe Platonis, quem haud pauca Divinæ Legi [1] conſentanea docuiſſe, non ignorabant. Huic certe Philoſophiæ ſe addixit Philo, qui exinde Judæus Plato [2] meruit compellari.

Alteram, quæ circa commentarios Veterum Sectæ hujus authorum verſatur, difficultatem ſolvere conatus eſt, ipſe Euſebius [3] veroſimile eſſe inquiens; commentarios iſtos Divina eſſe Evangelia, & Apoſtolorum ſcripta, atque expoſitiones quaſdam veterum Prophetarum. Vetuſtiores quippe ejuſmodi expoſitiones, aliaque de recta vivendi ratione monimenta, ab Eſſenis, penes quos, Libros hujus generis fuiſſe docuit Joſephus, ad Therapeutas pervenerint; cum plures, vel ex illis, vel ex aliis Judæorum Sectis, ad religionem Chriſtianam ſint converſi. Unde iidem Eſſeni Therapeutarum quodammodo ἀρχηγοὶ, ſeu auctores dici poſſunt, qui & allegoricæ doctrinæ Therapeutis uſitatæ monumenta reliquerint; antiquos enim Judæos, & præſertim Eſſenos, allegorice ſacras paginas expoſuiſſe, nemo ambigit. Extant hodiedum ipſius etiam Philonis in Legem Allegoriæ. Ariſtobulus etiam ante Philonem commentariis ſuis in Pentateuchum Moyſis allegorias quaſdam interſeruit. Et nunquid Paulus Libros Divinos nonnumquam allegorice interpretatur? ut *quarto capite* Epiſtolæ *ad Galatas* de Iſaaco & Iſmaele, alibique non ſemel. Quin ipſe Chriſtus plerumque in parabolis locutus eſt; quæ aliter, quam allegorice, exponi non poſſunt. Nihil propterea mirum, quod Therapeutæ, licet Chriſtianis adſcripti, nonnulla allegoricæ doctrinæ monumenta penes ſe habuerint. Nec verum eſt, quod Gentium Apoſtolus ab omni philoſophia cavendum monuerit Coloſſenſes; abſtinendum ſolum docuit a Politica, & fallaciis inſtructa: [4] a curioſis item cognitionibus Aſtrologiæ, & ratiocinationibus, quæ ex principiis Philoſophorum male intellectis deducebantur, atque a

1 Plato adeo Moyſen æmulari notatus eſt: ut recte de illo Pythagoricus Philoſophus: *Quid enim eſt Plato, niſi Moyſes attice loquens?* apud Haloix in vita S. Dionyſ. Annot. cap. 2.

2 S. Hieronym. in epiſtola ad magnum Oratorem Urbis: *Quid loquar de Philone? quem, vel alterum, vel ſecundum, vel Judæum Platonem critice pronuntiant.* S. Aug. contra Fauſtum Lib. 12. *Philo, vir liberaliter eruditiſſimus, unus eorum, cujus eloquium Græci Platoni æquare non dubitant.*

3 Euſeb. Hiſt. Eccl. Lib. 2. cap. 17.

4 Epiſt. ad Coloſſ. 2. v. 8. *Videte, ne quis vos ſeducat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.*

Pſeudo-Apoſtolicis Stoicæ, aut Pythagoricæ Sectæ Magiſtris ad evertendam Chriſti fidem adhærebantur. Ut proinde in tractandis, audiendiſve ejuſmodi Sophiſtis cauti eſſent, monitos in hoc voluit Chriſtianos Apoſtolus; cæterum recto Philoſophiæ uſu eis non interdixit. De Therapeutridibus quod additur: putant, virgines has vetulas ex earum numero fuiſſe, quæ aut Eſſenorum inſtituto veteri, aut alio quodam pio, fortaſſis etiam civili conſilio nuptias diſtulerant, poſtea vero audita Sacræ Virginitatis commendatione, quem Chriſtus inſtituit, Apoſtoli doctrina propagarunt, in perpetuo vivere cœlibatu ſtatuerunt. Atque hoc modo a Judæis eximuntur Therapeutæ.

Qui Scaligerum [1] ſequuntur, [2] prioribus haud pauciores, ita eoſdem Therapeutas inter Judæos referunt, ut in his celebri Eſſenorum familiæ ſimul illos inſerant. *Nihil prohibet ſuſpicari*, ait Clariſſ. Vernejus, Eques torquatus, & Archi-Diaconus Eborenſis [3] *fuiſſe collegia aliqua Eſſenorum, qui majori contentione meditationi legis vocaverint; ea quippe de illis prodit Philo, quæ non niſi in Eſſenos quadrant.*

De duobus certe ait Eſſenorum generibus, quorum illi Practicam, hi Theoreticam profitentur vitam; de iis quidem libro præcedenti περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον; de his vero in hoc περὶ βίου θεωρητικοῦ; utrumque autem ſibi cohærere ſatis clarum eſt ex libri primis ultimo nominati verbis, quæ ſic habent: *Poſtquam de Eſſenis diſſeruimus, qui vitam actuoſam exercent, omnibus, aut, quod minus invidioſum dictu eſt, plerique felicius: ordo poſtulat, ut deinceps de iis, qui contemplationi dediti ſunt, dicamus.* Conſentit etiam vitæ ratio, quam inter ſe eandem fere tenuerunt: utrique enim ſeſe ad orientem Solem precaturi convertebant: utrique a ſacrificiis abſtinebant, & idcirco templi aditu prohibebantur: utrique præterea continentiam perpetuam colebant excepto uno Practicorum genere, quod Joſephus [4] τῶν γαμούντων, id eſt conjugum, appellat &c.

Sed, cum ipſe Philo nullibi dicat, duo fuiſſe Eſſenorum genera, mirum eſt, inquit Beveregius: ſi alii ex libris ejus hoc eliciant; in toto enim libro de Theoreticis, ſeu ſupplicibus nuſquam eis Eſſenorum nomen tribuitur; imo ſtatim in operis ejus exordio ſcribit Philo, Θεραπευτὰς fuiſſe nominatos; mulieres vero ejuſdem inſtituti Θεραπευτρίδες. Fruſtra etiam in primis Libri hujus verbis fundamentum aliquod opinioni adverſæ quæritur, nulla enim arte ex illis quis exſculpere poterit, Philonem de Eſſenis loqui. Generatim de iis, qui contemplationi ſe dediderunt, acturum ſe pollicetur; de Eſſenis ne quidem verbo meminit; ſed aperte hos a Therapeutis diſcernit, rationem adferens ex nomine, unde id utriſque venerit. Eſſæis nempe a Sanctitate, ex voce Syriaca, *Haſi*, ὅσιον, *Sanctus*, unde hasiuto, ὁσιότης, *Sanctitas*. Therapeutis autem ἀπὸ τοῦ θεραπεύειν [5] τὰς τῆς ψυχῆς νόσους a curandis animæ morbis, vel ἀπὸ τοῦ θεραπεύειν τὸ ὄν, a colendo Ente, quo nullum melius. At ſi Philo Therapeutas

[1] Scaliger in Proleg. *Quod Chriſtiani non eſſent, ſed mere Eſſeni ſtatim initio Libri oſtendit Philo.*

[2] Junius in Animad. contra Bellarm. cit. c. n. 28. *Erant in priore libro de Judæis Eſſenis, ergo & alterum Eſſenorum genus, quod initio libri poſterioris ſe dicit Philo expoſiturum, Judaicum eſt.*

[3] Aloyſius Vernejus in Apparatu ad Philoſ. & Theol. p. 352.

[4] Joſeph. Lib. 2. c. 7. de Bello Judaico.

[5] Unde nomen Θεραπευταὶ præclare huic apud Alexandriam ſocietati venerit, non ſatis inter Scriptores convenit. A Philone arbitrarie impoſitum fuiſſe putavit Joan. Clerici Hiſt. Eccl. Sæcul. 1. & 2. ſſ. 2. quod neſcio an cui Philonem legenti probetur: liquet enim ex eodem Hebræo Scriptore, id nomen aliunde viris iſtis fuiſſe impoſitum; ſed num a ſerviendo, aut colendo Numine: an potius a curandis animis illud deduci oporteat, nec ipſe Philo ſuperioribus verbis ſatis definit. Θεραπεύω interea idem dicit, quod *famulor*, *ſervio*, *curo*, *ſano*, ex quo Therapeutas non inepte latine reddideris: ſectam *famulorum*, aut *famulantium* DEO: *cultores* Numinis: *curatores ani-*

me-

tas Eſſenis junctos, eoſdemque putaſſet, quid erat: cur eos per diverſa nomina, a diverſis originibus profecta diſtingueret? an quia Eſſæi actuoſam, hi contemplativam profeſſi ſunt vitam? atqui nomina hæc nihil plane ad iſtam diſtinctionem conferunt; neque enim vox Eſſenus, ὁ βίον πρακτικὸν, neque Therapeuta, θεωρητικὸς ſignificant. Quid? quod Joſephus diligentiſſimus Scriptor, cum de Eſſenorum ſecta duobus locis ex profeſſo diſſeruit; tamen de illis Theoreticis Eſſenis ne mentionem quidem intulerit; ſed alium tantum Eſſenorum ordinem ſtatuerit, cibos quidem, & mores, legeſque ſimiles habentem, conjugio vero a cæteris diſcrepantem. Deinde, ſi ea, quæ ipſe Philo de Eſſenis ſcribit, cum iis conferantur, quæ de Therapeutis tradit, eos omnino diverſas familias conſtituiſſe clariſſimum erit; ipſius enim verbis docemur: Eſſenos in Syria ſolum, & in Palæſtina domicilia habuiſſe; Therapeutas autem, per omnem Græciam, & Barbariam diſperſos, in Ægypto præcipue ad Mareotem conſediſſe; atque in hunc locum ceu in Patrium ſolum præſtantiſſimos quoſque ex hac familia commigraſſe. Eſſeni in vicis, Therapeutæ in ſolitudine a turbis ſecreti habitabant; illi ſedes ſuas, ad quas Religionis cauſa conveniebant, more Judæorum Synagogas; hi σεμνεῖα, καὶ μοναςήρια appellabant; illi muliebrem ſexum averſabantur plurimi; hi θεραπευτρίδας in iiſdem ſecum alebant ædibus; ritus denique in ſacris obeundis, nec non in tractandis negotiis civilibus, mores item prorſus diſpares, atque ſtudia diſſimillima Eſſeni ab his habebant; ut quilibet (ſi, quæ Philo, Joſephus, & Plinius, de illis tradiderunt, cum iis, quæ de Therapeutis ab uno Philone notata ſunt, contulerit) facile videbit. Igitur cujuſcunque Sectæ, aut Religionis fuerint Therapeutæ; Eſſeni ſaltem neutiquam dici poterunt; id quod diu ante Valeſium Photius in Bibliotheca ſua notavit, & fuſius proſequitur laudatus Beveregius. Sed de hoc ſatis interea.

Tertiæ nunc opinioni locus eſto. Hæc vero a prioribus longius diſcedens, ſuadet Philonis Therapeutas Gentiles inter Philoſophos eſſe recenſendos. Sententiam iſtam ut, ceu veriorem, propugnaret vir inter ſuos non mediocriter eruditus Joannes Lange, haud contemnendam in lucem edidit lucubrationem Halæ Magdeburgicæ, quam inſcripſit: *Diſſertatio de Therapeutis in Ægypto, e Philone demonſtrans Therapeutas non fuiſſe Judæos, multo minus Chriſtianos; ſed Philoſophos barbaricos judaizantes*. Utitur hanc in rem argumentis, ſi diis placet, non vulgaribus, quæ, ut ne prolixior ſim, paucis do ſub conſpectum. Philo, inquit, hujus admirabilis inſtituti ſectatores nunquam Judæos appellavit: neque Joſephus, cum ſectas omnes, quæ ſuo adhuc tempore in illa gente florebant, diligenter enumeraret, Theoreticorum ullo in loco meminit. Non congruit etiam continentia Therapeutarum cum effrænata libidine Judæorum, in quam hi eo liberalius ſe effundunt, quo majorem e Vaticiniis perperam expoſitis ſpem etiamnum ſibi faciunt, orbis liberatorem Meſſiam a gente ſua originem accepturum. Conſtat præterea: Hebræis natale ſolum, urbemque Regni principem, Hieroſolymam, cum charam omnibus, tum pleriſque ita unam fuiſſe in deliciis, ut cæteras regiones quaslibet illi poſthaberent; nec facile divelli ab ea paterentur; quis credat igitur tot, tamque numeroſos ſponte hunc ſanctitatis locum deſerere voluiſſe, ut cum ab hominum ſocietate disjuncti cum ſolitudine circum Alexandriam commuta-

---

morum, ſicut Therapeutrides *curatrices*, ut ita dicam, vel *cultrices DEI*. Guilielmus Cave. Antiquit. Apoſt. in V. Marci. p. 624. & ante eum Scaliger Elencho Trihæreſ. c. 26. nomen iſtud a medendo, & ſanando profectum volunt; exiſtimant quippe Θεραπευτὰς medicinam exercuiſſe, de quo nuſquam meminit Philo, Sectæ hujus optime gnarus: & confundi Therapeutas cum Eſſenis practicis, qui medicinam Empiricam excolebant, ſatis clarum videtur; a ſanandis tamen animi morbis, ſi quis illos hoc nomine nuncupari debere contendat, Philoni proxime accedet.

rent? Denique ſi Eſſeni ab Judæis diverſi ſunt, aliamque Sectam conſtituunt; Therapeutæ, qui ex genere ſunt Eſſenorum, ut plerique fatentur, recte quoque ab Judæis eximuntur, & Gentilibus adſcribuntur Philoſophis.

Allatis his Langii argumentis copioſe reſpondit, diſſolvitque facile, quidquid præferrent difficultatis, Heumannus in *Actis Philologicis Volum. III. p.* 517. & ſponte ſua ex iis, quæ præmiſimus, concidunt. Nam etſi Philo Judæos manifeſte non appellet, haud inde recta conſecutio deducitur, ad Philoſophos barbaricos illos pertinere: cum nullo ſatis probabili argumento evincat Langius, eos ad Chriſtianos referri non poſſe. Quod vero a Joſepho inter Judæos non recenſeantur, ratio eſt: quia Sectas ſolum, quæ Judæam incolebant, deſcribendas ſuſcepit; ab hac vero Therapeutæ aberant, qui in Ægypto, ac in Græcia potiſſimum domicilia ſibi deligebant. Poterat etiam Joſephus utramque familiam Eſſenorum & Therapeutarum ſibi conjunctam credere, ac idcirco expreſſo nomine eorum non meminiſſe, neque Judæos ſingulatim dicere.

Sed in libris *contra Apionem* ad refellenda, quæ in Judæos homo iſte impudens congeſſit mendacia, oportuiſſet tam nobile inſtitutum, tamque celebre vivendi genus Therapeutarum Apioni, ut plurimum Alexandriæ degenti, minime incognitum, commemorare; & tamen Joſephus, qui ex abditiſſimis locis, & Scriptoribus vetuſtis, quidquid dignum de gente ſua eruere poterat, in medium protulit, nihil de Therapeutis memoriæ prodidit; at ſi Judæos potius, quam Ethnicos credidiſſet, minime id prætermiſſurus erat; ſilentium hoc itaque Philoſophos Gentiles fuiſſe, ſatis ſuperque probat. Si aries hic quidquam proficeret, credam & Rechabitas, & Eſſenos de numero Judæorum expungendos eſſe; nam in iiſdem libris nec de prioribus, nec de Eſſenorum familia aperta ſit mentio. Et ſi per propagationem Chriſtianorum plures Alexandrini Marci opera Chriſto acceſſerunt, qui hoc vivendi genus deinde amplexi ſunt; quomodo Joſephus, qui contra Apionem ſerius ſcripſit, [1] de Therapeutis, ceu de gente ſua loqui, & in laudes eorum excurrere poterat? Porro quod ſequitur, æque a vero videtur alienum: Therapeutis videlicet, ſi Judæi fuiſſent continentiam congruere non potuiſſe: Eſſeni utique Judæi erant, quod Langius vix inficiabitur, inter ſectas enim præcipuas Judæorum eos numerat Joſephus; [2] & tamen hi a connubiis, plerique ſaltem, abſtinebant, interdicentes ſibi omnium voluptatum uſu tanquam veneno letali; hinc alienos filios ſibi adoptabant, quos ſuis legibus, & diſciplinis inſtruerent. Unde Plinius de illis: *Ita per ſæculorum millia, incredibile dictu, gens alterna eſt, in qua nemo naſcitur.* [3] Erant tamen, non diffiteor, qui & connubiis ſociarentur; ſed hi, ut in cæteris conformes, ita numero iſtis multo pauciores. Iidem Eſſeni quanquam omnium ſuæ gentis religioſiſſimi haberentur, neque longiori tempore civitatem, neque unquam Templum Hieroſolymitanum adibant, atque a victimis immolandis abſtinebant; verebantur enim ne commercio cæterorum hominum, quorum mores longe deteriores erant, coinquinarentur; oblationes tamen per alios tranſmittebant, purique cordis, & crimine vacui ſacrificia offerebant. Poterant proinde hi ab Urbe Regni principe, ab æde ſacra ſponte divelli? non video, cur id Therapeutæ minus potuerint? Poſtremum nihilo firmius eſt prioribus. Eſſenos ab

1 Apion, Grammaticus Ægyptius, Oaſi ortus, Tyberii temporibus Rhetoricam Romæ profitebatur, & ſeu hic, ſeu deinde Alexandriæ ſub Cajo librum contra Judæos publici juris fecit. Flavius Joſephus ſub Caligula lucem aſpexit, & ſubinde Romæ, poſt captivitatem Veſpaſiani, amicitiæ aſſertus duos ἀρχαιότητος adverſus Apionem cum cæteris operibus ſuis edidit.

2 Joſephus Libro 18. c. 2. Antiquit. Judaic.

3 Plinius Lib. 5. Hiſt. c. 17. Idem habet Solinus c. 36. *Per immenſum ſpatium ſæculorum, incredibile dictu, æterna gens eſt ceſſantibus puerperiis.*

Judæis

Judæis diverſos neque Philo, neque Joſephus docuit, imo hic unam illos e ſectis tribus dictæ gentis conſtituere loco ſupra dato clare affirmavit. Quare conſecutio, quam infert Langius, ſponte corruit; fruſtraque laborat Therapeutas Gentilibus adjungere Philoſophis, quos laudibus ornare, ut gentem ſuam Romanis commendaret, neſcio, qui, aut cur tandem Philo in animum induxiſſet.

§. IV.

Cui ex tam variis, ceu veriſimiliori ſententiæ adhærendum, ut aſſumptæ Quæſtioni ſatisfiat?

Si conjecturæ locus eſſet nonnullorum, qui Therapeutarum inſtitutionem ante Eſſenos ſtatuunt ex eo: quod methodus interpretandi allegorice ſacras paginas prius in Ægypto, quam in Judæa cœperit; nam Ptolomæi, Evergetæ, ſecundi tempore, ac prius fortaſſe in eo terrarum tractu jam invaluit; dum interea *Rabbi Schimeon Benſchetach* ſub Hircani regimine methodum hanc in Palæſtinæ regiones intuliſſe fertur, quam non pauci ex Judæis cum Therapeutarum inſtituto fuerint amplexi; facilis inde formaretur conſecutio: longe ante D. Marci adventum in Ægyptum Therapeutarum viguiſſe familiam; ac proinde alios quosvis nomine eorum, ac veteres crediderint, a Philone fuiſſe deſcriptos; verum quoniam iſtud nullo ſatis veroſimili documento doceri, firmarive poteſt; Joſephus vero perantiquam Eſſenorum originem teſtetur; [1] non me a veritate aberraturum puto, ſi collatis inter ſe opinionum, auctorumque, quos adduximus, argumentis, Therapeutas quam plurimos ita ex genere Eſſenorum dixero: ut hi a D. Marco apud Alexandriam fide inſtituti, contemplationi ſeſe dediderint, atque a Philone Alexandrino ſubinde inſpecti, laudes, nomenque Therapeutarum adepti ſint.

Aſſertationis hujus Pars prior in primo ſtatim Libri de vita contemplativa limine conſpicitur, ubi Philo: *Poſtquam de Eſſæis diſſerui, qui vitam exercent activam, in omnibus, aut quod minus invidioſum dictu eſt, plerisque felicius: ordo poſtulat, ut deinceps dicamus de iis, qui Theoriam, ſeu contemplationem ſalutarunt*. De eodem genere hominum, licet ritibus nonnullis, ac nomine proprio diſcretorum, Philonem hic loqui, tam clarum, tamque perſpicuum videtur, ut nemo unus facile id negaverit, ſi modo præjudicata opinione mentem vacuam ſervaverit; utrumque enim, vita nempe activa, & contemplativa, uti ſe mutuo, ita Eſſenos reſpiciunt, ac ſub eandem familiæ cadunt rationem. Adſtipulatur D. Hieronymus, [2] qui, dum de origine vitæ cænobiticæ ſcribit: *Tales*, inquit, *Philo Platonis imitator, tales Joſephus, Græcus Livius, in ſecunda Judaicæ captivitatis hiſtoria Eſſenos refert*. Igitur Eſſenos quoſpiam ſub Chriſto Imperatore meruiſſe innuit; atqui non Practicos: iſtos enim alibi de Judæorum Secta fuiſſe diſerte dicit; proinde Theoriticos, quos Philo Therapeutas vocat. Nec te moveat: quod Joſephi Eſſenos ibi nominet Hieronymus, quos πρακτικὸς ſolum, & Judæos fuiſſe conſtat; ex his enim, quam plurimos Chriſto nomen dediſſe, ac Theoreticos factos extra dubium videtur, cum hoc ipſum doceat L. 2. Hiſt. c. 17. Euſebius; unde recte in rem præſentem ſcripſit Eruditiſſimus Baronius: *Plane perſpicuum eſt, eos, etſi nomine convenirent compluribus inſtitutis inter ſe fuiſſe diſtinctos: ac proinde Eſſenos Alexandrinos alios fuiſſe ab his, quos in Judæa agere ſolitos Joſephus affirmat*. Alios nimirum ritibus, & vitæ in paucis diſciplina non item diverſos communi originis nomine. Et vero, ſi ob probitatem Haſidæi vocari poterant practici, quid impedit? quo magis, qui contemplationi vacabant, id nomen meruerint? idcirco etiam ob ſummam Juſtitiæ, & Sanctitatis opinionem, morumque non minorem ſimilitudinem Eſſæi vulgo audiebant;

1 Joſephus Lib. 13. c. 2. Antiquit. Judaic.
2 In Epiſtol. ad Euſtoch. de cuſtod. Virginitatis.

quam ad rem faciebat apud imperitiores aliquid Jeſſæ, JESUque nominum affinitas; unde & Jeſſæi ab Epiphanio, ut ſupra retulimus, dicebantur.

In Aſſertionis partem alteram vel ideo majori propenſione feror: quod & a vetuſtiſſimis, optimiſque Auctoribus, quos dedi §. II. id doceri, tradique intelligam; & nihil deprehendam, quod enunciato huic repugnare, aut minus convenire videatur. Nam ſi D. Marci ſuſcepta in Ægyptum prima expeditio Apoſtolica ad tempus legitimum, quod e veterum Scriptorum documentis iniri poteſt, revocetur; facilis, ac expedita redditur via, cum ad ſecure progrediendum in præſenti, ut in ancipiti argumento, tum ad ſubmovendas, quæ enaſci, atque occurrere poſſent, difficultates. Itaque Marci Evangeliſtæ in Ægyptum profectionem optime ſtatui cenſeo cum Joanne Sollerio [1] ad extremos Tyberii annos, ita: ut ab anno Chriſti XXXVII. regiones Ægypto proximas triennii ſpatio percurrerit; anno deinde Chriſti XL. Alexandriam progreſſus ſit Caligula imperante. Quo poſito, non video, cur ex Alexandrinis plures, ſive Judæi, ſive Eſſeni ab Judæa [2] fuerint, ad Chriſti fidem Marci inſtitutione adduci non potuerint, vitamque (nonnulli duntaxat) ſeveriorem, ac legibus quibuſdam circumſcriptam, cui prius aſſueverint, in ſolitudine profiteri. Egerint proinde vitam omnibus Evangelii doctrinam ſuſcipientibus communem, ut hæc in Actis Apoſtolorum deſcribitur, [3] aliqui: alii, ut contemplationi rerum Divinarum liberius vacare poſſent, in villas, & hortos ſecretiores ſe abdiderint; horum inſtitutum Philo, ſub Cajo legationis munere perfunctus, reduxque Alexandriam, tum forte inſpexit, ut notavit Epiphanius; [4] Romam vero in cauſa gentis ſuæ ſecundo reverſus Claudio jam imperante, ex contracta ibidem cum Petro neceſſitudine, ejuſque ſuaſu in animum induxit, quos prius oculis ipſe uſurpaverat, ſcriptis laudibus commendare. Atque in hunc modum optime conciliari opinor Veterum illorum PP. quæ ſibi adverſari videntur, teſtimonia; namque gemina in Ægyptum Marci admiſſa profectio, omne in illis tollit diſſidium.

Sed firmanda rationibus eſt aſſertio, quibus ex Marci inſtitutione Therapeutas prodiiſſe clarum fiat. Et in primis illud mirandum: neminem ex Scriptoribus, ne remote quidem innuere, ante allatam ab Evangeliſta in Ægyptum fidem ejuſmodi inſtituti viros fuiſſe aliquos. Si Ethnicos Scriptores conſulas, qui ante Chriſtum vixerunt, & gentium diverſarum mores laudatiſſimos proſecuti ſunt, eos laudaſſe reperies Gymnoſophiſtas, Brachmanos, & ſi quos alios, qui vitæ moribus excellentis in orbe fuerunt, licet in remotiſſimis regionibus poſitos; at de Therapeutis, qui prædictos omnes facile antecellerent, quique plane ob oculos omnium eſſent in multis terrarum orbis regionibus, apud Græcos & Barbaros recepti, ne verbum quidem deprehendes; imo nihil de illis Joſephus, nihil prius Philo notavit, etſi cum practicis illis Eſſenis communem haud in paucis haberent diſciplinam. Joſephus certe, cum ſæpenumero in Eſſenorum laudes mirifice excurreret, cumque iis ſummam Gentis Judaicæ commendationem apud omnes conciliare poſſet ab eximio illo, tamque excellenti Theoreticorum inſtituto; tamen ne nomine quidem illos attigit; ne diviſionis in Theoreticos, & Practicos meminit; ſed eos tantum diſtinguit, qui cælibes, & conjuges erant. Idem Scriptor, cum de Practicis Eſſenis agit, monet diligenter: ipſos eſſe de genere Judæorum; ex quo ratiocinatur

1 In Hiſt. Cronolog. Patriarchar Alexandrinor. ſ. II.

2 Non obſtringebant ſe Eſſeni ad perpetuo ſervandum inſtitutum, in eoque vivendum. Nam Flavius Joſephus Eſſenorum Sectæ primum addictus, deinde ea poſita, Phariſæis adhæſit.

3 Actor. c. 4. v. 32.

4 Epiphan. Lib. de hæreſib. ſ. II. cit.

natur

natur Serarius: non ſatis erat dixiſſe, tria haberi apud Judæos Philoſophorum genera: Phariſæos, Sadducæos, ac Eſſenos; vel ſi ſatis hoc erat, cur non pariter Phariſæos & Sadducæos genere Judæos dixit? cur de Eſſenis, quorum ingreſſus erat deſcriptionem, id præcipue notavit; niſi, ut ab Theoreticis illos disjungeret Eſſenis, quos Philo Therapeutas dixit; quique ad nullam ex nominatis Judæorum ſectis pertinebant? Ipſe etiam Philo, cum ſicuti apud Perſas in pretio erant Magi, apud Indos Gymnoſophiſtæ, ita apud Judæos teſtatur eſſe Eſſenos, ingenti virtutis omnis ſtudio florentes; tamen in Libro, *De probi viri libertate*, ne una duntaxat Syllaba Therapheutas indicat; ſed ſolos Eſſenos vitam ſocialem agentes laudibus extollit; non alia, opinor, de cauſa: quam, quod librum, *Quod omnis probus* ſcribens, Therapeutas nondum noſſet, minus inſtitutum eorum haberet exploratum; at ubi ex Romana Legatione reverſus, virtutem illorum ſuſpexiſſet, ac merito adamaſſet etiam; poſtquam, in urbem rediens, Petri amicitia familiariter uſus, de vitæ ratione ab eis ſuſceptæ plenius edoctus fuiſſet; librum illis totum dicare voluit, ac priori ita conjunxit, ut ejus initio duas in partes genus Eſſenorum diſtribueret, in Practicos nempe, & Theoreticos; ſeque diceret de illis in libro, quem prius ſcripſerat, diſſeruiſſe; de his vero in poſteriore iſto *De vita contemplativa*; quod niſi feciſſet, nulla, neque poſterioris Libri hujus cum priore eſſet connexio, neque ulla Scriptori illi excuſatio, cur contra omnem methodi rationem, partes tam conjunctas, tam eidem argumento idoneas diſſipaſſet, ac divulſiſſet; cum, ut ſupra dictum, juſtiſſimam aliam excuſationem afferre nollet, ſe de Judæis nimirum antea dixiſſe, at Chriſtianos Eſſenos ſibi antea ignotos nunc aggredi. Argumentum hoc fuſius proſequitur Doctiſſimus Serarius; cui aliud deinde ſubjungit ex Hieronymo: [1] Therapeutas, dum Sacerrima Chriſti Doctrina longe, lateque per Apoſtolos in univerſum orbem procurrentes ſpargi cœpit, una illico latiſſime ſparſos, atque ad plurimas gentes prolatos fuiſſe: non enim Judæam, & Syriam, ubi prima Chriſtianorum Eccleſia, non Ægyptum ſolum incoluerunt, ſed ad gentes quoque alias, & orbis provincias penetrarunt, forte inde maxime: quod commota in Chriſtianos Hieroſolymis perſecutione, plurimos per orbem a Stephani morte dilabi, dividique contigerit; id autem in Eſſenos Practicos nullo pacto cadere poteſt, qui tam a Joſepho, quam Philone in Judæa ſola, neque alibi uſquam collocantur; & certo numero [2] comprehenduntur. Porro Therapeutis, DEIque cultoribus Philo nunquam Synagogas, ſed ſancta pietatis, gravitatiſque plena σεμνεῖα tribuit, quæ quid aliud erant, niſi deſtinatæ ſacris, diviniſque peragendis myſteriis ædes? at Eſſenis practicis Synagogas adſignat, quæ uni Judæorum genti, ut ex ſacris litteris conſtat, propriæ erant. Adjungunt alii ſeptem hebdomades ſeveri ante Paſcha jejunii, & diebus illis frequentes, in quos convenerunt, cœtus: Summam, perpetuamque caſtimoniam, & id genus alia, quæ Chriſtiano inſtituto ſunt domeſtica, illudque a cæteris gentium Sectis diſcernunt. [3] Sed immorari his ſupervacaneum duco, ac potius ad ſolvendas, quæ moveri poſſent, difficultates me confero.

Quod primum ad infirmanda ea, quæ hactenus adduximus, ex adverſo ſtatui poſſet, erit fortaſſe: quod Philo

1 Hieronym in Catalog. Script. Eccl. de Philone: *Non ſolum eos ibi* (in Ægypto) *ſed in multis quoque provinciis memorans*.

2 Philo in Lib. Quod omnis prob. *In his quidam nominantur Eſſæi, circiter quatuor millia*.

3 Præplaceret nobis Trivultianorum ſententia, quam etiam *h ſt. litter. Ital. T. IV. p.* 78. indicavimus, Therapeutas, quicumque demum fuerint, non fuiſſe initio Chriſtianos, factos deinde ex S. Marci inſtitutione; Sectæ enim hujus poſt Chriſtianam fidem in regionibus illis diſſeminatam nulla plane occurrit mentio.

 The-

Therapeutas laudandos veroſimiliter prius ſuſceperit, quam Marcus, Petri interpres, ad Alexandrinos pervenit. Hoc ita oſtendere conantur: Philo certe legatione functus eſt apud Cajum, & rurſum primis annis apud Imperatorem Claudium, quos a ſua gente multum abhorrere novit. Sive igitur hujus, ſive alterius animum inflectere, mitioremque reddere Judæis ſtuduerit, admirando iſto genere ſcribendi uſus eſt, ut duobus Libris laudes ſuorum complexus, nunc ſub Eſſenorum, nunc ſub Therapeutarum nomine, & ab excellenti virtute, & a ſublimioris Philoſophiæ ſtudio illos commendaret. At tum nondum Marcum in Ægypto verſari contigit; Eutychius enim Patriarcha Alexandrinus teſtis eſt, Marcum adhuc Neronis tempore Romæ cum Petro vixiſſe; ita namque ſcribit: [1] *Tempore Neronis Cæſaris ſcripſit Petrus, Apoſtolorum Princeps, Evangelium Marci cum Marco Lingua Romana in Urbe Romæ, & attribuit illud Marco.* Tantæ autem Eutychius eſt authoritatis inter Scriptores: ut de illo Seldenus pronuntiarit: *Mihi ſane Eutychius in hiſce eſt veluti Beda Ægyptius.* Quod, ſi verum eſt, jam neque inſtitutos a Marco Alexandrinos vidit Philo; neque amicitiam cum Petro colens ſub Claudio, de primorum in Ægypto Chriſtianorum vivendi norma quicquam audiit. Extra controverſiam quippe videtur eſſe: Philonem fere cum principio Imperii Claudii legationem obiiſſe, ac tum tantis laudibus Hebræos ſuos cumulaſſe: etenim tum iis auctioribus eſſe in Urbe licuit, & ſi Joſepho [2] fides eſt, Stola Pontificia, quæ ab Romanis ſervabatur, illis quoque reddita fuit. Marcus autem, ſcripto Evangelio ab Romanis, Aquilejam prius, ubi Epiſcopatum condidit, deinde in Ægyptum diſcedens, Alexandriam demum delatus eſt. Quod aut Neronis tempore, aut extremis Claudii annis eveniſſe veroſimillimum videtur.

Omnia hæc tenui, ac pæne nullo nituntur fundamento: ante Marci profectionem in Ægyptum de Therapeutis Philonem non ſcripſiſſe oſtendit Euſebius [3] docens: multis videlicet poſt annis, ubi Philo cum Petro familiarem Romæ congreſſum habuiſſet imperante Claudio, commentarium illum de *Vita contemplativa* fuiſſe editum. Marco itaque Roma, & ſubinde Petro excedente ex Urbe tractatum hunc nobilem Philo conſcripſerit. Non exceſſit autem Petrus primum Nerone imperium moderante, minus tum Evangelium Marcus contexuit, ut Eutychio Melchitæ, & Græcanici Schiſmatis homini viſum eſt. Hinc minime fidem meretur: nec ullius momenti ejus eſt authoritas apud eruditos; aperte enim ſecum ipſe pugnat, dum anno imperii Neronis primo occiſum eſſe ait Marcum Alexandriæ, quem prius Romæ cum Petro eodem tempore ſtatuit ſcribentem Evangelium. Audi loquentem: *Atque erat Marcus Evangelii auctor in Alexandria, & Barca, annis VII. & anno imperii Neronis Cæſaris jam dicti primo occiſus eſt Alexandriæ.* Vide, ut inepte nugetur, ut propterea merito a Reynaudo vapulet. Non eſt proinde ad Neronis initia differenda Marci apud Ægyptios prædicatio; in hoc enim Euſebio, Hieronymo, & Chronico Alexandrino manifeſte contradicitur; neque vero ſimile eſt, regiones Palæſtinæ adeo propinquas, tamdiu Evangelii luce caruiſſe, quam inferendam illis provinciis Marcus habuit ex diviſione orbis inter Apoſtolos, & Diſcipulos facta; ut communis fert perſuaſio.

Ne vero arbitrarie primum in Ægyptum Marci ingreſſum ad annum Chriſti XL. collocatum putes, accipe Chronicon Alexandrinum, in quo ad annum Caii Caligulæ III. Chriſti XXXIX. aut XL. reperies: *Marcum Evangeliſtam apud Ægyptios & Alexandrinos diverſatum, Verbum Chriſti annuntiaſſe, primumque Alexandriæ Eccleſias conſtituiſſe, quibus præfuit annos XXII.* In

1 Apud Joan. Solerium in Diſſer. Chronol. Patriarch. Alexandr. §. II. n. 6. &c.
2 Joſephus Lib. 20. Antiquit. cap. 1.
3 Euſebius L. 2. c. 17. Hiſtor. Eccl.

eandem

Digitized by Google

eandem ſententiam abit Georgius Syncellus ipſo illo anno XL. verbis pæne iiſdem utens: *In Ægypto, & Alexandria Salutis Verbum Marcus annuntiavit*. Habes igitur primam Marci profectionem authoritate firmatam, non mere excogitatam; qua ſemel ſtatuta nihil amplius impediet dicere, D. Marci opera Cives Alexandriæ, alioſque circum accolas ad fidem Chriſti: nonnullos etiam ad ſolitariæ vitæ ſtudium eſſe perductos.

Poſtremo illud a vero æque, ut alia, recedit, quod ex conſcripto a Philone commentario de laudibus Eſſenorum, & Therapeutarum Judæis auctioribus eſſe Romæ licuerit; ejuſdemque Philonis opera genti huic Stola Pontificia reſtituta ſit; nam id potius Agrippæ Claudio amiciſſimi cura, & labore impetratum fuit. Teſtatur enim Joſephus: [1] ancipitem Claudii animum de ſuſcipiendo a morte Caii imperio, Agrippæ conſiliis mire firmatum eſſe, qui idcirco nova regni augmenta cum ingenti favore, & Judæorum commodo in Judæa recepit.

COROLLARIUM.

SUpereſt, ut paucis differamus: an per D. Marcum Vitæ, ac Diſciplinæ Monaſticæ apud Ægyptios initium datum ſit? Quæſtioni huic ſatis ancipiti dum ſatisfacere jubeor, nolim ulla ex parte (judicium potius aliorum, quam meum præferens) antiquitati ſacerrimi Monachorum inſtituti quicquam hic detractum. Novi a Baronio, Cedreno, Montſauconio defendi, aſſerique: diſciplinæ Monaſticæ originem a Marci in fide diſcipulis repeti debere, ex eo fortaſſe: quod a Philone Therapeutæ aperte μονόβιοι, & μονάζοντες dicti ſint, atque in ædiculis, quæ σεμνεῖα, καὶ μοναστήρια vocabant, contemplationi vacaſſe perhibeantur. Confirmare id videtur Caſſianus, qui ad primævos Chriſtiani nominis Sectatores & ad ipſos Apoſtolos incunabula Monachorum refert; ita enim ſcribit: [2] *Cœnobitarum diſciplina a tempore prædicationis Apoſtolicæ ſumpſit exordium. Nam talis extitit Hieroſolymis omnis illa credentium multitudo*. Addit porro: cum non pauci, Chriſti legem profeſſi, a primo Charitatis æſtu aliquantum remiſiſſent, ac fidem ſuſceptam conjugiis, terreniſque facultatibus ſociare vellent; nonnullos, primævi fervoris retinentiores, in ſolitudines receſſiſſe, ſanctiſſimique inſtituti hæreditatem ibi traduxiſſe ad tempora uſque Pauli, & Antonii; & *illud ſolum*, ait, *antiquiſſimorum Monachorum genus, quod non modo tempore, ſed etiam gratia primum eſt, quodque per annos plurimos ſolum inviolabile duravit*. Hoc ſi verum eſt, conſentaneum erit, nihil, quod fidem excedat, admitti: ſi dicantur viri nonnulli in Ægypto ſolitudinis amore capti, novum vitæ genus a Marco præſcriptum ſuſcepiſſe; ac inde plurimum diſciplinam monaſticam ſuum habere initium. Verum non video, unde id recte deduci, aut quæ ſuppetere poſſint ſolida argumenta, quibus quis conficiat: primos in Eccleſia Hieroſolymitana Chriſti Sectatores, tam conjugia, quam patrimonia paſſim repudiaſſe; illud longe probabilius: quod nunquam deſuerint, qui privatim otio, Chriſtiano ſeceſſui, ſilentioque ſe dederent, & eas virtutes in locis abditis exercerent, quibus poſtea Monachi orbem erant illuſtraturi. Quos igitur Marcus prope Alexandriam inſtituiſſe fertur, Aſcetas verius, quam Monachorum initiatores dixerim; ita enim illos & ipſe Euſebius appellat [3] de Philone loquens: ἀλλὰ καὶ τὸν βίον τῶν παρ᾽ ἡμῖν ἀσκητῶν ὡς ἐνιμάλιστα ἀκριβέστατα ἱστορῶν, quæ Valeſius recte interpretatur: *Et cum Philoſophorum, Aſcetarumque noſtrorum vitam deſcribit, &c.* Nam Aſcetæ priſcis illis temporibus dicebantur, qui inter Chriſtianos ſtrictius quoddam, ac ſeverius vitæ genus amplexi ſunt, vocem hanc

1 Joſeph. Antiquit. Judaic. L. 19. c. 13. Pagius in Critica Baron. Stolæ hujus receptionem ad annum Chriſti XLIV. n. 3. ſtatuit.
2 Caſſianus Collat. 18. c. 5.
3 Euſeb. Hiſt. Eccl. L. 2. c. 17.

a Philoſophis mutuati, qui exercitationem virtutis, atque abſtinentiæ ἀσκητὰς vocabant. Hinc & Philo in illud: *Exercitatus eſt, Noe*: *pag. m.* 280. ἀσκητὴν pietatis exercitiis deditum appellat. Quamobrem male reprehendit Euſebium Scaliger, quaſi is Monachos a Marco inſtitutos Alexandriæ docuiſſet. Aſcetas Euſebius intellexit, qui ſemper in Eccleſia erant; Monachi vero, eorumque inſtituta ſerius cœperunt; namque ad hæc regula opus eſt, congregatione, peculiari veſte, quæ eos a vulgo diſcernat, exercitiis, officiiſque ad horas alligatis, & ſui ſemper ſimillimis; ut recte obſervat doctiſſimus Thomaſinus; [1] quæ cum Aſcetæ illi Philonis, aliique priorum trium Sæculorum, Solitarii homines non haberent, Monachi proprie dici non poterant. Unde, ſi eos Philo μονάζοντας appellat, vitæ ſolitariæ ſtudioſos hac voce exprimere vult, non ſub regulari diſciplina viventes; inauditum enim prorſus ab omni Chriſtianorum memoria fuit, Monachos verſari cum mulieribus, cum iis una vivere, una convivia celebrare, ac etiam choreas ducere; quod Therapeutis in more fuiſſe, idem Philo notavit.

Deinde, ante partam Eccleſiæ pacem, quæ ſub imperio Conſtantini M. feliciter primum obtigit, vix credibile eſt, potuiſſe diſciplinam Monaſticam in Therapeutis (ut contendunt) inchoatam efflореſcere; hoc enim crebræ vexationes, ac ſævæ a Chriſtiani nominis hoſtibus concitatæ in fidem tempeſtates non admittebant. Demum ſi originem ejuſmodi inſtituti ſiluiſſet Hiſtoria, non tacuiſſet certe ruinam. Quam ob rem incunabula vitæ Monaſticæ congrue referri poſſe puto ad Pauli, Antonii, Hilarionis, aut ſi mavis, Pachomii tempora: hunc quippe vitæ Monaſticæ regularis parentem, conditoremque ipſe fatetur Antonius diſcipulum dicti Pachomii Sacchæum ſic alloquens: *Quo ego tempore Monachum cœpi agere, nullum uſpiam extabat cœnobium*. Mox interjectis panculis: *poſtea Pater veſter tantum bonum*, *DEO adjuvante*, *effecit*. Ad Paulum tamen ſanctæ hujus inſtitutionis refert initia D. Hieronymus, ſpeciatim quæſtionem hanc verſans: [2] *Affirmant*, inquit, *Paulum quemdam Thebæum principem iſtius rei fuiſſe*, *quod non tam nomine*, *quam opinione nos quoque comprobamus*; ſed cum Paulus, etſi primus Solitariorum eſſet, propoſiti ſui alumnos, & imitatores nullos reliquit; Antonio Magno tam ſanctæ profeſſionis, non inuſitatæ ſolum, ſed latiſſime quoque propagatæ gloriam tribui paſſim legimus, id quod rurſum ex Hieronymo licet diſcere: *Aſſerunt*, ſcribit ille, *Antonium hujus propoſiti caput fuiſſe*, *quod ex parte verum eſt*: *non enim tam ipſe ante omnes fuit*, *quam ab eo omnium incitata ſunt ſtudia*.

Quæ cum ita ſint: in Philonis Therapeutis, (ſi ex inſtitutione Marci prodierunt, ut priſcos ſecuti, veroſimile eſſe diximus,) non jam Monachos, ſed Aſcetas ex vero ſuſpicimus; quibus ad hoc vitæ genus Marcum authorem fuiſſe, ſi quis aſſerat, nihil admittit, aut abs temporibus iſtis abhorrens, aut a veritate alienum. [3]

---

1 In vet. & nov. Diſciplina Eccleſiæ Part. I. Lib. 3 c. 12.

2 Hieronym. in vita Pauli.

3 Confer Antonellii V. CL. diſſertationem *de Aſcetis* inter opera S. Jacobi Niſibeni *p.* 107. *ſeqq.*

PARS

PARS SECUNDA.

Eccleſia Chriſti perſecutionibus exagitata.

CAPUT PRIMUM.

Gentilium ante ſuam converſionem ſtatus.

INterea temporis aliæ ſuper alias paſſim ſuccreſcebant Fidelium congregationes, ex Judæis, & Gentilibus conflatæ, quæ licet infra ſummam illam Eccleſiæ Hieroſolymitanæ perfectionem conſiſterent; non deſinebant tamen prodigii inſtar ſuſpici ob inſignem virtutis, & ſanctimoniæ ſplendorem, præcipue ſpectato Gentilium, in quo prius verſabantur, ſtatu. Solent fere in hiſtoriis peregrini homines ſibi perſuadere, mundum abhinc ſedecim ſæculis noſtro longe diſſimilem fuiſſe, hominesque tunc extitiſſe majori atque nunc integritate, innocentia & docilitate præditos, præſertim cum ſæpe audiantur nonnullorum voces, mundum quotidie in deterius ruere lamentantium, extentque etiamnum veſtigia quædam priſcæ bonitatis & ſimplicitatis Majorum noſtrorum. Verum longe aliter hac de re ſentiunt, quotquot Græcorum ac Romanorum tranſmiſſa ad nos monumenta ſtudioſius evolvunt. Initium Evangelii prædicatio ſumpſit, Imperatoribus Claudio & Nerone: horum aulæ quantis, quamque infamibus vitiis ſorderent, Tacitus locuples teſtis eſt; ejuſdem ſæculi mores perſtringunt Horatius, Juvenalis, Martialis & Petronius. Iſti omnes nefanda ejus ſæculi crimina publice inſectari non dubitarunt, eo quod publice illa perpetrare nemo veritus fuerit. Profecto non ſine ſapientiſſimo æternæ Providentiæ conſilio factum fuiſſe videtur, ut Auctorum ejuſmodi libri, etſi cæteroquin in vulgus noxii & peſtilentes, ad noſtras manus pervenerint, quo nimirum ex iis diſceremus, quanta ex abyſſo depravationis & corruptelæ Jeſus Chriſtus humanum genus extraxerit. Eandem temporum improbitatem confirmant in ſuis libris Suetonius, Auctoreſque Hiſtoriæ Auguſtæ, qui duo proxime ſecuta ſæcula deſcribunt, Apulejus item & Lucianus, verbo, quotquot de moribus peculiariter diſſerunt. Ipſi adeo Patres Eccleſiæ temperare ſibi non poterant, quin vocem ac ſtylum in eorum temporum mores acerrime & palam ſtringerent, quos inter præcipui fuere S. Auguſtinus, Tertullianus, SS. Cyprianus & Clemens Alexandrinus; quorum ſcripta, qui attento animo perlegat, mirari, credo, deſinet, potuiſſe ab Apoſtolo initio ſuæ ad Romanos epiſtolæ catalogum pertexi eorum criminum, quibus nihil infamius, nihil horribilius cogitari poſſit.

Aug. l. 1 de Civ. c. 4. &c. Tertull. Apolog. adv. Gent. c. 6. Cyprian. ep 1. ad Donat. Clem. Al. Pædag. l. 2.

Tam perditi mores ex Græcia, Ægypto & Oriente ad Romanos fluxerunt. Unum Ariſtophanem legat, qui Græcorum effuſam licentiam perſpicere volet. Porro tantum abeſt, ut poſt Ariſtophanis tempora meliores effecti ſint Græci, ut nova indies incrementa luxus & mollities caperent. Jam de Macedoniæ, Ægypti & Syriæ Regibus quæ monſtra flagitiorum Scriptores antiqui memoriæ non prodiderunt? Quam parum honorifica poſterorum judicia de Alexandria, de Antiochia & Corintho? Quam famoſæ effœminatiſſimo vitæ genere Jonii, Aſiæque minoris civitates? & tamen has inter ſordes puriſſima Chriſti Religio effloruit, inque peſſimis civitatibus optimi Chriſtianorum cœtus extiterunt. Neque ſolum univerſo Romanorum Imperio communis erat tanta morum perverſitas, ſed etiam publica omnibuſque perſpecta, imo religionis quodam obtentu veluti, ſacroſancta habebatur. Norunt eruditi, quid ſibi voluerint ritus nefandi in ſacrificiis Bacchi & Cybeles adhiberi ſoliti. Ubique Veneres, Adonides, Ganymedes, ubique Jovis furta & Metamorphoſes proſtabant: nullus hortus ſuo Priapo carebat;

rebat: nullus locus Deorum decantatis amoribus non perſonabat: Spectacula ipſa maximam partem aut crudelia, aut impura edebantur.

Ludorum genus uti frequentiſſimum, ita populo Romano maxime jucundum erant hominum in amphitheatris miſerandæ cædes, nunc infeſtis armis mutuo ſeſe appetentium, nunc a beſtiis, cum quibus pugnam committebant, fœdum in modum dilaniatorum. Quotidie ſervi & mancipia equuleis addicebantur, leviſſimas ob culpas atrocibus tormentis afficiendi. Præſides Provinciarum in eos, qui cives Romani non eſſent, crudeliter animadvertebant. Imperatores ipſi, nulla judicii ſervata legitima forma, quos vellent, capite damnabant, hinc tantum Patritii etiam ſanguinis in Urbe effuſum fuit. Par crudelitati avaritia erat. Omnia plena fraudibus, mendaciis, perjuriis, violentis oppreſſionibus. Argumento eſſe poſſunt ſolæ Ciceronis orationes. Sane ſi Verres unus homo, quo tempore Roma adhuc dum Reſpublica fuit, in una duntaxat provincia, triumque non amplius annorum curriculo tot crimina perpetravit; quid non auſuri erant ſub Nerone aut Domitiano Præfecti & Præſides Provinciarum complures, quibus præterquam quod ne accuſari quidem ultra metuerent, ipſa etiam Imperatorum exempla peccandi impunitatem ac ſtimulum afferebant? Sed vereor, ne longior ſim in re nota omnibus & pervulgata.

Juven. Sat. 8.

Ita fere comparati homines erant, ex quibus Chriſtiani, quales nunc deſcribam, efficiebantur. Hi ubi ſemel ***abluti*** & *ſanctificati* eſſent, derepente in alios homines, ſibique plane diſſimiles evaſerunt. Quanquam non ſunt diſſimulandæ hoc loco quædam animorum dotes, ac veluti ſemina bonæ mentis, quibus Inſtructi Græcorum & Romanorum complures haud plane inepti regno Dei videbantur. Ac primo quidem moribus, quoad hi exterius ſeſe proderent, perpoliti erant, quare una multa continentur, quæ etſi virtutes non ſint, virtutum tamen imagines nominari recte poſſunt. Hujuſmodi erant gravitas, tolerantia, lepos, affabilitas in colloquendo, in gratificando alacritas, & reverentiæ atque amoris teneræ vividæque ſignificationes, denique lux quædam urbanitatis ac decentiæ, quam in omni actione ſua Græci conſectabantur. Sunt iſta quidem natura ſua talia, quæ haberi ſine ſolida virtute poſſunt, & quibus qui careat, non continuo malus aut vitioſus eſt; attamen a perfecta virtute nunquam abeſſe ſolent, quippe quam exterior ille cultus & ſplendor amabiliorem reddit, ut virtus ipſa blandius ſe in animos hominum inſinuet. Adhæc abundabant illa tempora veris ac genuinis Philoſophis, hominibus, inquam, qui id unice ac ſerio ſpectabant, in id tota animi contentione incumbebant, ut invenirent, quo ſibi beate vivere liceret; horum omne ſtudium in eo verſabatur, ut veritatem agnoſcerent, agnitaſque virtutes opere ipſo exercerent. Uni huic ſtudio ut liberius vacarent, cæteris ſeſe negotiis curiſque omnibus, quæ ex arbitrio fortunæ pendent, ultro expediebant, nec ſumptibus ullis, nec labori, moleſtiiſque itinerum & peregrinationum parcentes, dummodo quod ipſi optimum judicarent, aliquando tandem addiſcerent. Sed neque Romani omnes per ea tempora uſque adeo depravatis moribus erant, ut nihil admodum retinerent de priſca magnanimitate, conſtantia, cæteriſque virtutibus, quibus Majores ipſorum quondam inſigniter floruerant.

1. Cor. 6. v. 11.

Recognit. Clem. init. Juſtin. in Tryphon. init.

Animis in hunc modum comparatis ubi primum Evangelii gratia illuxit, fieri non potuit, quin maximi præſenteſque fructus progignerentur. Teſtis ejus rei eſt Cornelius Centurio Romanus, primuſque inter Ethnicos, cui is favor divinitus obtigit: teſtes Martyrum complures atque inſigniores, ut SS. Laurentius, Vincentius & Sebaſtianus: teſte denique Epiſcopi bene multi longeque celeberrimi, ut Cyprianus, Ambroſius, Leo, in quibus omnibus Romanæ generoſitatis expreſſa, atque eminens imago relucebat. Porro gravitatis illius, quæ Græciæ Philoſophos tantopere commendabat, exempla nobis ſuppeditant Acta S. Polycarpi & S. Pionii Presbyteri Smyrnenſis, ac S. Clementis Alexandrini, quorum volumina præter reconditam eruditionem a ſtyli elegantia mirum in modum commendantur.

Digitized by Google

dantur. Compreſſa nimirum per Chriſtianam humilitatem Romanorum feritate & Philoſophorum faſtu, veri tandem ſapientes formari cœperunt, qui ubi ſemel fidei noſtræ magiſterio didicerant, quis finis, quæ meta hominibus propoſita eſſet, ad hanc unam vitæ actiones omnes dirigebant. Tam egregie exculti, atque ad ſumma omnia a natura & inſtitutione facti formatique homines, ſimul atque a voluptatibus & lucri cupiditate abſtraxere animum, continuo etiam manſueti, faciles ſimpliceſque effecti ſunt, illo nimirum ſimplicitatis genere, quæ dolum omnem tanquam generoſo animo indignum averſatur.

Accedit, quod Religio Chriſtiana in ipſo Imperii atque adeo Urbis Romanæ meditullio tum temporis nata fuit & ſtabilita, cum Romanorum res maxime florerent, ſæculumque ageretur, quo nullum antea, ſi ingeniorum præſtantiam ſpectes, illuſtrius, nullum, ſi morum pravitatem attendas, inquinatius fuit; neque magis efferre ſe, ſuamque mortalibus divinam plane vim ac virtutem luculentius probare lex Evangelica potuit, quam cum de duabus ſibi maxime oppoſitis animorum diſpoſitionibus, veluti de juratis hoſtibus quendam quaſi triumphum egit. Pugnabat enim cum ſimplicitate legis Chriſtianæ fideique humilitate multiplex ſcientia & mentis elatio; ejuſdem porro legis puritati, & in genere morum ſeveritati ſumma ſæculi perverſitas cordiſque humani depravatio extreme adverſabantur: id quod animadvertere hoc loco neceſſe fuit, ne quiſquam ſibi perſuadeat, nonniſi cum indocta leviſſimeque credula multitudine Apoſtolis decertandum fuiſſe.

CAPUT II.

Inſtitutio ad fidem, & Baptiſmus.

PRædicandi Evangelii ratio varia & multiplex erat pro diverſa diſcentium indole. Judæi convincebantur ex libris Propherarum aliiſque argumentis e Vetere Inſtrumento & Traditionibus ipſorum petitis. Ethnici vero adducebantur rationum momentis, nunc planius magiſque populariter, nunc ſubtilius doctiuſque, ut cujuſque ferebat ingenium, propoſitis ex authoritate cum Poetarum, tum Philoſophorum inter ipſos Gentiles inſignium. Utriuſque generis homines prodigiorum frequentia & magnitudine commovebantur. Exempla tam variæ inſtructionis ex Actis Apoſtolorum multa ſuppetunt. De Deo rebuſque divinis non prius agebatur, quam cum attentus & quietus auditor eſſet; quodſi forte, uti ſæpe uſuveniebat, in cachinnos ſolvi, aut contractiore vultu faſtidii aliquid præſeferre Infideles inciperent; illico Chriſtiani, ne profanationi, verborumque impietati anſam darent, ſermonem abruperunt. Progrediente die libri vulgabantur nonnulli, ad demonſtrandam falſæ Religionis inanitatem, atque ad deducendos a præjudiciis ſuis Infideles, conſcripti; hujuſmodi erant SS. Juſtini Martyris & Clementis Alexandrini Monita ad Gentiles. Sed nihil æque Chriſtum Ethnicis perſuaſit, ac miraculorum copia, & Chriſtianorum in vita probitas, in morte conſtantia.

Act. b. 25 in Luc. 4. 11. — *Actor. 2. 14. v. 3. 12. v. 13. 16. v. 14. 14. v. 17. &c.* — *Clem. Recogn. ivo Juſt. in Tryph.*

Qui Chriſtianis accenſeri cupiebat, Epiſcopo ſive Sacerdotum alicui ſiſtebatur, qui continuo Candidatum examinabat, ut diſpiceret, verane & ſincera hominis vocatio eſſet. Non enim deerant impoſtores, qui per ſpeciem amplectendæ fidei Fideles ipſos Tyrannis proderent. Aliunde vero metuendum erat, ne, nullo delectu habito, admitterentur homines varii atque inconſtantes, qui prima quaque coorta tempeſtate, defectione ſua Eccleſiæ fraudi & dedecori eſſent. Hac præmiſſa cautela Catechumenus accurate inſtituebatur Fidei dogmatibus, morumque præceptis, quibus diſceret a ſuſcepto baptiſmo chriſtiane vivere. Hujuſmodi inſtitutiones morales ſunt argumentum libri S. Clementis Alexandrini, quas *Pædagogum* inſcripſit.[1]

Origen. cont. Celſum 8. in fin.

Poſtea-

[1] De catecheſi primorum Chriſtianorum conſule præter Chardonium in *hiſtoria Sacramentorum*, & Martenium *Lib. 1. de ant. Eccleſiæ ritibus lib. 1. c. 1. art. 5.*, eoſque

qui

Poſteaquam Epiſcopi judicio ſufficienter inſtructi tentatique erant Catechumeni, ab Epiſcopo ipſo ſalutaribus aquis tingebantur, [1] & quidem in pervigilio Paſchatis aut Pentecoſtes, ſi quidem integrum erat, certum diem huic rei ſtatuere. [2] Cæterum ubi proxime imminens cœptave jamjam perſecutio, vel alia urgens neceſſitas moram non ferebat, quovis anni tempore baptiſmus conſerebatur. Hunc in finem fontes aliqui ex Eccleſiæ diſciplina conſecrabantur, [3] & Catechumenus, quo ſe melius diſponeret, jejunare totum diem, ad quæſita reſpondere, & fidei ſuæ rationem reddere prius debebat. [4] Statim a Baptiſmo [5] Epiſcopus Confirmationis Sacramentum, [6] deinde re divina peracta, Euchariſtiam impertiebatur; [7] denique lac & mel a ſe rite benedictum man-

Acta S. Corn. Pap. apud Bar. anno 255. Acta St. Hippol. & Euſeb ſup. cit. Acta S. Steph.

Pap. apud Baron. anno 269. Acta S. Suſan ap. Baron. anno 249 S. Cypr. & Dion. Al. apud Euſeb. l. 7. c. 20

---

qui de Scholis catecheticis veterum Chriſtianorum egerunt, ut Auliſium *part. II.* operis inſcripti *delle Scuole ſacre*, & Thomaſſinum *Tom. 1. Diſcipl. Eccl. p. I. lib. 2. c. 9.*, conſule, inquam ex Acatholicis, ſi licet, Joh. Reinbolti diſſertationem *de catecheſi veterum* 1645., Michaelem Waltherum *de catechizatione veterum*, Vitembergæ 1688, Joh. Andr. Schmidium *de catechizatione veterum*, Gebhardum Theodorum Mejerum diſſ. *de tribus novellorum naſcentis Eccleſiæ Chriſtianorum initiamentis, baptiſmo, catechiſmo, & manuum impoſitione*, Helmſt. 1690. Adami VVilde exercitationem exegetico-hiſtorico-polemicam *de forma Catecheſeos Paulinæ*, Roſtoch. 1702. Jo: Henrici Krauſii diſſert. hiſtoricam *de catechetis primitivæ Eccleſiæ*, Lipſiæ 1704., Joh. Georgium VValchium diſs. *de Apoſtolorum inſtitutione catechetica*, Jenæ 1728. alioſque apud Joh. Albert. Fabricium in *Salutari luce Evangelii* p. 187.

1 Licebat tamen ipſis quoque Presbyteris, atque adeo Diaconis baptizare, non tamen repugnante, vel non conſentiente Epiſcopo. Audi Tertullianum *de Bapt. c.* XVII.: *dandi baptiſmi jus quidem habet ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi*, NON TAMEN *ſine Epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ honorem*. Similiter Hieronymus *Dialog. contra Lucifer. inde venit*, inquit, *ut ſine... juſſione Epiſcopi neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi*. Vide etiam S. Ignatium *epiſt. ad Smyrn. n.* 8. & Siricium Papam *ep.* 10. Huc ſpectat Boehmeri diſſertatio *de jure dandi baptiſmum* in diſſertationibus *Juris Eccleſ. antiqui*.

2 Et quandoque in Feſto Epiphaniæ, aut die Natali Jeſu Chriſti. Conſer Launoy, & Joh. Nicolai diſſertationes *de veteri uſu Baptiſmi* Paris. 1670. Martenium *lib.* 1. *c.* 1. Chardonium in hiſt. Sacram., & Paciaudium Antiquit. *Chriſtian. diſſ.* 2. *c.* 5. ubi animadvertit, ſanctiſſimis hiſce diebus additum aliquando Feſtum S. Johannis Baptiſtæ.

3 Addi de fontibus Baptiſmalibus præter Chardonium, cujus de Baptiſteriis diſſertationem infra dabimus, Martenium *loc. cit.*, P. de Rubeis *de Sacr. Forojul. Ritib. c.* XXVII., P. Paciaudium *loc. cit.* & Joh. Henrici VVedderkampii diſſertationem *de Baptiſteriis Veterum* Helmſtadii 1703.

4 Exſtat Chriſt. Gottlieb Klugii *de ritu interrogandi infantes de fide ante ipſam aquæ divinæ effuſionem* commentarius Vittembergæ 1731. & 1734.

5 Præter Auctores, quos in notis ad Partem III. c. 1. citabimus, Baptiſmi veteris ritus, conſer e Proteſtantibus Jo: Muſæi diſputationem *de ritibus primitivæ Eccleſiæ baptiſmalibus* Jenæ 1674., Jo: Hildebrandi *rituale baptiſmi veteris*, & Joh. Godefridi Zentgravii diſſertationem Jenæ 1749. *de ritibus Baptiſmalibus ſæculi ſecundi*.

6 De Confirmatione præter Bellarminum, alioſque Theologos, ut Tournelium, Vvitaſſium, P. Piacevich Tom. I. *de Sacram.* vide Martenium *lib.* 1. *c.* 2. Chardonium *in hiſt. Sacram.*, Vicecomitem *Obſerv. Eccleſ. Vol.* II. Holſtenium in diſſ. duplici *de forma, & miniſtro Sacramenti Confirmationis apud Græcos*, alioſque citatos a Fabricio in *Bibliographia antiquaria* p. 395. Ceterum quum traditione Apoſtolica præter Epiſcopos nemini baptizatorum confirmandorum jus eſſe conceſſum conſtet (qua de re vide præter citatos, Samboviunı in Tract. *de confirm. p.* 318., & P. Coutantium *in ep.* 25. *Innocentii I.*) ſicubi morem obtinuiſſe comperimus, ut a Presbyteris baptizati conſignarentur, quemadmodum ex Apoſtolicis Conſtitutionibus Joh. Morinus arguit in opere poſtumo *de Confirmatione c.* 8., hoc ſane *commiſſione* quadam factum putabimus, non arbitratu Presbyterorum. Conſer Benedictum XIV. *de Synodo Diœceſana Lib.* VII. *c.* VIII.

7 *Hiſtoriam Euchariſtiæ infantium* Lutherianorum erroribus ſcatentem edidit Berolini ann. 1736. Petrus Zornius; quod argumentum Johannes Fridericus Mayerus Lu-

theran-

Digitized by Google

[1] manducandum præbebat, [2] quo intelligeret novus homo, tunc demum veram ſe Terram Promiſſionis, Chriſti videlicet Eccleſiam, intraſſe. Liberis parentum Chriſtianorum etiam ante uſum rationis, imo ante octavum a nativitate diem, ſimul atque a parentibus offerebantur, baptiſmi copia fiebat, [3] nominaque utplurimum imponebantur, vel ab Apoſtolis derivata, vel certe talia, quæ pium aliquid redolerent. Adultorum vero nomina in baptiſmo non videntur in alia fuiſſe commutata; cum Sanctorum complures videamus falſorum Deorum nominibus compoſita retinuiſſe vocabula, cujuſmodi erant nomina Dionyſii ſive Bacchi, Martini item &. Demetrii, quo ultimo nomine Ceres appellabatur. [4] Recens baptizatis præſto erant cum ii, quorum opera ad ſacrum fontem perducti fuerant, [5] tum vero Presbyteri, qui diu multumque in vitam & mores novorum Chriſtianorum excubabant, ut ipſos in bene cœptis magis magiſque confirmarent, atque perficerent.

CAPUT III.

Vita novorum Chriſtianorum, & ſpeciatim precandi ratio.

Vitam igitur novelli Fideles ordiebantur plane novam internam atque adorationes cœleſtes penitus exactam. Prima ipſorum ac præcipua occupatio ea fuit, quam principe loco Apoſtolus commendat, fervens inquam oratio; iſtam cum *fine intermiſſione* fieri idem Apoſtolus ex Chriſti præcepto velit, nihil non agebant Chriſtiani, ut ferme continens eſſet, neque niſi breviſſimo tempore interrupta precatio, rerumque commentatio divinarum. In communi, quoad licebat, preces fundebant, probe gnari, eo plus efficaciæ ad obtinenda Dei dona habere orationem, quo major in terris ad comprecandum multitudo con-

1 ad Tim. 2. v. 18. 1. Epheſ. 5. v. 17.

S. Igna. ep. ad Epheſ. & alibi.

therianus & ipſe pertractarat in *Commentario hiſtorico-Theologico de Eucharistia Infantibus olim data* Lipſiæ 1673. Sed ex noſtris, ut omittam Bellarminum, & Natalem Alexandrum, conſule Chardonium in *hiſtoria Sacramentorum*, & Meldenſium Antiſtitem Boſſuetiuoi in libro *de Communione ſub utraque ſpecie*.

1 In Africanis Eccleſiis hocce lac, atque mel ipſo Paſchatis die benedicebatur ſupra altare. Vide Concilium Carthaginenſe anni 397.

2 Habemus Chriſtophori Zeibichii de *Infantatione per concordiam lactis & mellis baptiſmalis* Vittemberghæ 1736. commentarium. Vide & Chardonium *de Baptiſmo p. II. cap. xi.* Ceterum quod Simplicius Verinus, ſeu Salmaſius, poſtque ipſum Suicerus *Theſauri Eccl. p.* 1136. adſeruit, antiquos pro Euchariſticis panis ac vini ſpeciebus lac & mel veluti communionem Infantibus tradidiſſe, a Zornio egregie refellitur *in hiſt. Euchar. Infant. c.* 2.

3 Pædobaptiſmum non Catholici modo, ut Bellarminus, Tournelius, ac nuperrime Johannes Comes Acamius in epiſtola de *Pædobaptiſmo ſolemni in Eccleſia Latina & Græca* Romæ 1755. ſed ipſi Proteſtantes pluribus ex omni antiquitate depromptis argumentis propugnarunt adverſus Anabaptiſtarum commenta: Binghamus in his eminet, & Johannes Georgius Walchius in *hiſtoria Pædobaptiſmi quatuor priorum ſæculorum* in ejus *Miſcellaneis* recuſa.

4 De his plura dabit Chardonius in Diſſertatione *de ſuſceptoribus*, quam ſuo loco exhibebimus. Extat etiam Ger. Henricus Goetzius *de nomine unda ſacra abluendis impoſito*, *Lubecæ* 1728.

5 De Patrinis confer ex Catholicis præter veteres Tertullianum *de Bapt. c.* 18.] Auguſtinum *Serm.* 163. *de tempore*, Jonam Aurelianenſem *de Inſtitutione Laicali l.* 1. *c.* 6. Menardum *ad Sacram S. Greg. Magni p.* 107. Martenium *l.* 1. *de ant. Eccl. ritib. c.* 1. Baluzium *ad homiliam* xii. *S. Cæſarii Arelat.* & Chardonium, cujus infra dabimus hoc de argumento diſquiſitionem. In eodem argumento ex Proteſtantibus, ut Binghamium omittam, verſati ſunt Johannes Gerardus Simon in diſſ. *de patrinis* Jenæ, Gerardus Von Maſtricht in *ſchediaſmate de ſuſceptoribus Infantium ex Baptiſmo* Diusburgi 16;0. recuſo deinde ann. 1727. Guilelmus Wilckius *de Fidejuſſoribus in baptiſmo Veteris Eccleſiæ* Vittembergæ 1707. & Iſaacus Junit *de ſuſceptorum Baptiſmalium origine*, *Argentorati* 1755.

ſpiraret

ſpiraret, ipſomet Chriſto Domino id aſſeverante: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis eſt. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Præterquam quod præſentia Paſtoris major precibus authoritas accedat, & congregatorum in orando fervor ac modeſtia devotionem mutuis exemplis ſoleat incendere.

Matth. 18. v. 19. & 20.

Publicæ preces, quibus maxime frequens populus intererat, eæ potiſſimum fuere, quæ mane & veſperi perſolvebantur, quaſque Catholici nos *Laudes* & *Veſperas* hodieque nominamus. Admonebantur Fideles, ut diei exordium juxta ac finem Deo conſecrarent, caverentque ab hac pia occupatione ſeſe eximere terrenorum obtentu negotiorum, ut quæ ſervire ſolum ſpiritualibus & in poſtremis curis haberi a Chriſtiano debeant. Preces illæ matutinæ, quas nos *Laudes* appellamus, eoquod ad laudandum ſacris carminibus Deum pertineant, videntur ſubrogatæ fuiſſe in locum ſacrificii matutini Antiquæ Legis, & inter nobiliores divinæ pſalmodiæ partes jure merito numerari debent, id quod demonſtrant commemorationes Sanctorum, cereorum ardentium & Incenſi uſus in iis adhiberi ſolitus. Porro Veſperæ noſtræ ſacrificio veſpertino ſucceſſerunt, ſpectantque ad nocturnum tempus pie ſancteque auſpicandum. Eædem quandoque *lucernarium* appellabantur, quod ſub id tempus lucernæ accendi inciperent, & nos hodiedum hymnos aliquot in Veſperis cantamus *, qui lampadum & cœnæ mentionem faciunt. Qui ad publicas preces convenire non poterant, ut ægroti, captivi, & in itinere conſtituti privatis in congreſſibus, quanti quanti erant, ſacrum illud penſum Deo exſolvebant; imo vel cum ſoli agerent, non ceſſabant ſua orationi deſtinata tempora impendere.

Conſtit. Apoſt. 2. c. 59.

Baron. an. 34.

Etenim præter matutinum ac veſpertinum tempus horis diei tertia, ſexta & nona, denique concubia nocte precationi vacabatur; id quod Tertullianus, S. Cyprianus & S. Athanaſius non modo diſerte affirmant; verum etiam rationibus atque exemplis e Vetere & Novo Teſtamento adductis: neque auctoritate neque arcana plenaque myſteriis ſignificatione carere eam precandi conſuetudinem oſtedunt. Horæ iſtæ numerabantur ex more Romanorum, qui diem tum ab ortu Solis ad occaſum dividebant in duodecim horas inter ſe quidem æquales, ſed tamen pro dierum longitudine aut brevitate nunc majore nunc minore ſpatio definitas. Duodecim item horis & quatuor partibus, quarum quælibet tres horas explebat, nocturnum tempus includebatur. Quatuor iſtæ noctis partes *Vigiliæ* ſive *Stationes* nominabantur; quatuor enim vicibus mutari belli tempore excubiæ ſolebant. A diebus æquinoctialibus exemplum cape: ab hora apud nos ſexta matutina uſque ad ſeptimam *Prima* nominabatur: quæ nona nobis eſt, ipſis *Tertia* erat: quæ nobis duodecima, apud ipſos *Sexta* numerabatur: porro quam nos horam a meridie tertiam nominamus, ipſi *Nonam* dicebant; denique hora apud nos ſexta veſpertina ipſis *Duodecima* ſeu *Veſperæ* audiebant; ut adeo quovis die tertia quaque hora orationes ad Deum funderentur. [1]

Tertul. advers. Pſych c. 10. Cypria. de orat Dom. Athan. de Virg. adde S. Hieron. ad Euſtoch. de cuſtodia virgin. Tom. I.

---

* O Lux beata Trinitas &c. Lucis Creator optime &c. Creator alme ſiderum &c. Vergente mundi veſpere &c. Ad cœnam Agni &c.

1 De hujuſmodi precibus plura infra in Diſſertationibus. Confer Clementem Alexandr. *Lib. VII. Stromatum*, Originem *Lib. de Oratione*, Bellarminum *de bonis operibus lib.* 1. c. 2. Card. Bonam *de divina Pſalmodia cap.* 4. ſeqq. Hugonem Menardum *ad Sacrament. S. Greg. Magni p.* 273. *ſeqq.* Martenium *de ant. Eccleſ. ritib. lib.* 4. c. 1. P. Stephanuccium in Diſſert. Canonica *Romæ* edita *an.* 1755. *de celebratione Miſſarum & divinis officiis p. I. cap.* 1. Adde ex Heterodoxis Adamum Rechenbergium *de horis Canonicis Lipſiæ* 1677. Joachimum Hildebrandum *de precibus Veterum Chriſtianorum Helmſtadii*, 1655. Johannem Andream Ivenſtedium *de precibus publicis*, *Pſalmorum cantu, nec non ſacrorum ordine*, *Wittembergæ* 1686.

Præ-

Præterea nocturno tempore, imo dimidia nocte ſurgebatur ad confitendum Domino, exemplo Davidis in ſuis pſalmis, & Sancti Pauli ac Silæ, qui virgis prius cæſi, tum in interiorem carcerem compacti *media nocte orantes laudabant Deum*. Agit de hac nocturna prece Tertullianus, [1] & multis eam Sanctus Cyprianus [2] commendat; eandem orandi nocturno tempore conſuetudinem Patres omnes vehementer probant, velut aptiſſimam ad caſtigandum corpus, animumque per noctis ſilentium ad divinas res erigendum. Adhæc admonebantur Fideles, ut noctis minimas etiam partes, quas forte inſomnes ducerent, bene utiliterque collocarent pſalmorum, ſive Dominicæ orationis [3] pia meditatione. Symboli quoque uſus inculcabatur, appetente die & quolibet ingruente periculo recitandi.

Pſal. p. 118 v. 62.

Act. 16. v. 25.

Ad extremum iidem, quo frequentius Deum cogitarent, cumque ipſo, quantum Mortalibus fas eſt, aſſidue ac perpetuo agerent, quamlibet actionem peculiari precatione veluti condiebant. [4] Seu domi, ſeu in agro faciendum opus eſſet, laboris initium & finis oratio erat: ſine iſta nec ædes ædificari, nec primum incoli cœptæ; neque niſi præmiſſa oratione ad texendum pannum, ad veſtem concinnandam, corporive accommodandam, verbo ad quamcunque licet obviam & uſitatam occupationem ſeſe conferebant. Juvat hic audire S. Hieronymum, qui in Epiſtola, qua Marcellam ad rus Bethlehemiticum invitat, ita loquitur: *Quocunque te verteris, arator ſtivam tenens Alleluja decantat: ſudans meſſor pſalmis ſe avocat, & curva attondens vites falce vinitor aliquid Davidicum canit. Hæc ſunt in provincia carmina, hæ, ut vulgo dicitur, amatoriæ cantiones*. Idem de domeſticis occupationibus in eandem ſententiam alibi iſta ſcribit: *Nec cibi ſumantur, niſi oratione præmiſſa, nec recedatur a menſa, niſi referatur Creatori gratia .... egredientes de hoſpitio armet oratio; regredientibus de platea oratio recurrat antequam ſeſſio; nec prius corpuſculum requieſcat, quam anima paſcatur*. [5] Exempla ejuſmodi precum varia videre eſt in variis benedicendi formulis, quæ in Ritualibus hodiedum extant. Salutationes initio literarum, & in fortuito mutuoque occurſu adhibitæ, præter amicitiæ ſignificationem, aliquid piæ precationis continebant. Crucis ſigno tanquam compendiaria formula bene precandi ad minima quæque utebantur. Eo frontem ſuam identidem & in momenta prope ſingula muniebant, videlicet quoties egredi domo, aut eodem reverti, aut naturæ neceſſitatibus in capiendo cibo & quiete ſatisfieri, aut demum,

Tom. I. Ep. ad Marcel. in fin.

Ep. ad Euſtoch. de Cuſtod. Virg.

Chryſ. hom. 5. in Ep. ad Theſ.

Tertul. de Cor. c. 3. S. Cypr.

---

1 *Lib. 2. ad uxor. c. 5. & in apologetico.*

2 *De Oratione Dominica* ſub finem.

3 Vide Cyprianum in cit. lib. *de oratione Dominica*, & Ioh. Georgii Walchii *de uſu orationis Dominicæ apud Veteres Chriſtianos*, *Jenæ* 1729. diſſertationem.

4 Duo heic ritus indicandi, qui a Chriſtianis ſuis in precibus religioſe ſervabantur. Nam primo Orientem ſpectare conſueverant, quem quidem ritum e Proteſtantibus illuſtrant Joachimus Hildebrandus in *Sacriſ. antiquitatibus de precibus Veterum Chriſtianorum Lib. 2. c. 1.* Jacobus Thomaſius *de ritu Veterum Chriſtianorum precandi verſus Orientem*, *Lipſiæ* 1670., Johannes Caſpar Lœſcherus in *Obſervationibus ſelectis Faſcic. II. p. 47.* ex Catholicis Card. Bona in lib. *de divin. Pſalmodia p. 439. operum*, Jacobus Billius *ad Nazianzeni epiſtolam* 66. Petavius *de opificio ſex dierum*; Auctor vero *quæſtionum ad Orthodoxos* inter Juſtini M. opera q. 118. & Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in *Theoria Eccleſiaſtica & Myſtagogica* ab ipſis Apoſtolis repetunt. Confer etiam Clementem Alexandrinum *Lib. VII. Strom.* & Origenem *de Oratione n. XXXI.* Deinde manus eleviabant orantes Chriſtiani; unde & in eorum ſepulcralibus titulis non ſemel elevatis, expanſiſque manibus exhibentur apud Lupium Boldettium, ac Marangonium. Hunc quoque ritum citatus Hildebrandus pluribus perſequitur; Adamus vero Rechenbergius de χειραρσία hoc eſt *elevatione manuum precantium* ſingularem edidit diſſertationem *Lipſiæ* 1688.

5 Confer Tertullianum *Apolog. c. 32.* Juſtinum *Apolog. I. n. 16.* Origenem *contra Celſ. l. 8. n. 65.* & Clementem Alexandrinum *l. 7. Stromat.*

Hier. Ep. ad Euſtoch. abi ſup.

alia id genus curari, agique neceſſe forte. *Ad omnem actum*, inquit Hieronymus, *ad omnem inceſſum manus pingat crucem* [1].

CAPUT IV.

Studium ſacrarum Scripturarum.

Athan. ep. ad Marcell.

PRecum hactenus deſcriptarum veluti corpus ex pſalmis ſemper conſtabat, qui diſerte & graviter recitati mirum quantum ad inſtituendos homines faciebant. Compendio enim referunt, quidquid ſacris codicibus continetur, normamque præbent eorum dictaminum, quæ tenere & ſequi in variis humanæ vitæ conditionibus probus Chriſtianus debeat. Cum pſalmis aliorum ſacrorum Codicum lectio nunquam non conjungebatur, [2] ex qua *Capitula*, ut nos loqui ſolemus, in Horis Officii Sacerdotalis originem ſuam duxere. [3] Nocturnæ præces uti prolixiores erant, ità plus ſacræ lectionis continebant; & quoniam Miſſæ Sacrificium in toto divino officio primatum tenet, plurima hoc etiam ſuppeditabat, quæ ad inſtituendos Fideles pertinebant. Nullæ ſcripturæ pro divinis lectitabantur, præterquam eæ, quæ in *Canone* haberentur, id eſt, quæ Eccleſiæ perpetua traditione veluti publica auctoritate inſignes & probatæ eſſent. *Apocrypha*, ſive quod idem ſignificat, occulta & incerta nominabantur ea, quæ adjungere privatus aliquis conabatur. Ne Eccleſiaſtici libri amanuenſium temeritate corrumperentur; addebant illis interdum adjurationem, qua per Dei judicium librarium obteſtabantur, ut libros illos exacte & fideliter deſcriberet. Exemplum habemus in extremo libri S. Irenæi [4]; hujuſmodi etiam diræ ſunt, quas in Apocalyſis fine legimus [5].

V. Orig. ad Afric. p. 219. & in Matth. XXIII hom. 26.

Euſebius hiſt. Eccl. l 5. c. 20. Apoc. XXVII. 26

Erat igitur Eccleſia Dei non ſolum Domus orationis, verum etiam ſchola ſalutis. Evangelia cæteroſque ſacros Codices Epiſcopi exponebant aſſiduitate nihilo minore, quam Profeſſores SS. Litterarum aſſolent, auctoritate vero longe etiam majore; ex quo factum fuit, ut Doctoris nomen fere ſolis Epiſcopis ab Antiquis Scriptoribus tribueretur. *Docebant* autem *publice & per domos*, quemadmodum Apoſtolus loquitur: docendi porro methodum cuicunque ſtatui accommodabant, uti in Epiſtolis ad Titum & Timotheum obſervatum cernimus. [6] Illud maxime cavebant, nequid ſuomet ingenio excogitarent, ac veluti de ſuo in medium afferrent; ſed ſatis habebant, bona fide retuliſſe, quidquid ipſi a Patribus ſuis ſpiritualibus, hoc eſt, ab antiquioribus ſe Epiſcopis & Presbyteris accepiſſent, Traditione uſque ad tempora Apoſtolorum nunquam interrupta. Iidem Epiſcopi Fidelium animos imbuebant ingenti odio quarumcunque novitatum, præſertim in doctrina fidei, ut adeo,

Act. 20. v. 20.

S. Ign. Ep. ad Polycarp Tertull. de præſcript. c. 8

S Iren. ap. Euſ. V. hiſt. 20.

S. Clem. Alex. ſtrom. 1. init.

Pap. ap. Euſeb hiſt. III 3.4. & V. 21.

---

1 Similia invenies apud Origenem in *Ezech.* T. I. p. 338., & S. Cyrill. Hieroſolymit. *Catech.* 4. & 13. confer Gretſerum *de Cruce*.

2 Conſule Guil. Erneſti Tentzelii de *ritu lectionum ſacrarum* diſſertationem *Wittembergæ* 1685. divulgatam, itemque Joh. Andream Schmidium *de primitiva Eccleſiæ lectionibus*, & *præcipuis circa eaſdem ritibus*, *Helmſtadii* 1697.

3 Vide Bonam *de Div. Pſalm. c. XVI. §.* 16.

4 Conſule de hujuſmodi diris Fabricium *Biblioth. Græca* T. V. pagina 74. ſeqq

5 At Johannes non ſcribentes, ſed audientes adloquitur. Ita ſane. Non tamen Johanni Clerico propterea adſentiar *Artis Criticæ* part. 3. p. 243. contendenti, obteſtationem iſtam non tam ad librarios pertinere, quam ad impoſtores. Fabricius quidem l. c. p. 75. Apocalypſis locum trahit ad librarium audientem, qui prohibeatur quidquam ſcribere præter ea, quæ ſibi dictari audit. Verum cuum Johannes generatim dicat: *Siquis ab hæc addiderit*, rectius ad omnes ſive audientes, ſive ſcribentes, ſive dictantes verba illa referemus.

6 Confer Joh. Andreæ Schmidii Programma *de doctorum primitiva Eccleſia vario docendi, diſputandique genere*, *Helmſtadii* 1704.

ſiqui

ſiqui forte Chriſtianorum contraria ſuæ fidei dogmata proponi audirent, ii obturatis ambabus auribus e veſtigio fugam arriperent, nihil ſolliciti de refutandis erroribus, quippe quam curam Paſtoribus ſuis integram relinquerent. Ea res fecit, ut hæreſum multæ per priora ſæcula excitatæ ſine Conciliis, ſine judiciorum celebritate condemnarentur. Etenim Paſtores omnes Traditionibus Apoſtolorum, populus autem univerſus doctrinæ Paſtorum admirabili cum ſententiarum, tum voluntatum conſenſione inhærebant. Adhæc Fideles pro ſe quiſque divinæ Legis ſtudio vacabant, eamque diu noctuque vigili cura meditabantur. Domum reverſi, quæ in Eccleſiis audierant, ipſi relegebant, & familiari de iiſdem rebus inter ſeſe collato ſermone Paſtorum explanationem memoriæ mandabant. Imprimis vero Patresfamilias hoc genus privatæ repetitionis domi ſuæ diligenter curabant, erantque ſinguli eorum quaſi totidem peculiares Paſtores, qui precationi & lectioni domeſticæ præerant, qui conjugem, liberos, famulosque erudiebant, & ut erant ipſi Moderatoribus Eccleſiæ addictiſſimi, ita ſuos etiam in officio & obedientia Eccleſiæ debita continebant. [1] Quod de patribus dixi, de matribus quoque familias intellige. SS. Baſilius, & Gregorius Nyſſenus gloriabantur, ſervaſſe ſe fidem, quam ab avia S. Macrina S. Gregorii Thaumaturgi præceptis imbuta acceperant; eoque ſpectare videtur elogium, quo S. Paulus fidem exornat matris, aviæque S. Timothei. Tam laudabilem Patrum, Matrumque familias de ſuis familiaribus curam ex eo haud obſcure probare licet, quod in tota retro antiquitate ne veſtigium quidem extet alicujus Catechiſmi in uſus parvulorum conſcripti, aut alterius cujuſdam publicæ inſtructionis, quæ baptizatis parvulis, qui rationis necdum plene compotes erant, uſui eſſe poſſet. Erant tunc nimirum, Divo Cryſoſtomo teſte, privatæ ædes veluti totidem Eccleſiæ.

Ignat. Ep. ad Trall.
Conſtit. Apoſt. 4. c. 11.
Baſ. Ep. 64. 72. 79. Greg. Vit. Macr jun.
1. Tim. 1. 5.
Chryſ. Hom. 36 in Ep. ad Cor.

Multos videre erat etiam laicorum, qui ſacras literas memoria tenerent; adeo in iiſdem pervolvendis erant aſſidui. Eaſdem ſecum fere geſtabant, multique Sanctorum reperti ſunt, qui cum Evangelio ſupra pectus collocato terræ mandati fuerant. [2] Teſtificatur S. Joh. Chryſoſtomus, multas ſuo tempore mulieres ſuſpenſa habuiſſe e collo Evangelia [3]; manus laviſſe Chriſtianos, quum librum acciperent [4], ac totos ſeſe ad modeſtiam reverentiamque conformaſſe; feminas propterea in teverentiæ ſignum ante Evangelii lectionem caput texiſſe; viros contra detexiſſe. Ipſis nempe Feminis etiam familiaris ſacra lectio fuit. Cujus rei præclarum exemplum habemus in Actis Sanctarum Martyrum Agapes, Chionæ & Irenes, quæ cum Diocletiani ſæviente in Chriſtianos furore, domum cum deſertis montibus & cavernis commutare cogerentur, charis omnibus libenter relictis, ea re ſola *magnopere angebantur*, quod prohibitæ domo ſecum efferre divinos Codices, *non poſſent nocte & die illis operam dare, ſicut a principio conſueverant*. Epiſcoporum etiam & Presbyterorum ſcripta ut quæque celeberrima erant, & judicio Eccleſiæ approbata, ita a Chriſtianis diligentiſſime perlegebantur. Sed rara ad eum diem ſcripta erant. Etenim conſcribendi volumina neque otium neque ſtimulum Epiſcopi tunc habebant, gravioribus diſtenti curis, & ab omni gloriæ humanæ cupiditate alieniſſimi; præterquam quod metuerent, editis in lucem publicam libris, qui in omnium manus facile incidunt, myſteria Religionis temere evulgare.

In Matth. hom. LXXII.
hom. LII. in Joh.
Baron. ad An. 304. n. 46.

Prohibita Fidelibus erat lectio libro-

1 Vide infra cap. VII.

2 Ut S. Barnabas, S. Domnio, aliique, de quibus Catalanius *de codice Sancti Evangelii lib. 3. c. 38.*

3 Confer Catalanium *de Codice S. Evangelii lib. 3. c. 28.*

4 Adi Catalanium *l. cit.* c. 28. Hunc ritum Moſchovitæ etiamnum obſervant, neque Evangelium tangere audent, niſi prius laverint manus, ſeque Crucis ſigno munierint.

rum gentilium, utpote qui nondum bene confirmatis in fide ſæpe ad nocendum apti, alias vero inutiles forent. *Conſtit. Apoſt. imo. cap. 6.* *Nam quid in lege Dei deſideras*, inquit Antiquus Scriptor, *ut ad illa Gentilium ſcripta animum velis appellere? ſive enim hiſtorias legere cupis habes libros de Regibus: ſive ſophiſtica, id eſt, quæ argute ad ſapientiam referuntur, & poetica; habes Prophetas, Job, & Proverbia, in quibus plus acuminis, quam in omni poeſi & ſapientia Sophiſtarum reperies, quod iis, qui ſolus ſapiens eſt, illa effatus eſt: ſive cantilenas expetis, habes pſalmos: ſive vetuſtas rerum origines, habes Geneſim: ſive leges & præcepta, habes legem Domini celebrem* [1]. Epiſcopi tamen & Presbyteri profana volumina lectitabant: indeque veluti ex hoſtico arma petebant, ad gentilium ſuperſtitiones propriis ipſorum telis, Philoſophorum inquam & Poetarum Ethnicorum auctoritate confingendas; cumque diſcipulos ſeſe profiterentur Verbi divini ac Primæ Veritatis, *Clem. Alex. 1. Strom.* nihil antiquius habebant, quam ut veritates omnes, ubi ubi eas reperirent, toto animo complecterentur [2].

CAPUT V.

Officia, opificia, & conſuetæ occupationes Chriſtianorum.

Conſtit. Ap. l. 1. c. 4. Divitibus potiſſimum aſſidua Scripturarum lectio commendabatur, quo curioſitatem & otium, geminas virtutis peſtes a ſe arcerent. Reliqui Fidelium opificia exercebant, ut ſe ipſi commode ſuſtentare, ſatisfacere creditoribus, & ſtipem indigentibus erogare valerent. Opificia porro ejuſmodi deligebant ſibi, quæ & eſſent maxime innocua, & a ſtrepitu faſtuque Chriſtianos quam longiſſime prohiberent. [3] Multi cæteroquin abundantes, præſertim perſecutionis fervente æſtu, voluntariam paupertatem amplexi ſunt, fortunis omnibus in pauperes diſtributis, eaque re ad martyrium rite ſubeundum ſe comparabant; *2. Theſſ. 3. v. 6. Conſtit. Ap. l. 14. l. 2. c. ult. Clem. Alex. pædag. c. 3. 10.* non pauci etiam, etſi divites eſſent, labori manuum intenti erant, deſidiæ vitandæ cauſa. Nam cætera inter vitia otium imprimis a Chriſtianis proſcriptum erat, & quæ otii comites individuæ ſolent eſſe, animæ nimirum inquietudo, curioſitas, convitiandi libertas, otioſæ circumcurſitationes, ſupervacuæ ſalutationes, ac demum alienæ vitæ cenſoria obſervatio. Ex adverſo admonebantur Fideles, ut in quiete ac ſilentio ſe continerent, cum aliis honeſtis negotiis, tum operibus maxime charitatis occupati, quibus infirmos, mendicos, aliterque ſua ope indigentes ſublevarent.

Tota igitur Chriſtianorum vita oratione, lectione, & manuum labore conſtabat, ferme nunquam interrupta ſerie, ſibi ſuccedentibus quoad per neceſſarias ſuſtentandæ vitæ curas licebat. *Conſtit. Ap. l. 2. c. 61. & 63.* Quidquid negotii præ manibus haberent, id omne ſaluti ſuæ negotio poſtponebant, veluti negotiorum omnium principi, maximeque digno, in quo curando vita omnis collocetur. Hoc agebant & profitebantur univerſi, ut Chriſtiani nomine ac re eſſent; alios titulos extra iſtum aucupabantur nullos; interrogati etiam a Judicibus, quinam, undeve eſſent, quid nominis, quid officii haberent, breviter ad omnia reſpondebant: *Chriſtianus ſum*. Omnium inſtar exemplo eſſe poteſt Diaconus ille SANCTUS nomine, *Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 5. c. 1. in Ep. Vienn. Eccl.* de quo Euſebius in hæc verba: *Cum ſcelerati carnifices propter aſſiduitatem, & magnitudinem tormentorum, quæ ei infligebant, ſperarent ſe aliquid, quod indecorum, & ejus profeſſioni parum conſentaneum videretur, ab eo audituros; Ipſe tanta animi celſitate, & conſtantia ex adverſo reſtitit, ut ne nomen*

1 Vide Cotelerium ad eum *Conſtitutionum* locum.

2 Epiſcopis tamen Gentilium libros interdixit Concilium Carthaginienſe IV. *Can.* 16. *Ut Epiſcopus Gentilium Libros non legat; Hæreticorum autem pro neceſſitate, & tempore.*

3 Opificia, quibus Chriſtiani deliti fuere, recenſuimus plura ex veteribus Lapidibus. *Tom. V. bibl. Litt. Ital. pag. 503. ſeqq.*

qui-

quidem ſuum vel gentis, vel civitatis, unde fuit, neque utrum ſervus vel liber eſſet, illis vellet dicere; ſed ad omnia rogata ita latino ſermone reſponderet: Chriſtianus ſum, *illudque pro nomine, pro civitate, pro genere, & denique pro re quacunque iterum ac ſæpius eloqueretur: aliam autem vocem Gentiles ab eo elicere non poterant*.

[*Orig. cont. Celſ. 8. in fine.*] Abhorrebant porro ab illis artibus vitæque inſtitutis, quæ animum plus juſto avocant implicantque, cujuſmodi ſunt mercatura, [1] cauſarum forenſium procurationes, [2] & Magiſtratuum munerumque publicorum adminiſtratio. [*1. Cor. 7. v. 20.*] Nihilo tamen minus in officio, quod ante ſuſceptum Baptiſma gerebant, dummodo id Chriſtianæ legi non adverſaretur, perſiſtebant. [*Tertul. de Coron. milit. c. 11.*] Sane conſtat, militum neminem, qui Chriſto auctoratus fuit, ad deferenda profana caſtra fuiſſe compulſum; [*Luc. 3. v. 14.*] ſolummodo Evangelii præceptum illis inculcabatur, ut ſuis contenti ſtipendiis nihil per vim malumve dolum ab hominibus extorquerent. [3] Et fuiſſe ingentem Chriſtianorum militum numerum, teſtantur duæ integræ legiones, [*Tertul. Apol. c. 37.*] altera *Fulminatrix* ſub Marco Aurelio, [4] *Thebæa* altera, quæ tota una cum Tribuno ſuo Mauritio mortem pro Chriſto fortiter oppetiit. [5] [*Acta M.M. Theb. ap. Baron. an. 297. Acta S. Marcelli Centur. ap. Bar. an. 298.*] Vigebat etiamtum apud Romanos militaris diſciplina, cujus præcipuæ partes erant frugalitas, obedientia, tolerantia, & laborandi aſſiduitas; quæ omnes ipſis etiam Chriſtianis familiares erant virtutes. Quandoque tamen ſtudioſe defugiebant recentes Chriſtiani militiæ nomen dare, imo eandem deſerebant, veriti, neque ſuperſtitionum labe inficerentur, veſcendo victimarum carnibus, ſigna militaria idolorum figuris diſtincta venerando, [*Tertul. de Coron.*] per Genium Imperatoris dejerando, [6] aut florum ſertis in profanis, & militaribus feſtis capita coronando [7].

CAPUT VI.

Jejunia Chriſtianorum.

Jejuniorum apud Chriſtianos per id tempus frequens uſus erat, Chriſto Domino id vaticinante, [*Matth. 9. v. 15.*] cum diceret, futurum aliquando, ut, Magiſtro ex oculis ſublato, Diſcipuli jejunent. In memoriam tam acerbæ jacturæ, & cruciatuum Servatoris noſtri ſua erant Chriſtianis inde a naſcente Eccleſia jejunandi ſtata tempora. Singulis quidem annis per quadraginta

1 Serius mercaturam videntur amplexati Chriſtiani. Agapius *Negociator*, cujus titulum Muratorius reddit p. CDXXXII. 1. anno DCI. Chriſtianæ ære deceſſit.

2 Minucius Felix, fortaſſe etiam Miltiades, Jureconſultus fuit. Hoſce ſi excipias, neminem ante Conſtantini tempora invenias, qui cauſſas forenſes egerit. Vide Mamachium *T. III. Origin. & antiquit. Chriſtian. p.* 299. Compagnonium *de Jureconſultis Chriſtianis primorum Sæculorum*, *Maceratæ* 1755. hiſtoriam litterariam Italiæ *T.* V. *p.* 509.

3 Magna inter veteres de militia diſceptatio fuit, liceretne Chriſtianis, an non? Sigiſmundus Jacobus Barmgarten Halæ Magdeburgi a. 1741. iterumque a. 1745. edidit *examen ſententiæ veterum Chriſtianorum de militia*. Adi etiam Mamachium T. III. *p.* 303.

4 Multi de Legione fulminatrice egerunt, quos in *Salutari luce Evangelii*, percenſet Fabricius. His adde Baumgartenium, in tribus de ea diſſertationibus Halæ editis, & Mamachium. T. I. *Origin. & Antiquit. Chriſtian.* Confer etiam hiſtoriam Litterariam Italiæ. T. IX. *p.* 365. *ſeqq.*

5 Thebæorum Martyrum acta convellere niſus eſt Calvinianus Miniſter Dubordieu; quem Benedictinus de L'Isle ſingulari libro ſtrenue confutavit.

6 Ab hujuſmodi juramentis abhorrebant maxime Fideles. Vide Tertullianum *Apolog. c.* 32., & Origenem *Contr. Celſ. l.* 8. *n.* 65. Heinc quum Proconſul Aſiæ Polycarpo imperaſſet, ut *per genium Cæſaris* juraret, negavit is ſe facturum.

7 Idem dic de more januas in publicæ lætitiæ ſignum, inque Imperatorum honorem ſertis coronandi. Baronius enimvero ad ann. 201. cum Tertulliano, *de Idolol. c.* 10. morem hunc Idololatriæ accuſat, quamvis Paganinus Gaudentius *de Vita Chriſt. c.* 10. 11. & 12. pluribus argumentis illum ab Idololatriæ ſuſpicione vindicet.

dies, [1] ſingulis item hebdomadis feria quarta, & ſexta inedia corpus macerabant. [2] Preterea cum initiandi Eccleſiæ miniſtri eſſent, aut publicæ calamitatis deprecatio communiter facienda, Paſtorum juſſu a cibis abſtinebant; his accedebant non raro alia jejunia vel privata devotione, vel pœnitentiæ agendæ neceſſitate ſuſcepta.

Quo die jejunandum erat, ſemel tantum, & quidem ſub veſperum cibum ſumebant, in quadrageſima poſt Veſperas, ſive appetente jam nocte, aliis vero diebus poſt Nonam; hæc Chriſtianorum conſueta erant jejunia, præter quæ majora alia per annum incidebant, ut in hebdomada ſancta, quæ a multis tota, vel certe dimidia ſui, & extrema parte ſine cibo exigebatur. Alii quoque ut privatæ pietati facerent ſatis, præſertim cum martyrii ſubeundi opportunitas, aut alia quædam gravis cauſa id poſtulare videbatur, ad duos treſve dies continuos cibis omnibus ſibi interdicebant. Vino, & carnibus quotquot jejunabant, abſtinebant omnes, plurimique ipſorum pane, & leguminibus contenti erant, quibus nonnulli piſciculos aliquot addebant; cæterum lautitia omnis & gulæ irritamenta procul a menſis aberant. [3] Victus parabilis, & quoties jejunabatur, ſolito tenuior erat. Alii ipſorum *Homophagi* erant, qui crudis: alii *Xerophagi*, qui ſiccis duntaxat eſculentis, nucibus, inquam, amygdalis aliiſque id genus fructibus victitabant; denique erant, qui ſolo pane, & aqua famem ac ſitim ſedarent [4].

*. *Epiſt. Canon. Dion. Alex.*

Equidem non ſum neſcius, iſtarum rerum commemoratione parum commoveri noſtra hac ætate Chriſtianos. Putant iſti nimirum, majora eſſe antiquæ auſteritatis exempla, quam ut imitari ea nobis liceat. Debilitata, inquiunt, tot ſæculorum decurſu magis in dies deficit natura: nec vita miſeris mortalibus tam longa, nec corporis tam robuſtæ vires uti olim ſuppetunt. Utinam vero, quam confidenter iſta jactantur, tam facile ſolideque probari poſſent! Unde enim, aut a quo tempore tanta naturæ noſtræ facta inclinatio eſt? non quæro hic de temporibus illis heroicis Græcorum, nec de Patriarcharum vita, hominumque ante diluvium ætate; ſed de temporibus loquor primorum Romæ Imperatorum,

1 Confer ex Catholicis Alphonſum Ciacconium, de jejuniis, Romæ 1599. Joh. Fileſacum, *de Quadrageſima*, Petavium ad *Epiphan. p.* 356. *ſeqq.* Allatium *de Synodo Photiana p.* 529. *ſeq.* Thomaſſinum in *Tract. hiſtorico-dogm. de jejuniis Eccleſiæ*, Joſephum de L'Isle in *hiſtoria dogmatica & Morali Jejunii, Pariſiis* 1741., ex Proteſtantibus Fridericum Ulricum Calixtum *de jejunio*, *Helmſtadii*, 1676. Joachimum Hildebrandum de *jejunio*, *ibidem* 1719. Joh. Georgium Vvalchium de *jejunio quadrageſimali*, *Jenæ* 1727., & quem confutavit Natalis Alexander, Johannem Dallæum, *de jejuniis*, *& Quadrageſima*, *Daventriæ* 1654.

2 Vide Origenem *hom.* 10. in *Levitic.* Latinos tamen etiam Sabbato ſub tertii Sæculi finem jejunaſſe, ex can. XXVI. Concilii Illiberitani colligit Vvalchius in *hiſt. Eccleſ. p.* 1110., ibi enim ſancitum fuit: *errorem placuit corrigi, ut omni ſabbati die jejuniorum ſuperpoſitiones celebrentur.* Tria ſcilicet jejuniorum genera erant; ſtationum nempe, quæ ad nonam perdurabant, tribuſque, a meridie horis ſolvebantur; quadrageſimæ, quæ ad veſperas protrahebantur; duplicis, quæ etiam *ſuperpoſitiones* vocabantur, & uſque ad galli cantum, atque alterius diei ortum producebantur.

3 Putabant autem Chriſtiani ipſo potu, qui ante cœnæ conſtitutam horam ſumeretur, jejunium frangi; quare, *quum multi ex fraterna caritate* Sanctis Fructuoſo Epiſcopo, Augurio, & Eulogio diaconis, ut in eorum actis legitur apud Ruinartium *Veron. edit. p.* 192., *offerrent, uti conditi permixti poculum ſumerent, ait* (S. Fructuoſus): *nondum eſt hora ſolvendi jejunii*, ſeu ut Prudentius cecinit, *jejunamus, ait: recuſo potum.*

4 Quinto ſæculo jam in Eccleſia Romana obtinuerant jejunia quatuor temporum. De his præter citatos Auctores vide Joh. Hyacinthum Sbaraleam *quæſt.* IV. de *jejunii quatuor Temporum origine ac inſtitutore poſt diſputationem de ſacris pravorum ordinationibus p.* 295. *ſeqq.*

torum, quæ noti in vulgus Auctores Græci, & Latini deſcripſere; Hos tu volve, & revolve, & vitam hominum abhinc ſedecim ſæculis nihilo quam nunc longiorem fuiſſe perſpicies. Etenim tum quoque temporis multoque ante mortalium vita annis ſolum ſeptuaginta aut octoginta circumſcripta jam erat. Fuere quidem ſub prima illa Eccleſiæ tempora Græcorum, & Romanorum nonnulli, qui Gymnaſticis exercitiis corpora conſolidarent; ſed longe major eorum numerus erat, qui corporis vires intemperantia ſua labefactarent, illo potiſſimum intemperantiæ genere, quod valetudini plurimum obeſt, & ante diem noſtra etiam tempeſtate Orientis populos facit ſeneſcere. Et tamen ex Ægypto & Syria, quæ regiones vitio hoc præ cæteris laborabant, Chriſtiani prodiere abſtinentiſſimi, iidemque maxime omnium longævi. Non nego calidioribus in terræ plagis minus moleſta accidere, quam apud nos, jejunia; ſed tamen in Galliis etiam, & Septentrioni ſubjectis provinciis non deſunt exempla mirandæ prorſus abſtinentiæ etiam poſt mille annos, eoque amplius ab ætate Apoſtolorum [1].

Chriſtiani jejunia ſua, quemadmodum ante ipſos Judæi, ad luctus, & mœroris ſignificationem referebant, hoc tamen a Judæis diſcrimine, quod Judæi in jejunando naturali ſolum dolori ſuo obſecundarent, quem bonorum terrenorum vel chari cujuſdam capitis jactura expreſſerat; Chriſtiani autem jejunia ſua ad eam unice triſtitiam dirigebant, *quæ ſecundum Deum eſt, & pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*: id eſt, ad cordis compunctionem, & expiationem peccatorum. Adhæc ut tentationibus materiam, & fomenta ſubtraherent, extenuabant corpora, & ſpiritui ſubeſſe cogebant. Qui ita jejunabant, conſequens erat, ut a voluptatibus cæteroquin minime vetitis temperarent; hinc conjugatorum eo tempore continentia: hinc ſolitudinis, & ſilentii ſolito ſeverior obſervatio: hinc major in Eccleſiis frequentandis aſſiduitas: hinc denique preces, & ſacra lectio multo quam alias productiora.

2. Cor. 7. v. 10.

CAPUT VII.

Convivia Chriſtianorum.

Epulæ Chriſtianorum etiam extra jejunii tempora frugalitate ſemper & modeſtia condiebantur; multi erant in iis cohortandis paſtores, ut ne cibi plus caperent, quam quantum opus eſſet ad ſanitatem tuendam, viresque corporis labori neceſſarias inſtaurandas: non eſſe homini vivendum, ut edat, ſed edendum, ut vivat: exquiſitiora dapum fercula & conviviorum ingentes apparatus a menſis Chriſtianorum penitus exulare debere. Plures ipſorum ſolis herbis, fructibus, lacticiniis vivebant, ſi quidquam aliud præter illa manducandum erat, piſcium & altilium, quam quadrupedum carnes, utpote ſucci pleniores, nimiumque ad nutriendum factas manducare malebant; complures etiam ſemel tantum de die ſub veſperum cibo ſe reficiebant. Primis Eccleſiæ ſæculis ac diu poſt ſanguine, & ſuffocato abſtinebant, uti ab Apoſtolis in Concilio Hieroſolymitano lege cautum fuerat. [2] Tanta in victu parſimonia minus per ea tempora quam nunc nova, & inſolens videbatur. Etſi enim menſarum luxus, & nidor tunc quoque modum excederet, id quod ex Græcis Latiniſque Scriptoribus, præſertim ex Athenæo diſcere licet; longe tamen inferior erat noſtrorum temporum plus æquo lautis magnificiſque conviviis. Ægyptii, & Orientalium populorum

S. Clem. Alex. 20. padag. l. 2. c. 1 Prudent. Hymn. ante cib.

Tertul. ad Pſych. c. 9 Act. 15. v. 29.

1 De jejuniis plura dabunt diſſertationes in fine hujus partis.

2 Plura quæ veterum Chriſtianorum abſtinentiam a ſanguine & ſuffocato confirmant, teſtimonia collegit Mamachius *T.* III. *p.* 3.7. *ſeqq.* Heinc Lugdunenſis, & Viennenſis Eccleſiæ in epiſtola, quam Euſebius recitat *Hiſt. l.* 5. *c.* 1., ad Eccleſias Aſiæ Phrygiæque de Bibliade Martyre ſcribunt: *contradicens impiis, qui fieri poteſt, inquit, ut infantes comederent, quibus ne ſanguinem quidem animantium deguſtare licet?*

pars major adhuc frugalitatem ſuam prope ad ſuperſtitionem uſque retinebant; Pythagoræorum porro in cibo ſumendo temperantia paſſim celebratur, quam Apollonius Thyanæus exemplo ſuo, & Porphyrius editis libris
Lib. 1. confirmarunt. Horatius quamlibet Epi-
Epiſt. 4. curæis moribus eſſet, ſeſeque ipſe nominet *pinguem, & nitidum Epicuri de grege porcum*; nihilominus familiaria ſibi eſculenta enumerat *olus ac far*, quæ ipſe, quanti valerent, percontaturus, forum obibat,

Inde domum me (inquit)
Lib. 1. Sat. 6. *Ad porri, & ciceris refero laganique catinum.*

Lib. 1. Neque lautius aliquid amico ad cœ-
Epiſt. 5. nam invitato appoſiturum ſeſe pollicetur. Quid? Auguſtus Imperator piſciculis fere, caſeo, ficubus, dactylis, uvis
Suet. in Aug. 76. & pane cibario victitabat. Similibus exemplis abundant eorum temporum hiſtoriæ. Sola ferme cœna juſti convivii formam præſeferebat; ea, diurnis negotiis expediti mortales ac domum quique ſuam reverſi, corpora curabant; nam quod ipſi prandium vocabant, id jentaculis noſtris quam prandio ſimilius erat, eoque ſpectabat unice, ut ne prorſus jejunii diem agerent, quemadmodum de ſe Horatius canit:

Lib. 1. Sat. 6. *Pranſus non avide, quantum interpellet inani*
Ventre diem durare.

Quanquam hoc quoque licet pertenui prandiolo multi abſtinebant, Vitellio ſane Suetonius inter alia illud etiam vitio vertit, quod ter quotidie, & ſæpe quater epulari ſoleret.

Conſtat autem Chriſtianos tum temporis ut minimum ſapientioribus inter Ethnicos temperantia ſua pares fuiſſe; ac proinde cibis potius veſci ſolitos obviis, & ſimpliciſſimis, quam iis, ad quos parandos condiendoſque igni, & multa hominum induſtria opus eſſet; quare duabus ut ſummum vicibus per
diem cibi aliquid capiebant, damnatis Galat. 5.
penitus ex Apoſtolica diſciplina comeſ- v. 21. Rom.
ſationibus, quas quidam Gulones a Veſ- 13. v. 13.
pera in multam noctem producebant. 1. Pet. 4.
[1] Non pauci illorum, fœminæ præſer- v. 3. Clem.
tim, & juniores natu a vino abſtine- Alex. 2.
bant; cæteri eodem quam parciſſime, pædagog.
& frigida temperato utebantur. Epulis 2. Prud.
quantumvis moderatis ac brevibus lon- Hym. 3 &
gæ preces initio & fine addebantur, 4.
quarum formulas nobis exhibent Eccleſiaſticæ orationes hodiedum uſitatæ; extant etiam duo in hanc rem compoſiti a Prudentio hymni, quibus priſcorum ſæculorum pia indoles graphice deſcribitur. [2] Solebat tunc fere ad menſam liber aliquis prælegi; hanc conſuetudinem Plinius accurate retinuit, & Juvenalis Amicum ad cœnam invitans, eidem veluti condimenti loco promittit Homeri, & Virgilii lectionem a ſe curandam. Sat. 11.

Noſtra dabunt alios hodie convivia ludos;
Conditor Iliadis cantabitur, atque Maronis
Altiſoni dubiam facientia carmina palmam.

Chriſtiani vero divinas literas ad menſam legebant, [3] & pro impuris profaniſque cantionibus, quibus epularia feſta

1 *Convivia*, ajebat Minucius Felix *in Octav.*, *non tantum pudica colimus, ſed & ſobria; nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, ſed gravitate hilaritatem temperamus*. Quare mirom non eſt Auctorem dialogi Philopatridos, quem Lucianum fuiſſe nullus dubito, deriſurum Chriſtianos, in quorum cœtum eſſet admiſſus, illos *vultibus in terram pronis*, *pallidiſque*, attenuatoſque deſcripſiſſe.

2 Confer Gretſerum. *L. 1. de benedictionibus c.* 13. Acta S. Theodoti M. apud Ruinartium p. 299. Tertullian. de *Coron. mil. c.* 3., Clementem Alexandrinum *lib. 7. Strom.*; Origenem In *Johann. lib.* 2. Nazianzenum *Orat.* 3., Chryſoſtomum *expoſ. Pſ.* XLI. *n.* 2.

3 Libet heic Tertulliani verba adſcribere *Apolog. c.* 39. de Chriſtianorum cœna. *Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit; non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum præguſtetur; editur quantum eſurientes capiunt; bibitur quantum pudicis eſt utile: ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe: ita fabu-*

Clem. Alex. 2. pædag. c. 4. feſta gentiles animabant, pia ipſi & cœleſtia carmina gravi modulatione decantabant; neque enim muſicam Fideles, & hilaritatem omnem plane rejiciebant, ſi modo ſancta eſſet, animumque ad Deum erigeret. Nec cum hæreticis, nec cum excommunicatis, ac ne cum Catechumenis quidem Chriſtiani menſæ accumbebant; Ethnicorum tamen epulas non omnino defugiebant, ne prorſus omne cum illis commercium, & conſuetudinem reſcidiſſe viderentur.

CAPUT VIII.

Modeſtia, & gravitas Chriſtianorum.

Quemadmodum in victu, ſic in omni reliqua actione mira elucebat Chriſtianorum modeſtia. Nobilitatis, & dignitatis, niſi quæ interior eſſet animumque perficeret, nullam habebant rationem, nec alias quam ſpirituales divitias magni ducebant'. Menſas ex ebore factas, argenteos lectos auro & purpura interlucentibus telis ornatos, vaſa aurea argenteaque gemmis diſtincta, operum publicorum inſanas ſubſtructiones, lautam & precioſam ſupellectilem, verbo. quidquid luxus & magnificentiæ Romanorum immenſæ opes in Occidentem invexerant, id omne Chriſtiani excelſo animo deſpiciebant. Univerſa res familiaris, quam in conclavi S. Domnæ nobilis & copioſæ Virginis Nicomedienſis gentilis Præfectus invenit, *erant duæ ſtoræ in nudo ſolo ſtratæ .... fictile præterea thuribulum & lucerna, & lignea arcula, in qua repoſuerant ſacram oblationem, præter Divinæ Crucis figuram & librum ſacroſanctum, nimirum Apoſtolorum Deo gratas actiones*, id eſt, Acta Apoſtolorum. In cultu etiam corporis modum Chriſtiani tenebant: mundum muliebrem, veſtimenta exquiſite concinnata, colores nimium vividos, pannos ſubtiliores præſertim bombycinos, auro ipſi tum temporis ſuppares, [1] balneorum plus æquo frequentem uſum, [2] putidam & puerilem in criſpandis capillis, in reliquo pingendo ungendoque corpore diligentiam, denique quidquid teneros parumque caſtos amores provocare poſſet, longe a ſe amandabant. Sane inter primas converſionis S. Cypriani notas Prudentius eam recenſet, quod depoſito ſui ornandi ſtudio habitum exteriorem mutaverit.

Clem. Alex. 2. Pædag. 3

Act. SS. Mart. Nicom. apud Baron. An. 293. n. 2.

Periſteph. hym. de S. Cyprian. M.

Jamque figura alia eſt, quam quæ fuit oris & nitoris,
Exuitur tenui vultus cute; tranſit in ſeveram:
Deſlua cæſaries compeſcitur ad breves capillos.

Huc etiam ſpectat S. Martyris Torquati præclara vox, & hoc loco ex Actis SS. Sebaſtiani & Sociorum ipſius commemoranda. Is, ut Torquatum Apoſtatam, qui pro Chriſtianos ſeſe venditabat Judici, manifeſtæ impoſturæ convinceret, talibus Judicem affatus eſt: *Credisne vir illuſtriſſime hunc eſſe Chriſtianum, qui in ſui lenocinio moliendo capitis fimbrias admittit, qui tonſorem diligit, qui ſcapulis molliter geſtit .... qui neglectis viris fœminas curioſius intuentur? nunquam tales peſtes Chriſtus dignatus eſt habere ſervos ſuos.* Veri igitur Chriſti ſervi ſeveritatem

fabulantur, ut qui ſciunt, Dominum audire. Poſt aquam manualem, & lumina, ut quiſque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur, quomodo biberit. Aeque oratio convivium dirimit.

1 De moderato veſtitu veterum Chriſtianorum agit T. III. p. 382. Mamachius, quem vide.

2 Frequens tamen erat apud majores noſtros Balneorum uſus, ut Tertullianus *lib. de pœnit. c.* 11. Clemens Alexandrinus *Pædag. l.* 3. *c.* 5., Euſebius *l.* 3. *hiſt. Eccleſ. c.* 28. docent. Confer Paciaudium in erudito Libello, *de ſacris Chriſtianorum balneis* cap. 5. Incredibilem tamen adhibebant curam, inquit Mamachius *T.* III. *p.* 392., ne quid ab ſe, Chriſtianiſque ceteris minus honeſte, caſteque ageretur. Itaque mulieres ſejunctim a viris ſe ſe lavabant, ac ſi ſolæ poterant, cavebant, ne alia intereſſent, nudaſque aſpicerent. Præterea feriis eſurialibus, Quadrageſimæ præſertim, a balneis abſtinebant; qua de re plura Paciaudius. *cap.* IX.

quan-

quandam ſuique negligentiam vel certe ſimplicitatem, & gravitatem in tota exterioris hominis compoſitione præſeferebant. Luſuum & oblectationum perpauca erant genera, quibus vacare ac frui Chriſtianis liceret. Theatrorum, Amphitheatri, ac Circi ſpectacula fugiebant omnia. [1] In Theatris Tragœdiæ, & Comœdiæ, in Amphitheatro gladiatorum inter ſe, hominumve cum beſtiis commiſſæ pugnæ, in Circo denique curulia certamina ſpectabantur. Omnes hi ludi falſæ & idololatricæ Religionis pars quædam erant, & vel ideo apti ad arcendos inde Chriſtianos, qui eos ludos præterea deteſtabantur tanquam bonis moribus infeſtiſſimos. Et erant profecto Theatra impudicitiæ, Amphitheatra vero crudelitatis quædam quaſi ſcholæ; imo cupiditatum pravarumque affectionum omne genus his veluti pabulis nutriebatur. Ipſius adeo Circi ſpectacula, quæ minime omnium inſidiari probis moribus videbantur, mirum, in quas reprehenſiones apud SS. Patres incurrerint, propter factionum diverſa ſtudia, quæ ſpectatorum animos nunquam non ad furioſam animoſitatem · perſæpe etiam ad cruenta certamina concitabant. Adhæc in iiſdem ludis jure merito Patres damnabant ſumptuum profuſionem, otii materiem, hominumque utriuſque ſexus promiſcuos concurſus, & in videndo colloquendoque inter ſeſe periculoſam nimis libertatem.

Conſtit. Apoſt. 2. 6. 62. Tertull. de Spect. Cyprian. Epiſt. 2.

Auguſt. 6. Confeſſ. 6. 7. Clemens 3. Pædagog. 11. Cypr. de oper. & Elemoſ. Clem. Alex. 3. Pædagog. 11. Ambr. 1. vittor. 31. Conſtit. Apoſt. 5. c. 9.

Horrebant præterea Chriſtiani aleas, teſſeras & quoſcunque ludentium abacos, qui ſi non graviora vitia, certe otium inter vitia minime leviſſimum fovent ac nutriunt. Adhæc effuſos cachinnos, geſtus & verba ad ciendum riſum compoſita, fabellarum narrationes, comicos ſales & facetias, multoque magis quidquid in geſtu petulans & in ſermone procax parumque caſtum eſſet, cane pejus & angue fugiebant. Nihil in omni vita ſua ne indecens quidem, nihil humile, abjectum & ingenuo viro minus dignum patiebantur: procul erant otioſi atque inficeti ſermones, ſive ut Apoſtolus ait: *multiloquium, & ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet*, familiaria nimium infimæ plebi & loquacibus mulierculis vitia: *Sermo* omnis ex Apoſtoli præcepto *in gratia ſale conditus erat;* utque omnium linguæ vitiorum fontem obſtruerent, ſilentio nihil antiquius magiſque ſibi commendatum habebant.

Epheſ. 5. v. 4.

Coloſſ. 4. v. 6.

Hujuſmodi vitæ ratio noſtræ ætatis Chriſtianis haud dubie nimis auſtera & inamœna videbitur; ſed mirari eam definet, quiſquis ſecum ipſe reputaverit, quam ſevere divinæ litteræ genus omne illiberalium jocorum inſectentur, quamque plena decoris & gravitatis Chriſti & Diſcipulorum ipſius vita fuerit. Accedit, quod recenſita hactenus animorum oblectamenta nec periculo, nec culpa vacant; Chriſtianos autem fas eſt, recreationibus etiam minime malis aut periculoſis moderate uti. Certe vita noſtra in eo unice verſari exigique tota debet, ut & commiſſa peccata rite expiemus, & alioqui committenda præpediamus, id quod conſequimur, pravis animi cupiditatibus edomitis atque compreſſis. Ut enim a ſeipſo pœnas ex ordine ſumat, qui voluptatibus ad illicita abuſus fuit, ante omnia licitis etiam & permiſſis privare ſe debet; neque ad reſtinguendam vel certe ſopiendam concupiſcentię flammam quidquam ita valet, quam ſomentorum & pabuli, quanta maxima fieri poteſt, ſubtractio. Imo alienum a perfecti Chriſtiani moribus eſt, dedita opera delicias & commoditates corporis conſectari; quæ vero a vitæ mortalis uſu abeſſe prorſus nequeunt, cujuſmodi ſunt cibi & quietis capiendæ neceſſitas, ea non niſi obiter & veluti aliud agendo attingere oportet. Cæterum ubi recreationis aliquid nonnunquam admittere convenit, curandum eſt, ut vera ſit ea recreatio, hoc eſt talis, quæ ceſſationem a labore animique remiſſionem afferat; neque alio fine illa fruendum, quam ut natura reſocilletur, quæ corporis & mentis nunquam intermiſſa contentione cito fran-

Prov. 3. v. 34. c. 9. v. 7. &c.

1 Vide Maffejum tum in præfatione ad *Theatrum Italicum*, tum in libro inſcripto *de' Teatri antichi, e moderni, Veronæ* 1753. *p.* 59. *ſeqq.*

gitur,

gitur, onerique ſuccumbit. Cæterum gaudere velle tantummodo, ut gaudeas, inque ſenſu ipſo quantumvis honeſtæ voluptatis conquieſcere, quamplurimum abhorret ab obligatione renuntiandi ſibimetipſi; quæ tamen res virtutum Chriſtianarum veluti anima eſt.

Ipſæ adeo hæreſes primorum temporum perſpicuum faciunt, quam ſevera Chriſtianorum vivendi diſciplina tunc eſſet. Eæ maximam partem ex immoderato amore pœnarum odioque proprii corporis pullularunt. Marcioniſtæ primum deinde Manichæi carnem malam eſſe, maloque ortam principio dicebant, eaque propter nefas eſſe, carnibus veſci, liberorum procreationi operam dare, aut corporum anaſtaſin exſpectare. Corporum iſte contemptus, & abſtinentiæ continentiæque amor admodum in ſpeciem illuſtria videbantur; ac proinde nihil hujuſmodi erroribus fingi tunc ſpecioſius poterat. Montaniſtæ non contenti Eccleſiaſticis jejuniis alia complura inſuper addebant: ſecundas etiam nuptias damnabant: ſemel in crimen lapſos ad pœnitentiam non admittebant amplius, ſique enorme illud crimen eſſet, atque a Baptiſmo commiſſum, negabant ejus condonandi poteſtatem penes Eccleſiam eſſe. Qui ſimilia iſtis dogmata noſtro ævo in vulgus jactare auderet, næ is perpaucos, imo vero nullos ſectatores inveniret.

. Quantumvis autem ſevera nobis & inamabilis ea Chriſtianorum vita fortaſſe videatur, triſtitiæ tamen & mœroris aliqua nube obductam fuiſſe, nemo ſibi perſuadeat. Profecto nihil factu non poſſibile Apoſtolus jubet, cum Chriſtianos gaudere, iterum atque iterum jubet. Si voluptatibus, quibus hominum pars potior tam avide inhiat, ultro ſe privabant Fideles; ſimul etiam mille moleſtiis pravisque cupiditatibus ſeſe liberabant, quibus voluptatum amatores cruciari ſolent ac diſcerpi. Vacui enim ab ambitione, avaritia & rerum caducarum amore fruebantur pace ac teſtimonio bonæ conſcientiæ, ſuiſque ex actionibus, quibus Deo placere uni ſtudebant, præſentem veluti fructum perpetui gaudii decerpebant. Sed tamen nihil eorum animos magis erigebat & ſolabatur, quam melioris & æternæ vitæ, quam propediem adſuturam credebant, ſpes & exſpectatio. Noverant enim, cito nimis *præterire figuram hujus mundi*, & perſecutionum in ſe concitatas procellas tanquam extremi judicii prævia ſigna excipiebant.

ad Phil. 3. v. 1. & c. 4. v. 4.

Nec prolium ipſos nepotumve cura multum ſollicitos habebat. Si forte, quod perſecutionum tempore non raro uſu veniebat, martyrio coronati Parentes ante liberos vita excederent, non ignorabant ſuperſtitem eſſe ac ſemper fore optimam matrem, Eccleſiam videlicet, quæ ſuum orphanis amorem nulla in re unquam deeſſe patiatur. Inde factum eſt, ut complures Chriſtianorum in diem viverent, ſive manuum labore, ſive certis redditibus, quorum uſum cum pauperibus diviſum opulentiores habebant, vitam tolerantes, procul negotiis, procul anxietudine, atque ab omni non ſolum turpis ſuſpective lucri cupiditate, ſed a deſiderio etiam cumulandarum opum longiſſime remoti. Siqui forte Chriſtianorum, quo tempore breves veluti induciæ a Tyrannis dabantur, fundos & poſſeſſiones cœmerent; vehementer in eam rem tanquam Chriſtiano indigniſſimam Patres invehebantur. Et miramur adhuc, homines toto mundo ſuperiores parum affici ſenſuum & corporum lenociniis potuiſſe? profecto degeneres Chriſtiani ſumus, niſi imitandi eos ſincero ſaltem deſiderio accendamur.

Tertull. 1. ad Uxor. c. 5.

Cyprian. de lapſis.

Tertull. de ſpectac. 29

CAPUT IX.

Connubia Chriſtianorum.

Etſi a terrenorum omnium amore abſtracti eſſent Chriſtiani, matrimoniis tamen maximam partem juncti erant. Non probabatur ipſis Gentilium cælibatus, in quo illi licentiæ majoris vagæque libidinis cauſa manebant, cui proinde ſtatui pellendo, abrogandoque civiles etiam leges conſtitutæ fuerant, partim pœnis adverſus cœlibes intentatis, partim propoſitis præmiis, qui ad augendum civium numerum legitima inirent matrimonia. Duos ſolum ſtatus Chriſtiani agnoſcebant, matrimonii

Tacit. Annal. 3 verſ. Cod. de infirm pen. cap. lib.

Baron. an. n. 57. n. 44.

Or. Tertul. 2. ad Ux. c. 6.

monii alterum, alterum perfectæ continentiæ, nec deerant, qui utrumque conjungere didiciſſent; nam conjugatorum non pauci virgines uſque permanſerunt. Cæteri omnes a conjugii uſu temperabant Feſtis quibuſque celebrioribus, & jejunii tempore, [1] demum ex Apoſtoli conſilio, quoties liberius vacare communicationi cum Deo animus erat. [2]

1. Cor. 7. v. 5.

Secundas nuptias mollis fractique animi argumentum eſſe uſque adeo reputabant, ut nonnullis in locis eccleſiaſticæ pœnæ decretæ eſſent. iterum nubentibus ſubeundæ. [3] Tantus amor continentiæ non impediebat, quo minus matrimonio ſuus apud Fideles honos conſtaret, qui illud interiore mentis oculo ſuſpiciebant tanquam *Sacramentum magnum*, & imaginem intimæ conjunctionis Jeſu Chriſti cum Eccleſia ſua. Facultatem porro generandæ prolis benedictionem eſſe credebant, a Creatore ipſo etiam poſt peccatum & peccati pœnas Mortalium generi relictam. Adhæc parentes reverebantur, ut qui ſingulari quadam ratione Dei referrent imaginem, eoquod Creatoris in producendis hominibus veluti quidam adminiſtri eſſent.

Naz. orat. in benedict. ſponſ.

Clem. Alex. 2. Pæd. c. 10.

Inter præcepta bonæ educationis illud etiam erat, ut *tempore ad conjugium maturo matrimonio liberi jungerentur, ne in ipſo flore, ætate ferveſcente,* luxuriæ ſe dedant. Idem commendabatur Chriſtianis, qui pro ſua charitate pupillos enutriebant, utque eos uni ſuorum liberorum potius, quam alteri extraneo nuptui collocarent, admonebantur. [4] Ex quo videre licet, quam parum in procurandis Fidelium connubiis avaritia & ambitio in conſilium adhiberentur. Imo Epiſcopus præcipue conſulebatur, cum de matrimonio ageretur, magni utique momenti negotio, ut *ſecundum Deum, non ſecundum concupiſcentiam iniretur*, quemadmodum S. Ignatius loquitur. [5] Decreto ſemel matrimonio nuptiæ ipſæ publico & ſolenni ritu in Eccleſia celebrabantur, Paſtore ipſas benedicente [6] & divini oblatione ſacrificii confirmante. Dexteras mutuo jungebant novi conjuges, & ſponſæ ſponſus annulum donabat, cui crucis ſignum vel aliud quoddam virtutis ſymbolum, ut columbæ, anchoræ, aut piſcis imago inſculpta erat. His annulis more Veterum Chriſtiani ſigillo uti ſolebant. [7]

Conſtit. Apoſt. 4. c. 11.

S. Ign. Ep. ad Polyc. Tertul. 2. ad Ux. in fine. Clem. Alex. 3. ad Pædag. c. 11.

CA-

1 Conſule Interpretes *ad I. Cor. VII.* 5. Savaronem *ad Sidonii Apollinaris l.* 9. *ep.* 6 Roſvveydum *ad Vitas Patrum p.* 783. *ſeq.* Pametium *ad Tertullian. p.* 429. Suareſium *ad Nilum p.* 579. Agnellum Honoratum *Diſſ. V. & VI.* in opere inſcrito: *Diſſertazioni ſu' varj punti degli antichi riti.*

2 Inmo fiebat interdum, ut qui juncti matrimonio fuerant, mutuo conſenſu ſejungerentur, bene pudiceque victuri. Vide Tertullianum *l.* 1. *ad Uxor. cap. VI.*

3 Non eas tamen plane improbarunt Patres, quemadmodum Hæreticorum plures contendunt apud Fabricium *Bibliogr. antiq. p.* 603. Vide Joachimum Hildebrandum *de nuptiis Veterum Chriſtianorum, Helmſtadii* 1661., Mamachium *T. III. p.* 374. & Damianum Romanum operis prænotati *della Morale de' Santi Padri utiliſſima per la Scienza del Gius della Natura, e delle Genti p.* 133. *ſeqq.*

4 Temporibus tamen non vetitis, cujuſmodi erat ex Laodiceno Concilio *can.* 52. & Bracarenſi *can.* 48., Quadrageſima, immo ex Concilio Ilerdenſi tempus a *Septuageſima uſque in octavam Paſcha, tres hebdomades ante feſtivitatem Johannis Baptiſtæ, & ab Adventu Domini uſque poſt Epiphaniam.*

5 Heinc Tertullianus *l. de pudic. c.* 4. *penes nos*, inquit, *occultæ quoque conjunctiones, hoc eſt, non prius apud Eccleſiam profeſſæ juxta mœchiam, & fornicationem judicari periclitantur.* Quare Sacerdotes idem Tertullianus *l.* 2. *ad uxor c.* 2. *Nuptiarum conſiliarios* appellat.

6 Vide Samuelem Schelguigium *de antiquitate conſecrationis Nuptialis*, *Gedani* 1689., Greſterum *de benedictionibus l.* 2. *c.* 43. Chardonium in *Hiſtoria Sacram.* & Martenium *l.* 1. *c.* 9. *artic.* 5. Secundæ tamen nuptiæ non benedicebantur, ut probat Bellarminus *l.* 1. *de matrim. c.* 9.

7 *Sint nobis*, inquit Clemens Alexandrinus *l.* 3. *Pædag.*, *ſignacula columba, piſcis, navis*,

CAPUT X.

Concordia Chriſtianorum.

HActenus de moribus Chiſtianorum ſeparatim viventium; nunc de eorum cœtibus agendum eſt. *Eccleſiæ* nomen Græcis ſuis in civitatibus pro congregatione populi accipiebant, quæ in theatris ad publica tractanda negotia haberi fere ſolebar. Profanæ hujuſinodi Eccleſiæ ſive congregationis Epheſiorum mentio fit in Actis Apoſtolorum. *Act. 19. v. 31.* Chriſtianorum vero quævis congregatio, ſive Eccleſia, ut a cæteris diſtingueretur, *Eccleſia Dei* appellabatur. Utriuſque generis Eccleſias Origenes *cont. Celſum l. 3.* contra Celſum diſputans, inter ſeſe confert, & tanquam rem omnibus exploratam defendit, etiam remiſſiores minuſque ferventes Chriſtianos, qui tamen reliquorum comparatione perpauci erant, tantum præſtare cæteris hominibus, merito ut ipſorum Eccleſiæ totidem aſtra lucidiſſima nominari poſſint. Itaque ſingulis in civitatibus Chiſtiani in unum quaſi corpus colligebantur. Quæ res inter præcipuas ipſos exagitandi cauſas ab Ethnicis prætendebatur. *Tertul. Apol. c. 39* Illiciti enim hujuſmodi conventus habebantur, quod eos nulla lex civilis & politica confirmaret. Imo crimini vertebatur Chriſtianis mutua unio, quæ ſola virtute charitatis coaluerat, & animorum inter eos conjunctio conjurationis notam ſubibat.

Quotquot eadem in civitate aliove loco degebant Fideles, probe ſe omnes inter ſeſe norant, ſi non aliunde, certe ex quotidiano fere uſu multaque conſuetudine, cum ad preces aliaque religionis exercitia convenire omnes ſolerent. Alias quoque cœtus ſæpe agebant, uti loco, ita ſententiis conjunctiſſimi, etiam in rebus natura ſua indifferentibus. Communia ipſis gaudia, communis triſtitia erat; ſiquid a Deo beneficii gratiæque ſingularis uni conceſſum eſſet, id omnes tanquam ſibi exhibitum accipiebant; ſi noxarum pœna uni ſuſcipienda, miſericordiam omnes implorabant; dixiſſes ſanguine junctos inter ſe omnes, adeo uſitata illis, cum alii alios mutuo compellarent, nunc Patrum & filiorum, nunc fratrum ac ſororum, pro ætatis ac ſexus diſcrimine, vocabula erant. [1]

Hanc animorum concordiam fovebat Patrumfamilias in ſuos auctoritas, & Fidelium erga Presbyteros & Epiſcopos ſubmiſſio, tantopere a Sancto Ignatio ſuis in epiſtolis commendata. Præcipue tamen Epiſcoporum mira erat conſenſio; operam ipſi dabant, ut nomine ſaltem & fama inter ſe noti eſſent, literarum ad hoc commercio diligenter utentes, [2] id quod tunc temporis ſactu proclive erat, Imperio Romano in immenſum patente, cujus tantam amplitudinem ad propagandum maxime Evangelium ſuum Deus permiſiſſe videtur. *Bardeſan. ap. Euſeb. 6. præp. c. 8.* Imo cum longe amplioribus Eccleſia Dei, quam ipſum Imperium Romanorum, finibus contineretur, multo etiam admirabilior fuit tot inter, tamque varias gentes fidei & morum æqualis ratio, quam, morum

navis, qua celeri curſu a vento fertur, vel lyra muſica, qua uſus eſt Polycrates, vel anchora, quam inſculpebat Seleucus. Confer Baronium T. 1. *Annal.* Boldettium in *Obſervation. camet. p. 504. ſeqq.* Hildebrandum in libello *de nuptiis Veterum Chriſtianorum.* Aureus porro feminis deſponſandis dabatur annulus, ut idem Clemens Alexandrinus teſtificatur *l. 3. Pædag. cap. 11.* & Tertullianus *Apolog. c. 6.* qui etiam *pronubum* hunc annulum vocat.

1 Hinc Cæcilius Ethnicus apud Minucium Felicem in *Octav.* hanc Chriſtianorum pacem adrodens, *eruenda*, inquit, *prorſus hæc & execranda conſenſio. Occultis notis, & inſignibus noſcunt & amant mutuo pene antequam noverint.* Quod ſiqua interdum diſſenſio in Eccleſia ſuboriebatur, reperiebantur continuo, qui ei tollendæ, reſtituendæque paci ſtuderent: quo ſpectavit S. Clemens Romanus Pontifex in priore ad Corinthios epiſtola.

2 Huc ſpectant epiſtolæ *canonicæ, communicatoriæ, formatæ*, de quibus fuſe Hermannus Hugo *de prima ſcribendi origine c. 23* Priorius atque Ferrarius in ſuo uterque *de epiſtolis* commentatio.

bar-

barbarie correcta, Chriſti fides in animos ſuorum Sectatorum induxerat. [1] Denique univerſa Eccleſia, quanta quanta erat, veriſſime unum duntaxat corpus erat, cujus omnia membra non modo fidei, ſed charitatis etiam arctiſſimo vinculo copulata inter ſeſe cohærebant.

CAPUT XI.

Chriſtianorum cœtus & Liturgia.

Conveniebant Fideles Dominico quoque die, quem a Sole Ethnici nominant, & Chriſtiani ob memoriam conditæ lucis & Chriſti glorioſæ Reſurrectionis nunquam non honore proſecuti ſunt. [2] Locus, ubi conventus iſti celebrabantur, erat privata domus, in cujus ſuperiore parte Aula eſſet, quam Latini *Cœnaculum* nominant. [3]
Baron An. 57. n. 99. Item An. 224. n. 3. An. 245. An 302. Sæpe ſæpius Tyrannorum vexatione compulſi Fideles extra civitates abdere ſe in cryptas & cæca antra debebant, cujuſmodi adhuc Romæ ſuperſunt dignæ viſu Catacumbæ. [4] Si pluſculum libertatis daretur, ad publica loca confluebant, ubi Chriſtianorum Eccleſias eſſe, paſſim conſtabat. Euſeb. Hiſt. l. 8. c. 2. Cujus rei exempla ſuppetunt ſub Imperio Alexandri & Gordiani Cæſarum. Neque aliter quam dirutis ejuſmodi ædificiis tanquam dato ſigno bellum a Diocletiano in Chriſtianos moveri cœptum eſt.

In his cœtibus præter ſtatas diurnas nocturnaſque preces a Sacerdotibus, quibus ſolis ea poteſtas data eſt, ſacrificium rite fiebat, quod vocabulis in Novo Teſtamento uſitatis ac receptis nominari ſolebat *Cœna*, *Fractio panis*, *Oblatio*, *Synaxis*, ſive *Collecta*, *Dominicum*, *Euchariſtia* ſive *Gratiarum actio*, *Liturgia* denique, ſive publicum miniſterium. Interdum Gentilium urgente metu ſummo mane res divina peragebatur, ne interpellari, turbarive ab hoſtibus poſſet [5]. Unicum tantum in quavis Eccleſia ſeu Diœceſi ſacrificium Deo offerebatur, idque vel ab Epiſcopo; vel a Sacerdotum aliquo, ſi Epiſcopus abeſſet. Attamen ſacrificanti Epiſcopo Presbyteri aderant ſemper, & una

1 Clerici ut plurimum haſce litteras deferebant, ut e S. Cypriani epiſtolis facile eſt colligere. Ceterum poſt datam Eccleſiæ a Conſtantino pacem fuiſſe aliquos, qui Eccleſiaſtici Curſoris munere ſpeciatim fungerentur, indicat Trevirenſis apud Muratorium *Novi Thes. Inſcript.* p. 1888. 2. Inſcriptio, quæ *Urſacii Curſoris Dominici* meminit.

2 Sunt tamen quivelint Judæorum cauſſa ſub naſcentis Eccleſiæ initia, & uſque ad Hadriani ætatem Chriſtianos Sabbatum celebraſſe. Qua in re ſi velint, Sabbatum quoque fuiſſe, ubi Judæorum ad fidem converſorum major numerus exſtaret, aliquo cultu a Chriſtianis donatum, non repugnabo; modo id concedant, quod S. Ignatii, Juſtini, aliorumque Veterum teſtimonia apud VValchium in *hiſtoria Eccleſiaſtica Novi Teſtamenti* p. 400. & 703. diſerte teſtificantur, majorem, ac fere unicam Dominicæ diei fuiſſe rationem a Fidelibus habitam. Atque hic *ſtatus* ille *dies* eſt, quo *ante lucem* convenire ſolitos fuiſſe Bithyniæ Chriſtianos ſcripſit ad Trajanum Plinius. Bohmerus quidem in diſſertatione *de ſtato die Chriſtianorum ſtatum* eum *diem* Sabbatum explicat Judæorum, ſed ab Johanne Laurentio Moshemio copioſe refellitur in *Inſtitutionibus Hiſtoriæ Criſtianæ majoribus* p. 379.

3 Atque hic locus ut in privatis ædibus deſignatus vere *Eccleſia* dici potuit, ac tuit, quidquid viſum Baſnagio fuerit, quem Robertus Sala in notis ad Bonæ res Liturgicas *T. II.* p. 39. confutat. Vide & Moshemium in *Inſtitutionibus Hiſtoriæ Chriſtianæ majoribus* p. 383.

4 Confer Salam T. II. *Rerum* Bonæ *Liturgicarum* p. 46. & Boldettium *Obſervat. Cœmet.* l. 1. c. 10.

5 Heinc Plinius in celeberrima ad Trajanum epiſtola Chriſtianos ſcripſit *ante lucem convenire*, ac Tertullianus modo *antelucanos cœtus* (*L. de corona c.* 3.), modo *nocturnas* memorat *convocationes* (*l.* 2. *ad uxor. c.*4.) Confer Chriſtianum Kortholtum in *comment. in Plinii & Trajani de Criſtianis primævis epiſtolas* p. 104., Tobiam Pfannerum *obſervat. Eccleſ. part. II.* p. 97. Bœhmerum *diſſert. juris Eccleſiaſt. ant. diſſ.* 2. p. 35. & Havercampium in *Tertulliani apolog.*

cum

cum eo offerebant. [1] Varius erat pro temporum & locorum varietate Liturgiæ uſus, ritibus aliquot per ſe minime neceſſariis nunc additis, nunc detractis; ſumma tamen rei eadem ubique ac ſemper fuit. Juvat hic recenſere, quæ in iſtam rem inde a primis Eccleſiæ temporibus memoriæ prodita ſunt.

S. Juſt. Apolog. in fin.

Nonnullis precibus præmiſſis, e Vetere primum, deinde Novo Teſtamento aliquid recitabatur, poſtrema lectio ſemper ex Evangelio petenda erat; quod Epiſcopus continuo exponebat, exhortatione, quæ maxime e re foret audientium, ſubjuncta. Subinde ad Orientem converſi omnes, manibus in cœlum ſublatis [2] preces ordine fundebant pro quibuſcunque hominum generibus, pro Chriſtianis & Gentilibus, pro ſummis & imis, præcipue vero pro ægrotis, calamitoſis, & Chriſti cauſa quidpiam perferentibus. Diaconus ad comprecandum reliquos cohortabatur: tum Sacerdos in preces præibat, populo conſentiente, cum *Amen* [3] reſponderet. Secundum iſta Panis & vinum aqua modice permixtum offerebantur, tanquam ſacrificii futuri materia. Qui aderant, viri viris, & fœminæ fœminis mutua pacis oſcula figebant ad perfectæ concordiæ publicam ſignificationem. [4] Mox ſua ſinguli dona Sacerdoti offerebant, & Sacerdos omnium verbis Deo illa ſacrabat. Tum denique ad actum ſacrificandi propius ventum eſt. Sacrificans admonitis præſentibus, ut ad Deum corda erigerent, ut Deo gratias agerent, ejuſque majeſtatem cum Angelorum omniumque beatorum Spirituum choris demiſſe adorarent, cætera perſequebatur uſque ad inſtitutionis Euchariſtiæ narrationem & formulæ conſecratoriæ pronunciationem. Hanc Dominica precatio excipiebat, communiter recitari ſolita. Ad extremum Sacerdos ſacra communione ſumpta eandem Diaconorum miniſterio univerſis, qui ſacrificio intererant, impertiebatur; [5] qui vero intereſſe non poterant, iis a Diaconis vel Acolythis domum deferebatur. [6] Semper etiam pro

Cypria. Epiſt 63. — *S. Cyprian. de orat.* — *S. Juſt.*

---

1 Vide Martenium *l.* 1. *de ant. Eccl. ritib. cap.* 3. *art.* 8. & Chardonium *in hiſt. Sacram.*

2 Præter ea, quæ alibi de hiſce precandi ritibus adnotavimus, confer VValchium *hiſt. Eccleſ.* N. T. *p.* 409. & 720.

3 De uſu perantiquo voculæ *Amen* in ſacris Chriſtianorum, conſule Interpretes ad 1. *Cor. XIV.* 16., & Vitringam *Synagog. vet. l.* 3. *p. II. c.* 19. Vide etiam Corſinii *Notas Græcorum p.* 2.

4 Tertullianus *de orat. c.* 14. hoc appellat *oſculum pacis*, *ſignaculum orationis*, moneique tempore quo paſſionis Dominicæ memoria recoleretur, fuiſſe *depoſitum*. Vide VValchium hiſt. *Eccl. p.* 422. & 752., auctoreſque ab eo laudatos.

5 Confer Bonam *Rer. Liturg. l.* 2. *c.* 17., Salam in ipſum hunc Bonæ Locum T. III. *p.* 364. *ſeqq.* Martenium de ant. Eccl. ritib. *l.* 1. *c.* 4. *a.* 10. Diaconos porro fuiſſe communionis Miniſtros docent Juſtinus *apol.* 2. & Cyprianus in lib. de lapſis. Heinc S. Laurentius apud Ambroſium *l.* 1. *offic. c.* 41. ſic Sixtum ad Martyrium adcedentem alloquebatur: *cui commiſiſti Dominici ſanguinis conſecrationem* (*miniſterialem* ſcilicet, ut notant Habertus *Pontific. Græc. p.* 191. & Bona *Rer. Liturg. l.* 1. *c.* 25. *n.* 4.) Deinceps tamen vel plane non licuit Diaconis *Calicem Dominici ſanguinis præbere*, ut indicat S. Joh. Chryſoſt. *hom.* 46. *in Matth.* vel certe *præſente Presbytero* non licuit, ut ſancitum reperio a Concilio Carthaginienſi IV. *can.* 38. & ab Arelatenſi II. *can* 15. Ritus porro communionis hic erat. Stabant Fideles, non genuflectebant, manuſque lotas, & in Crucis formam compoſitas ad ſuſcipiendum ſive a Presbytero, ſive a Diacono ſacrum cibum porrigebant, ut multis probant Bona *l.* 2. *c.* 17. Martenius *l.* 1. *c.* 4. *art.* 10. Antonellius in notis ad S. Jacobi Niſibeni ſermonem XIV. *p.* 347. Viri tamen nuda manu, mulieres ſubiecto linteolo, Euchariſtiam ſuſcipiebant; qua de re adi Salam in notis ad citatum Bonæ locum *p.* 371. Antequam autem ſumerent, ſæpe Sanctiſſimum Chriſti Corpus oculis admovebant, ipſa etiam labia, & frontem divini Sacramenti contactu non raro ſanctificabant. Conſule citatum Antonellium in S. Jacobi Niſibeni Sermonem VII. *p.* 248.

6 Præſertim perſecutionum temporibus. Vide Martenium *l.* 1. *c.* 5. *artic.* 1. *n.* 2. Bonam *l.* 2. *c.* 17. *§. IV.* & *V.*, Boldettium, *Obſervat. Cæmet. l.* 1. *c.* 10. Arcæ

autem

Digitized by Google

pro viatico aliquid reſervabatur, quo ad ineundum longum iter æternitatis *Tertul. 2. ad Ux. c. 5.* morientes munirentur. [1] Licebat etiam Fidelibus ſecum fere Euchariſtiam, eamque mane jejunos accipere quot diebus, vel certe imminente vitæ periculo, aut cum ad Martyrium comparare ſe vellent. [2] Neque enim per ea tempora integrum erat, populo quotidie congregato, ſacris operari. Solæ tamen *Cyprian. de lapſ.* Panis ſacræ ſpecies alio aſportabantur, etſi præter parvulos, quibus vini duntaxat conſecratæ ſpecies modica quantitate inſtillabantur, adulti omnes, qui aderat, ſub utraque ſpecie utplurimum Sacramenti participes fierent. [3] Sumpto hoc divino cibo primis Eccleſiæ temporibus eodem in cœnaculo epulæ communes apponebantur, quas Agapen vocari, ſupra commemoratum eſt. [4] Progrediente vero die ſolis viduis & pauperibus cibi aliquid dabatur. Ex eo conviviolo Paſtori, quamvis non adeſſet, primitiæ ciborum ſeponebantur. *Conſtit. Apoſt. 2. c. 28.* Adhæc duplicata portio Presbyteris & Diaconis, unica ſolum Lectoribus, Cantoribus & Oſtiariis præſcripta erat.

CAPUT XII.

Occultatio Myſteriorum Fidei.

PRæter Euchariſtiam, de qua ſuperiore capite, iiſdem in Congregationibus reliqua etiam Sacramenta, quoad fieri poterat, diſpenſabantur, Gentilibus eam ob cauſam ſollicita cura inde excluſis. Studioſe nimirum Redemptoris noſtri præceptum Chriſtiani obſervabant, prohibentis *dare ſanctum canibus, & mittere margaritas ante porcos*. *Matth. 7. v. 6.* Eandem ob cauſam Novæ Legis Sacramenta alio vocabulo *Myſteria*, id eſt, *Arcana* nominabantur, quæ Chriſtiani non tantum Ethnicos, verum etiam Catechumenos celatum ibant; nec ſolum ea frequentare illis inſpectantibus verebantur: ſed etiam, quid clam ipſis fieret, referre, aut ſolennes Sacramentorum formulas coram enunciare, religioni ducebant ſibi; multo etiam minus editis libris publicare myſteria audebant. Siqua interdum neceſſitas urgeret, ſive pro concione ad populum, ſive ſcripto ediro, quod facile ad profanas manus diſtrahi poſſet, de Euchariſtia aliove Myſterio diſſerendi, verborum involucris & ænigmaticis locutionibus omnia tegebantur. Sic in Novo Teſtamento *frangere panem* idem ſonabat, quod conficere & diſtribuere Euchariſtiam, phraſi ab Ethnicis nunquam intelligenda. *Act. 2. v. 42 & 46. & alibi.* Mos iſte plura etiam ſæcula tenuit, poſtquam aſſerta jam in libertatem Eccleſia Dei fuit.

Minime vero novum & inſolens videri Gentilibus poterat illud Chriſtianorum in celandis fidei arcanis ſtudium; quandoquidem ipſi etiam Gentiles in profanis ſuis ceremoniis idem obſervabant. Qui ad Iſidis, Oſiris, Cereris Eleuſinæ ac Cybeles curanda ſacra initiabantur, ad eadem clam aliis tenenda ſumma religione, & Dirarum omnium propoſito metu obligatos ſeſe credebant, & ſiquid aliquando proderent, pro impiis & ſceleratis habebantur. Exemplum ejus rei perſpicuum Apulejus affert, & Herodotus de diverſis ritibus religionis Ægyptiorum aliarumque Gentium agens, ſæpe ait, rei quidem rationem haud ſe ignorare, ſed in medium proferre non audere. *Apul. Aſin. lib. 11.*

OBSER-

autem includebant, qui domi Euchariſtiam ſervabant. Vide ſupra *cap. VIII.* Acta SS. MM. Nicomedienſium.

1 Vide Marteninm *l.* 1. *c.* 5. *artic.* 2. Bonam *l.* 2. *c.* 17. *§. VI.* & Salam in eumdem *T. III. p.* 379.

2 Confer AA. citatos *ad not.* 10.

3 Conſule Bonam, & Salam *in eumdem l.* 2. 18.

4 De Agapis plura infra dabimus Inter ea præter Auctores a Fabricio citatos *Bibliogr. antiq. p.*396. confer VValchium in *hiſt. Eccleſ.* N.T. *p* 419. 740. 1107. & Boldettium *Obſervat. Cæmet. p.* 45. *ſeqq.* An autem ante, an potius poſt ſumptam Euchariſtiam celebrarentur, inquirit Sala in notis ad Bonæ *res liturgicas p.* 5. Vide etiam hiſtoriam litterariam Italiæ *T. IX. p.* 351. *ſeqq.*

OBSERVATIO LATINI INTERPRETIS AD HOC CAPUT.

Magni momenti argumentum eſt in iſto capite cæteroquin brevi pertractatum. De eo Schelſtratius ſingularem diſſertationem inſtituit Romæ typis vulgatam, quam inſcripſit: De Diſciplina Arcani; *eo autem doctrina hæc de occultatione rituum ac dogmatum aliquorum noſtræ fidei ſpectat, ut & complures Patrum de Sacramentis præcipue obſcure loquentium ſententiæ, quas Heterodoxi contra nos afferunt, commode ac genuine exponantur; & ſolida ratio afferatur, cur primis Eccleſiæ ſæculis nulli Tractatus de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis conſcripti fuerit. Dicunt quidem Proteſtantes, antiquiores Patres a Commentariis de ſeptem Sacramentis abſtinuiſſe, eoquod numerum illorum Sacramentorum non admiſerint. Verum id ex Orientalis Schiſmaticæ & Occidentalis Orthodoxæ Eccleſiæ hac ſuper re conſenſione facile refellitur. Neque enim Orientales Schiſmatici cum Orthodoxis Latinis in unam eandemque ſententiam ab octingentis annis & amplius conſpiraſſent, niſi illam a Majoribus accepiſſent. Alia itaque ratio quærenda eſt: nimirum cum Tractatus de ſeptem Sacramentis eduntur, neceſſe eſt eorum ritus exponere, materiam & formam, quibus conficiuntur, determinare, dogma ipſum de omnibus ad Sacramentorum conſecrationem & miniſtrationem ſpectantibus diſerte proferre; quæ tamen omnia vetus Eccleſiæ diſciplina auribus & oculis non modo Gentilium ac Judæorum, verum etiam Catechumenorum religioſe occultabat, ne, quod prudenter metui debebat, myſteria ipſa ſui evulgatione profanarentur. Contra vero poſtquam ſexto Eccleſiæ ſæculo, fide Chriſtiana longe lateque jam propagata & conſtabilita metus iſte ac mos ceſſaſſet, frequens Sacramentorum mentio apud Græcos & Latinos poſtmodum facta eſt; ita ferme ad verbum Antonius Pagius in Critica ad Annum Chriſti* 118. *num. IV. &c. ex Schelſtratio ſupra laudato*. Vide infra diſſertationes.

CAPUT XIII.

Odiorum in Chriſtianos cauſæ.

SÆpe tamen hæc ipſa Myſteriorum occultatio anſam Gentilibus præbuit, criminandi Fideles; frequentius enim vitii, quam virtutis amore latebras homines quærunt. Aliunde vero nota res, & apud omnes pervulgata erat, quamplurima Myſteria, quæ aliis in religionibus ſtudioſiſſime celarentur, eadem omnium maxime turpia & infamiæ plena eſſe; quemadmodum in ritu colendæ Cereris & Cybeles, item in ſacrificiis Bacchi uſuveniebat, quæ prohiberi tandem propter multa, quæ ibidem crudeliter & nefandum in morem fiebant, Senatus edicto oportuit, anno ab Urbe condita quingenteſimo *Liv. 39. c. 9.* ſexageſimo octavo. Cum itaque præconceptis pridem ſiniſtris opinionibus male affecti erga Chriſtianos Ethnici eſſent; nihil proclivius erat, quam ut in ſacris Chriſtianis tanto ſtudio celari ſolitis ſimilia probra admitti ſuſpicarentur. Augebant porro ſuſpicionem *Baron.* iſtam Gnoſticorum, Carpocatianorum, *An. 120.* aliorumque hæreticorum flagitia, qui *num. 21.* cum Chriſtianorum nomine cenſerentur *Epiph.* omnes, tam indigna hoc nomine *hæreſ. 26.* ſuis in conventiculis perpetrabant, ut *& 27 Iren. l. 1. c. 24.* fidem ſuperare propemodum videantur, quæ de hoc argumento Patres literis conſignarunt. Nec deerant inter ipſos Catholicos perditi homines, qui a vera religione deſciſcerent, ſeu animi levitate & inconſtantia abducti, ſeu expiandorum publice criminum metu deterriti, ſeu tormentorum acerbitate tempore perſecutionis fracti & ſuperati. Id genus homines ut de infamia ſacrilegæ defectionis multitudini ſeſe purgarent, partim nova in Chriſtianos ſcelera comminiſcebantur, partim vulgo jam notas criminationes confirmabant ipſi, atque exaggerabant; quorum teſtimonia, ut qui noſtra ſacra intime noſſent, pro indubitatis admittebantur.

His Auctoribus fabula percrebuit, ſolere Chriſtianos in nocturnis conventibus infantem occidere, cujus ſanguine panem ſuum illinant; imo carnibus

rueri affatis, & farina reſperſis veſci; quam calumniam ex Euchariſtiæ Myſterio perperam intellecto natam fuiſſe, nemo non videt. Alia quoque de Chriſtianis fabula narrabatur, nimirum ſublatis menſis, in quibus cibo ſeſe immodice ingurgitarint, objicere ſolitos fruſtum aliquod cani ad candelabrum alligato, qui prædæ captandæ aviditate proſiliens, candelabrum, a quo religatus erat, loco excuſſum humi proſternat; tum vero candela, quam unam accenſam tenuerant, extincta, tenebriſque invitantibus, viros fœminaſque, quotquot adeſſent, digna æternis tenebris flagitia patrare. Nihil equidem iſtis mendaciis excogitari abſurdius poterat; ſed tamen credula in vitium turba fidem iis adhibuit, ut adeo neceſſe eſſet, accuratis ea confutationibus diluere. Nimirum ex quo in Bacchanaliorum feſtis, ducentos ante ea tempora annos horrenda quædam & infanda crimina detecta fuerant, paſſim exiſtimatum eſt, nullum tam immane facinus eſſe, ad quod committendum homines, religionis veluti prætento velo, induci ſe non patiantur.

Minut. Fel.

Tertul. Apol. c. 9. & 9. Origen. cont. Celſ. 6.

Adhæc multa alia in Chriſtianos contumelioſe jactabantur: hominum genus id eſſe toti humano generi, ac Romanorum præcipue poteſtati infeſtum: delectari publicis calamitatibus: contra vero ſecundis rerum ſucceſſibus indoleſcere; Romani denique Imperii everſionem votis omnibus expetere. Non alio iſta fundamento nitebantur, quam quod multa Chriſtiani de bonorum terrenorum fluxa & inani conditione, multa de Judicii extremi natura, mundique interitu paſſim dicerent. Fortaſſe etiam ipſorum nonnemo ſeu parum conſulto, ſeu mala fide quædam eorum narravit, quæ de caſtiganda Gentili Roma, deque Martyrum vindicando ſanguine in Apocalypſi continentur. Ad ejuſmodi confirmandas calumnias illud etiam non parum momenti attulit; quod nihil publicæ hilaritatis Chriſtiani cum Ethnicis commune vellent habere; quippe quorum profana gaudia ſacrificiis, conviviis & ſpectaculis conſtarent, impietate ac diſſolutione plenis. Quin potius feſtos Gentilium dies Chriſtiani in luctu & pœnitentia tranſigebant conſideratione innumerabilium peccatorum, quæ tunc committebantur; ex adverſo quos dies Gentilium ſuperſtitio pro luctuoſis & nefaſtis habebat, eos Chriſtiani potius materiam ducebant eſſe lætandi. Ipſas adeo nundinas Fideles devitabant, luſuum ibidem uſitatorum odio; ſiqui tamen ad publicos mercatus ſeſe conferrent, non alio fine id faciebant, quam ut neceſſaria coemerent, aut mancipium aliquod redimerent, ad veram fidem traducendum:

Luc. Philop.

Tertul. Apol c. 35.

Conſtit. Apoſt. 5. c. 9 Clem 2. Pædag.

Conſtit Apoſt. 2. c. 26.

Denique ad vocandos in communem invidiam Chriſtianos illud plurimum valebat, quod Religionem profiterentur, quæ una cæteras omnes ad eam diem receptas & ſtabilitas prohibet ac damnat. Nec quidquam proderat ipſis, palam aſſeverare, quod colant & adorent in ſpiritu Deum, Cœli Terræque effectorem, eique precum ſuarum continua offerant ſacrificia. Nimis enim peregrinus, & ſupra Idololatrarum captum is loquendi modus erat, ſæpeque Gentiles inſtabant, ut nomen Dei ſui Chriſtiani proferrent; cumque iſti nec Simulacrum aliquod ex iis, quæ in fanis proſtabant, oſtendere poſſent, nec altaria flammis coruſca, cruentave ſacrificia haberent; pro Atheis paſſim traducebantur. Atque hæc populorum in Fideles odia mirum quantum fovebant, magiſque inflammabant Augurum, Aruſpicum & quorumcunque Ariolorum turbæ, verbo, ii omnes, quibus quæſtui erant capti ſuperſtitione animi. Huc ipſi falſa prodigia a ſe in ſpeciem patrata, huc publicas calamitates, bella inquam, morbos, ſterilitatem agrorum, aliaque his ſimilia, quæ ſubinde accidebant, ſpectare mentiebantur. Horum malorum Auctores Chriſtianos faciebant, utpote qui talia ab iratis Diis in eorum capita accerſerent, qui inviſam cœlo gentem adhuc vivere patiebantur. *Exiſtimant*, Tertullianus ajebat, *omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſam. Si Tyberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi cœlum ſtetit, ſi terra mota eſt, ſi fames, ſi lues; ſtatim* (conclamatur) *Chriſtianos ad leonem*: id eſt: ad beſtias peſtes hominum condemnate.

Arnob. init.

Tertul c. 19. & alibi in Apolog.

Ani-

Digitized by Google

Animis ita præoccupatis, ipſæ adeo Chriſtianorum virtutes in deteriorem partem accipiebantur, inque argumentum vituperationis & calumniarum detorqueri ſolebant. Odioſa nimirum erat mutua ipſorum dilectio: *fratrum* & *ſororum* uſitata inter ipſos vocabula in ſequiorem ſenſum explicabantur [1] eo maxime, quod illis vocabulis Gentiles re ipſa abuterentur ad intemperantiam & libidinem: eleemoſynarum largitionem alias interpretabantur eſſe occultam artem, pervertendi egentiores & ad ſuas partes adjungendi; alias vero a Præſulum avaritia proficiſci ajebant, exhauſtis privatorum hominum crumenis ſuas Eccleſias locupletantium. Ipſa miracula præſtigiis diabolicis tribuebantur; & erant profecto tum temporis omnia præſtigiatoribus & circumforaneis plena, qui divinationum multiplici genere, faſcinis etiam, characteribus, barbaris nominibus & exoticis figuris uſi, pro vatidicis & thaumaturgis vulgo ſeſe venditabant, imo mira & ſtupenda ſive occulto artificio ſive Dæmonis miniſterio ſigna edebant, ut miraculo eſſe deſinerent ipſa miracula, quæ paſſim vel audirentur, vel oculis cernerentur. In tanta rerum perturbatione vera prodigia cum falſis confundebantur; & qui ea patrare dicebantur, ex æquo omnes contemptui erant. Regionum etiam indoles errorem hunc augebat; nam impoſtorum illorum pars maxima ex Ægypti latebris & Orientalibus provinciis emerſerant.

Acta St. Hippol. &c. ap. Baron. An. 259. n. 23.

Prudent. Periſteph. hymn. de S. Laurentio.

Ipſæ quoque perſecutiones in Chriſtianos motæ odiorum nova in eoſdem flabella erant. Sceleratos eſſe nemo non judicabat, in quos tanquam ſceleratos paſſim animadverti omnes videbant; atque ex ſuppliciorum atrocitate criminum magnitudinem quiſque metiebatur. Omnes tanquam devota neci capita, peſteſque hominum igne & crucibus exſcindendæ vulgo aſpiciebantur, hoc ipſum ſignificabant contumelioſa adverſus Chriſtianos excogitata cognomenta; cum eos nunc *Biæothanatos* (melius *Biothanatos*) id eſt violenta morte occubituros: nunc *Sarmenticios*, & *Semaxios* nominabant; id eſt, ut Tertullianus explicat, homines, *qui ad ſtipitem dimidii axis revincti, Sacramentorum ambitu exurendi eſſent*. Has imperitæ plebis opiniones Suetonius & Tacitus ſecuti ſunt; ille de Claudio Imperatore ſcribit; *Judæos impulſore Chriſto aſſidue tumultuantes Roma expulit*; quaſi vero Chriſtus etiamtum in terris ſuperſtes, & cujuſdam inter Judæos factionis caput fuiſſet. [2] Idem inter res a Nerone laudabiliter & præclare geſtas recenſet, quod affecti ſuppliciis ab ipſo fuerint Chriſtiani, *genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ*. Porro Tacitus ubi de incendio agit Urbis Romanæ, a Nerone per ludum animique cauſa excitato, teſtatur, eundem Imperatorem incendii Auctores inſimulaſſe homines, *quos per flagitia inviſos vulgus Chriſtianos appellabat*, Tum iſta ſubjungit: *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus eſt. Repreſſaque in præſens exitiabilis ſuperſtitio rurſus erumpebat non modo per Judæam, originem ejus mali, ſed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocia & pudenda confluunt celebranturque. Igitur primo correpti, qui fatebantur: deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde crimine incendii, quam odio humani generis convicti ſunt*. Hæc Tacitus, qui ut paucis multa complecteretur, Chriſtianos vocat *ſontes* & *noviſſima exempla meritos*.

Baron. An. 118. n. 6. Tertul. Apol. c. 50. Sueton. in Claud. n. 25.

Idem in Neron. num. 16.

Tacit. 15. Annal.

Etiam cordatiores Gentilium, quique res hominum paulo altius rimantur, nonnullas abalienationum a Chriſtianis cauſas inveniſſe ſibi videbantur, Iſti enim partim Græci, partim Romani erant, ſoliti cæteras nationes ſa-

1 Exſtat Godefridi Arnoldi *fratrum, ſororumque appellatio inter Chriſtianos maxime quondam uſitata*, 1696.

2 Non *Chriſto*, ſed *Chreſto* legendum in Svetonii loco. Ceterum ſunt, qui negent, Svetonium de Chriſto fuiſſe loquutum, quamquam contra pugnet P. Mamachius *T. 1. Orig. p. 70.* Vide hiſtoriam litterariam Italiæ *T. II. p. 373. ſeq.*

miliari ſibi faſtu deſpicere, barbaroſque appellare; præ cæteris tamen Judæi ſuperſtitionis & putidæ credulitatis nota (*Horat. in Satyr.*) apud ipſos laborabant. *Credat Judæus Appella, non ego*, dicebat Horatius, de re portentoſa & incredibili loquens. Præter hæc Sapientes iſti audiebant, eſſe inter Judæos, qui pro Filio Dei adorent hominem in crucem actum, totiuſque inter iſtos & reliquos Judæos controverſiæ caput in eo verſari, utrum etiam poſt mortem ſuam homo ille viveret, atque ipſorum verus ac legitimus Rex eſſet; quam abſurdum Gentilibus tale genus altercationis videretur, facile quiſque exiſtimarit. Animadvertebant etiam, novam hanc hominum ſectam cæterorum odiis Judæorum uſque adeo appeti, ut ſeditiones ab iſtis non raro in illis concitarentur, qua ex re nequiores haud dubie aliis omnibus eſſe, argumentabantur.

Audiebant inſuper de Chriſtianis referri, ipſos ad perſuadendum nec ratiocinationibus uti, nec petitis ab eloquentiæ arte præſidiis; imo ſimpliciter ad credendum ea, quæ dicerent, alios hortari, nec niſi miraculis oſtenſis, ea, quæ narrabant, confirmare ſolere; homines etiam eſſe utplurimum illiteratos, in Judæorum volvendis libris operam omnem collocare, diſcipulos ſibi quærere & inſtruere non alios fere quam indoctos, fœminas deque infima plebe homines, eoquod iſtos magis quam (*Orig. in Cels.*) ſapientiores ad ſua dogmata percipienda idoneos exiſtimarent; quæ omnia nimis quam nova inſolitaque auditu accidebant. Nulla enim apud Ethnicos rudis populi inſtitutio, nulla de officiis (*August. de vera relig. initio.*) niſi apud Philoſophos tractatio uſitata tunc erat, quorum diſceptationes materiam Religionis non attingebant. Denique cum hæretici omnes communi Chriſtianorum nomine appellarentur, toti Eccleſiæ tribui ſolebat, quidquid aut Valentiniani aut his ſimiles viſorum (*Baron. An. 179. num. 17. & 18.*) cœleſtium fictores proferebant, quos S. Irenæus acriter impugnavit; horum inepta mendacia a Catholicorum ſana doctrina Gentiles minime ſecernebant, eoque factum eſt, ut Chriſtianiſmus univerſus nihil aliud videretur, quam hominum imperitorum ſuæque opinioni obſtinate inſiſtentium colluvies.

Pura quidem & ſanctiſſima erat Chriſtianorum de moribus doctrina, nec vita ipſorum a doctrina diſſidebat. Sed abundabant ea tempora Philoſophis, qui virtutem ipſi quoque profitebantur, alioſque docebant. Complures etiam primis Eccleſiæ ſæculis fuere, qui Chriſtianos fortaſſe imitaturi, provincias obibant, generis humani, ſi Superis placet, futuri reformatores, eamque ob rem aſpera quædam & adverſa perpeti non dubitabant; (*Baron. An. 75. n. 6. Orig. in Cels.*) hujuſmodi erant Apollonius Tyanæus, Muſonius, Damis, Epictetus & nonnulli alii. Inde a pluribus retro ſæculis Philoſophorum longe lateque celebris erat fama: nihil ab his ignoratum, nihil prætermiſſum fuiſſe in ipſorum libris, paſſim exiſtimabatur; nec adduci quiſquam poterat, ut Pythagora, Socrate, Platone, aut Zenone ſapientiores eſſe Barbaros crederet; e contrario judicabant homines, ſiquid iſti ſapientiæ & bonæ inſtitutionis haberent, id omne ipſos ab antiquis Sapientibus mutuatos eſſe.

Ex altera vero parte longe indulgentiores hominum geniis Philoſophi illi quam Chriſtiani erant. Complures enim eorum voluptatem non damnabant: nonnulli beatitatem hominis in ea collocabant; omnes ſuis quemque opinionibus inhærere, ſuo arbitrio vivere patiebantur, contenti interim ridere inter ſe familiariter, & explodere alios, qui Philoſophorum e Secta non eſſent. Illud vero ſtudioſiſſime cavebant Sapientes iſti, ne quid adverſus religiones pridem introductas uſuque longo firmatas gravius aſperiuſque loquerentur: imo aliqui eorum ineptiſſimas quaſque fabulas Gentilium admittebant, & reconditis rerum ſignificationibus plenas interpretari conabantur; alii in cognoſcendo rerum omnium Principio pro ſe quidem elaborabant; ſuperſtitiones tamen illis hominibus relinquebant, qui per ingenii infirmitatem eniti ad ſapientiam non poterant. Ipſi adeo Epicuræi, qui apertius, quam reliqui Philoſophorum, popularem errorem de Deorum natura & cultu inſectabantur, ſacrificiis nihilominus intereſſe, & ritus cujuſque loci peculiares obſervare non dubitabant; iſtorum

e nu-

Justin. e numero unus de ſe affirmat: *aſſiſto Divinis*. In eo omnes conveniebant, quod mores hominum longa die & legum inſuper authoritate roboratos impugnare non auderent.

Eo uſque ſtulta credulitas Ethnicorum proceſſerit, ut non modo plures univerſim Deos, ſed etiam ſingulis nationibus, civitatibus, familiis proprios eſſe putarent, qui nimirum de commiſſis ſibi locis ſpeciatim ſoliciti eſſent, cultumque in iis locis ſingularem ſibi expoſcerent. Imo quamcumque Religionem ſaltem in loco, ubi jam pridem recepta fuerat, bonum eſſe homines credebant. Nec veteribus contenti infirmioris ſexus homines, rudiſque & inſtabilis multitudo in novas quotidie religiones propendebant, quod exiſtimarent, ut quiſque plurimos Deos ac Deas diverſis ritibus veneraretur, ita maxime religioſum fore. Nihil a viris gravibus & politicis intentatum relictum fuit, ut hac animorum repreſſa levitate, novari quidquam in materia Religionis prohiberent; peregrina inprimis ſacra damnabant, eaque in re politices totius verſari ſummam Romani ſtatebant. Suis enim tutelaribus Diis debere ſe Imperii tantam amplitudinem arbitrabantur, nec poſſe illos aliarum Gentium Diis non præſtare, qui alias Gentes prope univerſas ſuæ ditioni ſubjeciſſent; cumque proceſſu temporis late propagata, ac demum conſtabilita eſſet Chriſtiana Religio, non deerant Gentiles, qui huic uni rei ruinam Romani Imperii adſcriberent paulo poſt conſecutam, ut plane Auguſtino opus eſſet, qui divinis illis libris de civitate Dei conſcriptis, Ethnicorum calumnias obtereret ac profligaret.

Nec magnopere mortis generoſo contemptu, quem Chriſtiani præſeferebant, Gentiles movebantur: ut qui ſoliti erant ſpectare gladiatores, qui pro exigui imo nullius lucri propoſita ſpe in amphitheatro animas temere projicerent ſuas; quotidiana inſuper ante oculos verſabantur funera hominum haud infimæ ſortis, qui animi ægritudine leviſſimis ex cauſis contracta ſuiſmet manibus mortem ſibi conſciverant; idem, jure conſultis teſtantibus, inſanæ oſtentationis cauſa quidam Philoſophorum fecerunt, quos inter Peregrinus Lucianus memorabili exemplo eſt. Imo cum animadverterent Gentiles, Chriſtianos ſpe melioris vitæ præſentis vitæ commoditates & delicias deſugere: vehementer admirabantur, qui tandem fieri poſſet, ut violentas a ſe ipſis manus abſtinerent. *Ne quis dicat*, ita S. Juſtinus, *omnes igitur vobis ipſi mortem conſciſcite, & ad Deum jam proficiſcimini, nec nobis negotium ultra faceſſite*. Haud abſimili modo Antoninus Aſiæ Proconſul, ut vidit, magno numero ac certatim offerre ſe ad mortem Chriſtianos, in hujuſmodi voces prorupit: *Ah miſeri! ſi certum eſt mori, præcipitia & reſtes habetis*.

L. 6. §. 7. ff. de iniu ſto rump. & ir.

Juſtin. Apol. c. initio.

Tertul. ad Scap. c. ult.

Itaque Plebs æque ac Magiſtratus, docti & rudes, omnium denique ordinum homines communiter oderant Chriſtianos. Alii eos tanquam impoſtores, impios & ſceleratos execrabantur; alii tanquam miſanthropos, viſorum nundinatores, ſimulate Melancholicos & per ſummam animi obſtinationem in mortem præcipites deridebant. Ne alloquio quidem cæterorum hominum digni habebantur, tamque alte inſederant animis præconcepta de iis ſiniſtra judicia, ut ad condemnandos illos præter Chriſtiani nomen nullo alio examine opus eſſet: hoc unum nomen quantaslibet ipſorum laudes obſcurabat, & familiaris Gentilibus ea vox erat, quam de C. Sejo nonnemo pronuntiavit: *Bonus vir, malus tantum, quod Chriſtianus*.[1]

Tertul. Apol. c. 3.

---

1 Confer Joh. Andream Munnich *de nominibus quibuſdam contumelioſis, quæ Chriſtianis olim a Gentilibus impoſita ſunt*, *Lipſiæ* 1690., Chriſtiani Kortholti *Paganum obtrectatorem, ſeu de calumniis Gentilium in veteres Chriſtianos*, *Lubecæ* 1703., Joh. Franciſcum Buddeum *de veritate Chriſtianæ religionis philoſophorum Gentilium obtrectationibus confirmata*, *Jenæ* 1711., Mamachium *T. I. origin. & antiq. Chriſtian.*, hiſtoriam litterariam Italiæ *T. 2. p. 377. ſeqq. & 386. ſeqq.*

CAPUT XIV.

Perſecutiones, Judiciorum forma & ſupplicia de Chriſtianis ſumpta.

Ex hoc tam communi odio mirum non eſt, concitatas in Chriſtianos fuiſſe perſecutiones; illud potius admirationem nonnullis moveat, potuiſſe Romanos, hominum genus cæteroqui a ſapientia & humanitate commendatum, in alios Romanos vel certe in homines ratione præditos tam dirum ac prope ferinum in modum deſævire, id quod ex Actis Martyrum plus nimio elucet. Illud etiam mirum & a conſuetudine noſtrorum temporum longe alieniſſimum erat, quod Judices, cum ipſi adeſſent, in foris & compitis celebrioribus, inſpectante populi univerſa multitudine in Chriſtianos animadverterint, eaque adhibuerint ſuppliciorum genera, quæ mere arbitraria primumque excogitata videri poterant.

Sed adnotare hic juvat Romanorum hac in re antiquum morem. Solebant iſti actiones omnes judiciarias, ſeu capitales eſſent ſeu civiles, ſive cognoſcenda ſolum cauſa, ſive poſt ejus cognitionem ſententia proferenda foret, propalam & in publico hominum conventu exercere, quod in foro ſemper fiebat. Qui convenerant ſub porticu Quæſitores, editiore in loco pro tribunali ſedebant; hos lictorum & militum manus circumſtabant, illi faſcibus & ſecuribus, hi armis ſuis inſtructi, utrique ad exhaurienda ſine cunctatione judicum mandata expediti; neque enim juris ſolum dicendi, ſed armorum etiam poteſtas penes Magiſtratum erat. Suæ cuique crimini a Legibus conſtitutæ pœnæ erant, diverſæ tamen pro perſonarum differentia. Severius in mancipia quam in liberos, in exteros quam in cives Romanos animadvertebatur. Eo factum, ut S. Paulus, quod Civis Romanus eſſet, capite plexus: S. Petrus, quod Judæus, in crucem actus fuerit. Hoc ſupplicium maxime infame habebatur, & utplurimum, qui illud ſubituri erant, eorum & terga prius virgis cædi, & latera candenti ferro facibuſque aduri ſolebant. Tormenta etiam publice admovebantur, atrocia illa quidem ſed non aliis fere, quam mancipiis viliſſimiſque homuncionibus pertimeſcenda. Ad hujuſmodi quæſtiones maxima ex parte referendi ſunt Ss. Martyrum acerbi cruciatus; nam extra ea tempora legibus Romanorum, uti noſtra etiam ætate fit, prohibitum erat, cum reis, aut primum de crimine poſtulatis durius agere. Itaque eadem ratione, qua alii ad confitenda vera crimina, Chriſtiani ad ejurandum exiſtimatum crimen ſuæ religionis adigebantur.

Cicero Verr. 4.

L. 6. §. 2. ff. de pœn. L. 9. §. 11. L. 10. L. 16. &c. ib.

Cicero Verr. etc.

Tertul. Apol. c. 1. L. 8. §. 4. 5. &c. §. 11. ff de pœn.

Infimi quique homines ad metalli fodinas, quemadmodum noſtro ævo ad triremes, damnari ſolebant; alias oblectandi populi gratia in Amphitheatrum producti beſtiis objiciebantur; fortaſſis etiam certa ſingulis in provinciis ſuppliciorum genera in uſu erant, præter quæ nova interdum contra Chriſtianos excogitata fuiſſe, præſertim ultimis in perſecutionibus, nemo negaverit; neque enim exiſtimo exemplum aliquod ſuppetere, quo demonſtretur, alias unquam perſonas præter Chriſtianas virgines in Lupanaria per vim abduci ac proſtitui univerſis ſolitas fuiſſe. Fecerat nimirum caſtitatis apud Chriſtianos inſigne ſtudium, ut novum hoc pœnarum genus contra ipſos Ethnici invenirent. Tale enim illud erat, de quo S. Hieronymus, Martyris cujuſdam tormentum, quem ſupra mollem lectum amœno in loco alligatum inverecunda muliercula ad flagitium ſollicitavit, cui is præmorſam ſuimet dentibus linguam, cum alia tela vibrare non poſſet, in perfrictam frontem exſpuit. Ad extremum plurimi Martyres modis omnibus excarnificati, ac demum occiſi fuerunt, nullo legitimi judicii ſervato more, ſeditioſi rantummodo populi concurſu, aut privatorum rabie inimicorum.

Hier. in vita S. Pauli.

Cæterum perſecutiones hunc fere in modum cœptæ ſunt. Promulgato palam edicto Chriſtianorum conventus interdicebantur, certis in eos propoſitis pœnis, qui Diis ſacrificare abnuerent. Eo veluti claſſico exciti Epiſcopi, datis ultro citroque litteris, de periculo

Cypr. Epiſt. 8. 15. &c.

riculo alii alios certiores reddebant, atque ad congeminandas preces, populumque in fide confirmandum mutuo ſeſe cohortabantur. Nec mora: Chriſtianorum complures Redemptoris noſtri conſilium ſecuti, fuga ſe ſubducere: Paſtorum & Sacerdotum alii in tutum etiam ipſi ſe recipere, alii commiſſi gregis amore in ſtatione permanere. Paſtores animarum & Præſules præcipua cura abdere ſe cogebantur; eoquod perſecutores his conquirendis maxime intenti eſſent, utpote quibus de medio ſublatis, grex totus facile diſpergi poſſet. Quidam nomina ſua permutabant; nonnulli numerata pecunia redimebant periculum, & hoc ipſum erat in bonis propriis aliquid pro Chriſto pati, eaque re Ethnicis Fideles demonſtrabant, pluris ſe animas, quam fortunas ſuas facere. Non licebat per Eccleſiæ leges ultro ſe aut ad Martyrium ſiſtere, aut Gentiles, idolis eorum dejectis, fanis incenſis, ſuperſtitionibus publice impugnatis, aut ulla re alia de induſtria irritare. Non deſunt quidem Exempla Martyrum, qui ſimilia auſi fuere, maxime vero Chriſtianos ſe eſſe, multi etiam non rogati, judicibus ſponte ſua denunciarunt; ſed iſta ſpeciali gratiæ divinæ inſtinctu geſta fuere. De reliquo celebre illud Eccleſiæ placitum erat, Deum tentandum non eſſe; ſed patienter unicuique & modeſte, dum deprehenſus ab hoſtibus ad Judicem duceretur, præſtolandum.[1] Qua de re duæ inter ſe oppoſitæ hæreſes vitandæ erant. Gnoſtici quidem & Valentiniani martyrium tanquam inutile explodebant, propterea quod Chriſtus, ut nos a morte redimeret, mortem ipſe jam perpeſſus fuerat; non animadvertebant videlicet, mortis genus, quo liberati a Chriſto ſumus, animos non corpora ſpectaſſe. Imo injuriam hæretici illi Deo inferri exantlato martyrio dictitabant, nec veroſimile videri, Deum, cum jam pridem ſanguinem hircorum & taurorum rejecerit, humanum ſanguinem probaturum eſſe. Contra vero Marcioniſtæ carnis, maliquePrincipii, odio incenſi periculis omnibus caput objectabant. Has ad regulas examinabatur accurate mortuorum pro fide cauſa, ut Martyrum honores decerni occiſis tuto poſſent; eaque Canonizationum, ut nos vocamus, origo fuiſſe videtur.

Matth. 10. v. 23

Baron. An 254. n 20 & Can. 14. Petri Alex. To. 1. Conc Orig. in Celſ. 8.

Conſtit. Apoſt. 5. c. 5.

Baron. An. 245. n 3 & 20. An. 205. n. 22. &c. Tertul. in Scorpiaco c. 1.

Baron

An. 146. n. 12. &c. An. 302. n. 226.

Comprehenſi ſemel Fideles Judici ſiſtebantur, qui pro tribunali, ut ſupra dictum fuit, ſedens eos rite interrogabat. Siqui Chriſtianos ſe eſſe negarent; utplurimum dimittebantur, nulla alia quam proprii ipſorum teſtimonii deſiderata probatione. Vulgo enim notum erat, veros Chriſtianos fidem minime negare, ſique aliquando negarent, continuo Chriſtianos eſſe deſinere. Interdum tamen, qui fidem negabant, ad fidem aliis majorem faciendam eo ipſo in loco jubebantur ſeu verbo ſeu facto illudere. Sin vero Chriſtianos ſe eſſe libere pronunciabant, machinæ omnes admovebantur ad ipſorum labefactandam conſtantiam. Rationibus primum, deinde pollicitationibus, tum minis, ac denique tormentis ſollicitabantur ad defectionem; fraudibus etiam & dolis ſuus erat locus, ut ſaltem ab invitis & imprudentibus actionem aliquam Gentiles elicerent, quæ ſpeciem idololatriæ haberet, qua commiſſa Fideles exiſtimarent, non poſſe ſe amplius pedem referre, & quæ facta jam eſſent, infecta reddere. Itaque cum in foro locisque publicis, ubi judicia exercebantur, nunquam idola & altaria deeſſent; eo adductis Chriſtianis Thus & ardentes prunæ in manus imponebantur, quas ſupra aram extentas tenere per vim debebant, ut ſic doloris ſenſu permoti, excuſſis ſupra aram prunis & thure, ſalſis Diis adoleviſſe viderentur; & erant, qui comburi manus malebant, quam ſcandali vel umbram puſillis præbere. Alias ore diducto fruſtum carnis, aut vini guttæ aliquot, quæ prius dæmonibus oblata erant, immittebantur; verum probe norant Chriſtiani, *non quod intrat in ore*, ſed *quod procedit de ore*,

Can. 14 Petr. Alex. Tom Conc. Matth. 15. v. 11. & 18.

[1] Vide Mamachium T. 3 Orig. p. 153. ſeqq.

& de corde exit, coinquinare hominem. [1]

Tormentorum conſueta genera hæc ferme erant. Extenſis ſupra equuleum corporibus, manus pedeſque funibus ligabantur, qui funes trochleis hinc atque hinc inſerti adduci in altum & demitti poterant; alias manibus ſublime protenſis, pedibuſque ferri aut lapidum pondere prægravatis, medii cœlum inter & terram ſuſpendebantur; alias virgis, fuſtibus, loris, ſcorpionibus & plumbatis cædebantur. *Scorpiones* dicebantur flagella, quæ in ferreos aculeo deſinebant; *Plumbatæ* autem nominabantur ſcuticæ, quarum extimæ parti plumbea pila inſuta erat. Hac verberum grandine complures oppreſſi & extincti fuerunt. Alii porro facibus & laminis ardentibus, alii uncis & ferreis pectinibus fœdum in morem ita dilaniabantur, ſæpe ut nudatæ carnibus coſtæ, & coſtis diffractis, inteſtina ipſa prominerent; hoc etiam tormenti genere in interiora graſſente non pauci exanimati ſunt. Ad augendum doloris ſenſum ſale & aceto cruda vulnera interdum condiebantur, ſique cicatricem ducere inciperent, infeſtis unguibus refricari ſolebant. [2]

Inter hæc tormenta Chriſti Confeſſores perpetuis interrogationibus urgebantur. Quidquid ſive Judex rogaret, ſive interrogati reſponderent, a tabellionibus ad verbum excipiebatur multo accuratius, quam a publicis Notariis in cauſis capitalibus hodiedum fieri ſoleat. Artem enim Veteres callebant, notis compendiariis ſcribendi, quarum ſingulæ totidem voces, imo ſententias integras referebant; hac inſtructi loquentes ipſos calami celeritate aſſequebantur; hac de arte vide Baronium docte diſſerentem, ubi etiam ex Martiale de Notario Epigramma affert:

V. de Baron ad An. 238 n. 2. Ut Mart. l. 14 Epigr. 179.

Currant verba licet, manus eſt velocior illis,
Nondum lingua ſuum, dextra peregit opus.

Verba ipſa Dialogi in modo litteris conſignabant, contra quam noſtri Scribæ aſſolent, cum ſummatim & veluti de tertia perſona loquentes ejuſmodi cauſas in acta referunt.

Codices iſti *Acta* nominabantur, quorum Exempla Chriſtiani ſolicite conquirebant, ut partim ex iis, partim ex circumſtantiis, quas ipſi ſuis oculis auribuſque accepiſſent, inſtrumenta publica conficerent, quæ ad perennem memoriam certaminum SS. Martyrum in Eccleſia conſervarentur. Id Romæ præſertim in more poſitum erat; & S. Clemens Papa ſeptem Notarios Apoſtolicos delegerat, quorum ſingulis duæ urbis regiones attributæ erant, ut res ibidem geſtas ſcripto mandarent. Potiſſima pars ejuſmodi Auctorum in perſecutione Diocletiani periit; etiam Epitome Euſebii Cæſarienſi, qui eorum complura collegerat, interiit. Nomina tamen illuſtriorum Martyrum in Menologiis & Martyrologiis conſervata fuere, adnotatis ibidem locis ac diebus, in quibus coli quemlibet Martyrum, moris eſſet. His Martyrologiis progreſſu temporis alii Sancti, licet Martyres non eſſent, adjuncti fuerunt.

Lib. Pontif. in Clem.

In hujuſmodi quæſtionibus ſæpe Chriſtiani ad complices denunciandos, & proferendos ſacros Codices compellebantur. Complicum nomine cum cæteri Chriſtiani, tum maxime Epiſcopi, Presbyteri, & illorum individui comites Diaconi intelligebantur. Diocletiani potiſſimum tempore ſacris Libris bellum ab Ethnicis indictum fuit, credentibus, certiſſimam viam

1 De Perſequutionibus Chriſtianorum conſule Ruinartium *Pref. in Acta ſincera Martyrum*, Mamachium *T. I. Orig. & Antiquit. Chriſtian.*, hiſtoriam litterariam Italiæ *T. 2. p. 395. ſeqq.*, Auctoreſque a Fabricio in *Salutari Luce Evangelii c. VII.* & a VValchio hiſt. *Eccleſ. p.* 535. &c. citatos, quibus adde Boehmeri diſſertationem *de cognitionibus de Chriſtianis*.

2 Cruciatus Martyrum late deſcribunt Baronius in notis ad *Martyrol. Rom.* Gallonius, & Caſpar Sagittarius ſingularibus libris *de cruciatibus Martyrum*, Mamachius *T. III. Orig. & Ant. Chriſtian.*

abo-

abolendæ Chriſtianæ fidei eſſe librorum illorum jacturam. Hos igitur libros Ethnici ſummo ſtudio indagabant, Eccleſiis etiam ac privatis ædibus excuſſis, denique repertos flammis exurebant. Verum hæc omnia Chriſtiani perinde ac ſuæ fidei myſteria altiſſimis tenebris ac ſilentio involvebant; ne tamen nihil omnino ad quæſita reſponſi darent, nullo hominum nominato, præciſe dicebant, Deo præceptore & adjutore ſe in complectenda fide uſos fuiſſe, Scripturas vero ſacras pectori ſuo inſculptas fruſtra alibi perquiri. *Traditores* appellabantur, quotquot aut divinos Codices, aut fratres ſuos, Paſtoreſque Eccleſiæ Gentilibus proderent.[1] Demum paucula verba, quæ Chriſtianis atrociſſimi cruciatus interdum exprimebant, non alia erant, quam quæ Dei laudem & miſericordiæ atque opis divinæ implorationem ſonarent.

Acta Cirten. An. 303.

Acta Mart. Alutin. ap. Baron. An. 303. n. 25. Et An. 304. n. 19.

CAPUT XV.

Carceres Chriſtianorum.

SEcundum eas interrogationes, qui in fide Chriſtiana perſiſtebant, ultimis ſuppliciis addicebantur. Sæpius tamen in carcerem denuo conjecti, mora ipſa temporis & tormentorum iteratione ad nova certamina reſervabantur. Quanquam ipſi carceres ejuſmodi erant, ut pro tormenti novo genere haberi poſſent: nihil illis obſcurius, nihil graveolentius; eo compingebantur JESU Chriſti Confeſſores manibus pedibuſque ferro conſtrictis; ligno etiam ex collo ſuſpenſo pediciſque injectis, aut cruribus divaricatis ſupini jacebant, atque a ſeſe mutuo ſejuncti. Interdum carceris ſolo fictilium vaſorum ac vitri fragmentis conſito nuda corpora plagiſque recentibus hiantia imponebantur; alias plagis ipſis in ulcus degenerare & computreſcere permiſſis, ſquallore & inedia conficiebantur; alias e contrario ſolicite curabantur reficiebanturque, ut ad nova pœnarum genera ſuperſtites eſſent. Utplurimum nulli hominum, ac ſæpe ne cuſtodibus quidem loqui cum captivis licebat; experimento quippe Gentiles didicerant, ſuorum multos a Chriſtianis eo in ſtatu converti ſolitos eſſe. Demum ſubinde carcerem intrare & alloqui captivos illi jubebantur, qui ipſos a ſententia animique firmitate dimovere poſſent; hujuſmodi erant parentes, liberi, conjuges, quorum lacrymæ & ſingultibus interruptæ perorationes novum tentamenti genus erant, multoque ipſis cruciatibus periculoſius.

Prud. Periſteph. Hymn. 4. de S. Vinc. & alibi.

Acta St. Perpetuæ & Felicitatis.

Interea temporis Eccleſia Dei præcipua cura fovendos ſuſcipiebat Sanctos in carcere detentos, *de uberibus ſuis*, quemadmodum Tertullianus loquitur, ipſis miniſtrans. Ad eos frequenter inviſebant Diaconi, ut neceſſaria vitæ ſubſidia ſolatiaque afferrent, atque internuntiorum partes obirent. Alii quoque Fideles, ſiquidem integrum eſſet, ad eos accedere, conſolari, animos addere, felices illorum pœnas deprædicare, partem ſibi illarum aliquam expetere, oſculari vincula, vulnera obligare, lectis, veſtibus, cibariis, omnibus denique vitæ commoditatibus uſque adeo recreare, ut Tertullianus aliquando conqueſtus fuerit, laute nimium & delicate in cuſtodiis vivi.[2] Nec ſumptibus ullis, nec ſolertiæ parcebatur in juvandis captivis; ſi intro penetrare aliter non licebat, argento aditum ſibi Fideles aperiebant, nec verbis aſperioribus, nec verberibus inde ſubmoveri ſe patiebantur; noctes perſæpe integras ante veſtibulum carceris excubabant, intenti in omnem occaſionem incredibili ſuæ charitati faciendi ſatis. Ubi demum ſubeundi carceris facta copia erat, cum illi locum tanquam præſentia tot Sanctorum veluti conſecratam Deoque dicatam venerati Ædem, precationibus ibidem atque adeo ſacroſancto Miſſæ Sacrificio operam dabant, partim ad conſolandos Chriſti Confeſſores; ne videlicet Corporis & Sanguinis Chriſti præſidio deſtituti vita

Tertul. c. 1. ad Mart.

Conſtit. Apoſt. 5. c. 2.

Cyprian. Epiſt. 11.

Tertul. 2. ad Uxor. 4. Idem de jejun. c. 12.

Epiſt. 6. & 9.

---

1 Albertus Frickius Lipſiæ a. 1737. & 1738. diſſertationes duas edidit *de traditoribus*. Confer etiam VValckium *hiſt. Eccleſ. p.* 1165.

2 Confer Mamachium *T. III. orig. p.* 402 *ſeqq.*

exce-

excederent; partim ſuamet cauſa, ut nimirum Epiſcopi aut Sacerdotis captivi opera divinæ Euchariſtiæ participes fierent, illamque in ſuas quiſque ædes deferre poſſent. In ejuſmodi rerum articulo nihil non adhibebatur, quod ad propoſitum finem pietatis utrumque faceret. Fuere Epiſcopi, qui altari deſtituti ſupra manus Diaconorum Chriſti Corpus conficerent; & inſignis ille Martyr S. Lucianus Antiochenus cum ferro gravis, vinculiſque impeditus commovere ſe loco non poſſet, ſuomet pectore pro altari uſus fuit. Quanta porro exhortationum, quæ inter Eivina ibidem fiebant, vis & efficacia eſſet, facile quivis exiſtimaverit. Univerſa Dcclesia Sanctos illos captivos veluti demiſſa cœlitus in vertices ipſorum corona jamjam inſignes ſuſpiciebat; apud Epiſcopos etiam plurimum valuit ipſorum auctoritas ad poſtulandam nonnullis veniam, qui ſuppliciorum acerbitate fracti ad ſacrilegos ritus defecerant, adeoque invaluere iſtiuſmodi deprecationes, ut modum illis poni, propter aliquorum in intercedendo nimiam facilitatem, neceſſe fuerit.

Acta apud Baron. An. 311. Cypria. Epiſt 10. 11. & 12.

CAPUT XVI.

Cura ſacrarum Reliquiarum. Item de Confeſſoribus.

NEc ſolum ad carceres, verum etiam ad ſupplicii locum Chriſtiani vinctos in Domino intrepidi ſequebantur per fora & compita, imo extra portas urbis, ubi plerumque extrema de condemnatis ſumi ſupplicia ſolebant. Sane Martyrum quamplurimi tormentis ſeu naturali ſeu divina virtute ſuperatis, capitis amputatione vitam finierunt. Ad hoc ſpectaculum Fideles, ubi ubi ederetur, turmatim confluebant, ut precibus ſuis & præſentia Martyres erigerent, animoſque pro ſe quiſque ipſorum exemplo majores ſumerent. Solicite inprimis manantem ex vulneribus cruorem linteolis ſpongiiſque ſubjectis excipiebant, quem ſubinde in phialas collectum prope oſſa ipſorum in ſepulchris conſervabant. Conſtat ex Martyrologio Romano ſeptem pias fœminas, quæ diſtento ſupra equuleum Divo Blaſio ſanguinis guttas collectum ibant, eam ob rem morte mulctatas fuiſſe; conſtat præterea Sancti Cypriani abſciſſo capite, lintea a Chriſtianis circumpoſita fuiſſe, quæ pretioſum ſanguinem combiberent. Fidenter etiam, nec ſine præſenti capitis periculo, Martyrum corpora de terra levabant, vel potius corporum collectas reliquias; ſæpe enim corporibus ſeu flamma conſumptis, ſeu beſtiarum furore deſcerptis, voratiſque carnibus, præter oſſa & cineres reliquum erat omnino nihil. Nec impenſarum habita eſt ratio, quo tam pretioſa lipſana a lictoribus redempta cum honore conderentur.

Marty. Rom 1. Febr.

Pont. Diac. in vita.

v. Acta SS. Tharaci &c. An. 290 Et S. Bonif. An. 305.

Incredibile dictu eſt, quantum ea cura Reliquiarum inflammarit Gentilium furorem ad diſſipanda exterminandaque Martyrum cadavera, præſertim quod crederent iis diſperſis plurimum imminutum iri ſpem reſurrectionis. Suſtentatis vos equidem, inquiebant ad Fideles Ethnici, blanda ſpe, futurum aliquando, ut corpora veſtra animis denuo conjungantur, intereaque fœminarum opera, quas præſtigiis veſtris faſcinaſtis, corpora contra tabem & putredinem aromatis condienda, & ſerico auroque involvenda eſſe ſperatis. Nos vero ſpes iſtas præclare ſcilicet fovebimus. Et ſane corpora Martyrum Gentiles modo beſtiis devoranda objiciebant, modo cum gladiatorum aut reorum cadaveribus permiſcebant; alias vero ſuſpenſis e collo prægrandibus ſaxis in aquas demergebant; denique combuſtis interdum corporibus cineres ipſos in aera diſpergebant. Verum nequicquam adhibita multiplex hæc cautela fuit, Martyrum Reliquiis partim Chriſtianorum diligentia, partim Dei ipſius prodigioſa ope maximam partem ab interitu vindicatis.[1]

Euſeb in Ep. Eccl. Vienn. L. 5. c. 1.

Act. SS. Thara &c. An. 290 n. 10. Prud. Hymn. de S. Vinc.

Reliqui captivi, qui ſupplicio mortis affecti non fuerunt, vel alio quo-

1 Adi Boſii, item Aringhii Romam Subterraneam.

cum-

cunque relegabantur, vel illo exilii genere mulctabantur, quæ *Deportatio* a Romanis dicebatur, & mortem civilem afferre ſolebat. Amandabantur autem in inſulas prope inhoſpitas, aut in barbaricas regiones Romano Imperio confines. [*Cypria. ſerm. ad Mart.*] Primi generis relegatio ad perſonas illuſtris conditionis ſpectabat; deportatio vero ad inferioris; notæ homines, qui ad opus faciendum, & præcipue ad foſſorum labores condemnabantur. Iſti publica erant mancipia, compedibus vincti, a victu & veſtitu peſſime inſtructi, verberibus ſæpe etiam crudeliter accepti, verbo, damnatis ad triremes calamitate & ærumnis ut minimum pares. [*Conſt. Apoſt. 5. c. 1 & 3.*] His etiam a Chriſtianis peculiari charitate ſubventum eſt, allevatæque, quoad licebat, exilii moleſtiæ. [1] Quotquot eo in ſtatu vita defungebantur, inter Martyres numerabantur; qui vero exilio aut ſervitute liberati ad ſuos ſeſe recipiebant, Confeſſorum inſerebantur albo. [2] Nominis hæc prærogativa illis omnibus communis erat, qui propter fidem dura & aſpera pertulerant, vel certe fidem ipſam palam ac libere coram Judice profeſſi erant, iſtos cæteri Fideles ſummis honoribus, quoad viverent, proſequebantur, ſacris non raro Ordinibus in præmium conſtantiæ ipſis collatis.

CAPUT XVII.

Excommunicationis & Pœnitentiarum uſus.

Qui perſecutionum durante procella fidem abjecerant, ſive animi imbecillitate, ſive tormentorum intolerantia id feciſſent, [3] niſi crimen ſuum publicis pœnis expiarent, ab Eccleſia excommunicabantur. [*Conſtit. Apoſt. l. 5 c. 4.*] Iſto anathemate perculſi non ſolum a Sacramentorum uſu, ſed etiam ab ingreſſu Eccleſiæ & Fidelium conſuetudine penitus excludebantur. Cum talibus nec cibum ſumere Chriſtiani, nec ſermones miſcere ſuſtinebant, ſed tanquam peſte infectos devitabant; [*1. Cor. 5. v. 9.*] imo ſtudioſius id hominum genus a ſuo conſortio removere Chriſtianos Apoſtolus jubet, quam ipſos infideles, quorum omnem plane conſuetudinem, niſi qui mundo vitaque exire vellet, tunc temporis fugere Chriſtianus neutiquam poterat. In hunc modum agebatur non modo cum Apoſtatis, verum etiam cum hæreticis & ſchiſmaticis ac publicis peccatoribus. Solis propemodum Epiſcopis ac Preſbyteris fas erat cum ipſis agere, ut ad pœnitentiam ſacrilegæ defectionis, ſi qua ſpes affulgeret, illos excitarent; cæteri tamen Fideles non intermittebant lapſos in ſuis precibus Deo accurate commendare. Sic tractabantur, qui pœnis Eccleſiaſticis ultro ſe ſubmittere abnuebant.

Qui vero facti pœnitentia ducti ad expianda rite peccata ſeſe paratos offerebant, magna cum charitate, nec minori circumſpectione admittebantur. Primo quidem proponebatur illis beneficii hujus magnitudo, haud ita facile promiſcueque omnibus conferendi; deinde ad faciendum periculum ſinceræ ſolidæque pœnitentiæ ipſa admiſſio data opera protrahebatur; Tum demum in Eccleſia omnibus inſpectantibus certæ pœnæ injungebantur. Peccator pœnitens cilicio indutus & cinere conſperſus in media Fidelium corona mœſtus ac ſordidatus humi provolvebatur, pedeſque Chriſtianorum complexus oſcula illis figebat, [*Tertul. de pudic. 13.*] quo ipſos ad commiſerationem Deique conciliandam ſibi miſericordiam flecteret; his Epiſcopi ardens & accommodata tempori cohor-

1 huc ſpectant damnati ad metalla, quorum hiſtoriam conſcripſit God. Arnoldus p. 540. Tractatus *de fratrum, ſororumque appellatione*.

2 De *Confeſſoris* nomine plura diſputat P. Lazerus in diſſertatione de Pantheo Rooiano.

3 Hos inter, qui ab Ethnicis Præſidibus Libellos ſecuritatis acceperant, unde & *Libellatici* appellati ſunt; de quibus conſule Prudentium Maranum in præſ. ad S. Cyprianum Baluzianæ editionis, & VValchium *hiſt. Eccleſ.* p. 1162. *ſeqq.*

tatio

tatio ſubjungebatur. Varia erant & diuturna, quibus ſubinde exercebantur, pœnitentiæ opera, jejunia nimirum alias quotidiana, alias ſæpius iteranda, non alio quam panis & aquæ permiſſo uſu, aliove abſtinentiæ genere imperato pro menſura virium corporis, delicti, & fervoris, quem pænitens palam oſtendebat. Prolixæ etiam precationes, de genibus aut prono in terram corpore perſolvendæ, eleemoſynæ, item vigiliæ, breviſque & ſupra pavimentum carptim libandas ſomnus præcipiebantur. Quamdiu ſtatus iſte luctus & pænitentiæ tenuit, abſtinendum erat a congreſſu hominum, a negotiis, a conſuetudine cum ipſis Chriſtianis non omnino neceſſaria, multoque magis ab omni genere oblectationum. Eccleſiam intrare, niſi doctrinæ audiendæ & orationis cauſa, non licebat; Sacrificio enim Miſſæ toto illo tempore abeſſe jubebantur.

Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 61.

Interea Epiſcopus pœnitentem per ſe ipſe inviſere, vel Sacerdotem aliquem ad eos mittere ſolebat, qui hominem examinaret, ejuſque arcanis animi ſenſis accurate pertentatis, non uno quemlibet eodemque modo tractare ſciret. Nam ad fiduciam aliqui excitandi erant, alii ſalutari timore concutiendi, alii denique conſolatione aliqua permulcendi, medicamentis ad ægrorum & ægritudinum rationes accommodatis. Revera enim hæc publicæ pœnitentiæ opera tamquam animorum pharmaca Epiſcopi tractabant, minime neſcii, ad curandos animi morbos, ſi non majori, certe nihilo minori quam ad ſananda corpora circumſpectione, ſcientia, patientia & ſolicitudine opus eſſe, neque aliter quam diuturno & diligenti magiſtero depravatas hominum affectiones corrigi poſſe. Jam inde a primis illis ſæculis certi pœnitentiæ gradus conſtituti erant, & temporis, quod in ſingulis ponendum erat, definita ſpatia; cæterum Epiſcopi prudentiæ relinquebatur, ratione pœnitentis habita, tempus hoc laxare aut contrahere. Illud præcipue cautum erat, ne prius Eccleſiæ communioni penitus reſtituerentur ejuſmodi homines, quam fructus dignos pœnitentiæ feciſſent, ſuæque converſionis ſpecimina, quantum quidem humana conditio patitur, certa explorataque ediidiſſent. In univerſum tamen pœnitentiæ præſcriptum tempus bene longum eſſe ſolebat, niſi peculiaris quædam & gravis cauſa, uti pœnitentis ſingularis fervor, morbus lethalis, aut ingruens nova perſecutio, aliud poſtularet. Illud vero nunquam non curabatur, ut nequis Sacramentis deſtitutus mori permitteretur. Porro gratiæ hoc genus, quo pœnitentiæ aſſignatum tempus contrahi ſolebat, Chriſtiani *Indulgentiam* appellabant, quam ſæpenumero Confeſſorum in carceribus, aut Sanctorum in exilio commorantium deprecatio impetravit.

Epiſt. Can. S. Greg. Thaum. Cypr. Epiſt. 10. Epiſt. Can. Petri Alex.

S. Cyp. Epiſt. 11.

Quodſi, eo durante ſtatu, novo ſcelere ſe alligebat pœnitens, a capite retexenda erant pœnitentiæ opera; ſi ne tunc quidem proficere in melius, moreſque corrigere obſervabatur; in ſtatu pœnitentiæ permanendum uſque erat, quin Sacramentorum copia ipſi foret. Si denique ſemel a crimine abſolutus aliud perinde enorme publicaque pœnitentia dignum admitteret, a pœnitentia iterato agenda excludebatur; qua de re Auguſtinus monet, caute ſalubriterque proviſum eſſe, ut locus pœnitentiæ ejuſmodi exterioris ſemel tantum in Eccleſia concederetur: *ne medicina vilis minus utilius eſſet ægroto, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus* (ipſa videlicet iteratione) *contemptibilis fuerit*; non deſinebant tamen Fideles pro talibus preces fundere, & ad feriam emendationem cohortari. Erant quædam crimina, quorum publica expiatio quantumvis accurate facta totam vitam durabat, qua exacta nonniſi in articulo mortis Euchariſtia pœnitentibus impertiebatur. Qui ſemel pœnitentium ordini adſcripti erant, etſi abſoluti ab ea in gratiam cum reliquo cœtu Fidelium rediiſſent, nihilominus ad Ordines ſacros & numera Eccleſiaſtica perpetuo inhabiles erant; Clerici autem propter ſua flagitia ſolum deponebantur, ipſaque depoſitione veluti in ordinem laicorum redacti nulla alia pœna caſtigari ſolebant, partim Sacramenti Ordinis reverentia, partim

Auguſt. Epiſt. 54. ad Maced.

Canon. Apoſt. 25. ap. Turrian.

nobis

ne bis in idipſum animadverteretur. [1]

Siquis fortaſſe antiquiſſimam hanc Eccleſiæ diſciplinam mirari volet, is ſecum, quæſo, reputet crimina, quæ publica Eccleſiæ animadverſione digna eſſent, raro admodum per ea tempora commiſſa fuiſſe. Quemadmodum enim perraro accidit, ut ingenue educati homines, auctoritate inſuper & opibus florentes capitalem fraudem admittant; ita nihil infrequentius apud Fideles erat, tanto delectu ad fidem admiſſos, tam diligenter inſtitutos & excultos, quam adulteria, homicidia aliaque morte pianda ſcelera perpetrare. Sane Tertullianus fidenter & palam Gentilibus exprobrat, habere ipſos ergaſtula, plena hominibus ſui ſimilibus, Ethnicis nimirum & facinoroſis; qui vero inter captivos Chriſtiani eſſent, nullius veri ſceleris inſimulari poſſe, vel certe ſi ſceleris alicujus rei forent, Chriſtianos haud amplius cenſeri debere: De *veſtris* (ſicariis, prædonibus, corruptoribus, nocentibus, verbo, idololatris) *ſemper æſtuat carcer, de veſtris ſemper metalla ſuſpirant; de veſtris ſemper beſtiæ ſaginantur, nemo illic Chriſtianus, niſi hoc tantum* (id eſt: niſi ſolo Chriſtiani titulo accuſatus) *aut ſi & aliud; jam non Chriſtianus.* Hucuſque Tertullianus, qui capite proxime ſequenti neceſſariam Chriſtianis innocentiam eſſe aſſerit, rationemque affert his verbis: *Innocentiam a Deo edocti, & perfecte eam novimus, ut a perfecto Magiſtro revelatam; & fideliter cuſtodimus, ut ab incontemptibili diſpectore* (hoc eſt, a Judice ſumme verendo) *mandatam.*

Apolog. c. 44 in fine.

Ibidem c. 45. initio

CAPUT XVIII.

Aſcetæ, Virgines, Viduæ, Diaconiſſæ.

ERant inter Chriſtianos, qui voluntariis corporum ſuſceptis afflictationibus omnia pœnitentiæ munera obirent, etſi ad ea neque obligabantur, neque propter illorum uſum a ſacrorum communione arcebantur. Iſti Prophetas & magnum pœnitentiæ Præconem Joannem Baptiſtam imitaturi, de Apoſtoli conſilio caſtigabant corpora, & in ſervitutem redigebant, exercentes ſe ipſi ad pietatem, eamque ob cauſam *Aſcetæ*, id eſt, *exercitati* nominabantur. Hi domi utplurimum ſe tenebant, ſolitudinis mire amantes; ibidem abditi & abſtruſi ad conſuetam Chriſtianorum frugalitatem ſeveriorem in cibis abſtinentiam, & crebra jejunia ultro adjungebant, Xerophagia ſive aridi panis fructuumque ſiccorum eſu ſe ſuſtentantes, biduo triduoque, interdum etiam hebdomade integra ſoliti inediam tolerare; adhæc cilicio ſe nunquam exuebant: humi cubabant, vigilias producebant, ſacros Codices aſſidue volutantes, & prope indeſinenter precibus fundendis occupati. Hujuſmodi vitæ inſtitutum Origenes aliquamdiu ſecutus fuit, multique ex ea diſciplina prodiere cum Sanctiſſimi Antiſtites, tum celeberrimi Doctores.

1. Tim. 4. v. 7. 1. Cor. 9. v. 26.

Euſeb. l. 6.

Aſcetæ omnes continentiam colebant, reliqui vero Chriſtianorum virtutem hanc pro eo, atque commendata Fidelibus a Chriſto & Apoſtolis erat, plurimi faciebant. Antonino Pio Imperatore Alexandriæ adoleſcens quidam erat, qui ſupplice oblato libello a Gubernatore Urbis petiit, ut chirurgi opera liceret ſibi Eunuchum fieri. Similia huic complures facere non dubitabant, ut adeo ſpeciali lege in Concilio Nicæno ſancita inconſiderato huic zelo occurrendum denique fuerit. [2] Præterea innuptarum ingens numerus erat, quæ virginitatis ſuæ florem Deo rite ſacrabant ſeu parentum hortatu, ſeu animi ſui voluntaria inductione. Hæ quoque aſceticam vitam degebant

Juſtin. orat. ad Anton. Pium.

Can. Ni cæn. 1.

1 Conſule de his omnibus Joſephi Auguſtini Urſi diſſertationem hiſtoricam *de capitalium criminum abſolutione, Mediolani* 1730., Chardonium in *hiſtoria Sacramentorum*, Joh. Balthaſarem Bebelium in diſſ. *de veterum in lapſos diſciplina Eccleſiaſtica, Lipſiæ* 1687., VValchium *hiſt. Eccleſ. p.* 1165. *ſeqq.*

2 De Aſcetis quum plures egerint, quos VValchius percenſet *hiſt. Eccleſ. p.* 1661., nemo uberius, ac ſolidius de illis diſputavit, quam doctiſſimus Præſul Antonellius in famigerata *de Aſcetis* diſſertatione, quam inter Sermones S. Jacobi Niſibeni nuperrime Romanis typis divulgavit. Adde Gebh. Theodor. Mejerum *de Aſcetis Helmſtadii* 1672.

nihil

nihili enim virginitas ipſa ducebatur, niſi eam ſilentium, ſeceſſus, paupertas, labores cæteraque ſuperius recenſita pœnitentiæ opera, uti roſam ſpinæ, armarent; nec virginum albo illæ inſcribebantur, quæ oblectamentis quantumlibet noxa vacuis affici, hominum frequentare congreſſus, verborum lepores officioſaſque in agendo blanditias affectare, denique elegantem & experrectam indolem muliebriter oſtentare ſolerent. Multo etiam longius a veræ virginitatis laude aberant, quæ in forma corporis caſtiganda limandaque identidem occupatæ, unguentis, trabeatis veſtibus, molli fractoque inceſſu adhuc delectabantur. Divus Cyprianus ad Virgines Chriſtianas ſcribens, nullam fere aliam rem illis commendat & inculcat, quam ut vanis ornamentis, quæ ad illuſtrandam muliebrem pulchritudinem facerent, nuncium penitus remittant. Noverat videlicet vir ſapientiſſimus, quam in eam levitatem natura ſua proclivis ille ſexus eſſet, quamque multorum ea vanitas malorum eſſe radix & origo ſoleat. Sub prima illa tempora Deo dicatæ Virgines paterna in domo habitabant, aut omnino ſolitariæ, aut duabus tribuſve Virginibus aſſociatæ. Inde pedem efferebant nunquam, niſi cum adeunda eſſet Eccleſia, in qua ſeparato ab aliis loco morabantur; ſiqua illarum interdum nuptiarum cauſa a propoſito ſuo reſiliebat, publica ipſi pœnitentia imperabatur. 1 *Cyprian. ad Virgin.*

Jam Viduæ, quæ primo conjuge elato ſecundis nuptiis valedixerant, haud aliter fere quam Virgines ipſæ reliquam vitam exigebant, jejuniis, orationi, cæteriſque aſceticæ vitæ exercitationibus intentæ. Publico tamen non perinde ut Virgines abſtinebant, propter opera & miniſteria externa, in quibus earum in proximos charitas plurimum verſabatur; vidiſſes illas, nunc ægrorum lectulis aſſiſtere, nunc captivos maxime vero Confeſſores, aut martyrio coronandos viſitare; alias pauperibus ſubvenire, hoſpitio peregrinos excipere, ſepelire mortuos, omnia denique miſericordiæ opera complecti. Nuptæ etiam mulieres in partem tam pulchri laboris veniebant, nunquam ferme domo egredi ſolitæ, quam ad preces in Eccleſia communiter perſolvendas, aut ad bene de proximis merendum. Viduæ tamen, quod ab aliis curis magis ſolutæ ac liberæ eſſent, charitatis huic officio totas ſe impendebant; ſi opibus abundarent, eaſdem in pauperum uſus erogabant; ſi vero ipſæ indigerent, ab Eccleſia ſuſtentabantur. 2 *Tertul. ad Ux. l. 2. c. 4.*

In Diaconiſſas eligebantur *Viduæ non minus ſexaginta annorum*, & quod ſupra excurrit, quæque ſapientiæ & in proximos beneficentiæ fama cæteris præſtabant. Nonnunquam Virgines huic eidem muneri præficiebantur. Solebant autem *Diaconiſſæ* appellari; non quod inter Clericos numerarentur; nullius enim vel remoti gradus ad Sacerdotium capax ille ſexus eſt; ſed quod erga fœminas Diaconorum ipſorum partes aliquas obirent. Singuli enim ſui ſexus perſonas adibant, quas inopia, ægritudo aliave calamitas Eccleſiæ cura ſpeciatim dignas fecerat. Porro Catechumenas inſtituebant, vel potius Catechiſtæ inſtitutionem repetebant, eaſdem ad ſacrum deducebant fontem, inque ponendis veſtibus ac ſubinde recipiendis operam ſuam conferebant: recenter Baptiſmo tinctas apud ſe aliquamdiu tenebant, quo eas ad vitæ Chriſtianæ normam magis magiſque excolerent. In Eccleſiis, qua parte fœminæ intrabant, fores a Diaconiſſis cuſtodiendæ erant, & ſuus ſingulis aſſignandus locus, in quo cum ſilentio modeſtiaque unaquæque verſaretur. Officii quoque ſui rationem Epiſcopo, vel Epiſcopi juſſu Presbyteris aut Dia- *1. Tim. 5. v. 9 Conſt. Apoſt. l. 3. Item l. 6. c. 17.*

1 Jam uſque ab initio Eccleſiæ Virgines in Eccleſia floruiſſe, explorata res eſt. Philippo Diacono *erant*, inquit S. Lucas *Act. XXI. 9. quatuor filiæ Virgines prophetantes*. de his S. Hieronymus *L. 1. adv. Jovin.* & Euſebius cum *L. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 37.* tum *L. 5. c. 24.* Alias Virgines ad Juliani tempora recenſet Mamachius *Orig. T. III. p. 366. ſeqq*

2 Adi Martenium *de ant. Eccl. rit. lib. 2. c. 7.* & Walchium *hiſt. Eccleſ. p. 770.*

conis

conis reddere debebant, quod eo potiſſimum ſpectabat, ut certiores ipſos redderent de reliquarum mulierum ſtatu & quod commode per ſe ipſi facere viri Eccleſiaſtici propter ſexus diſcrimen non poterant, id vicaria opera ipſæ effectum darent. [1]

Multa profecto patientia & circumſpectione Præſulibus Eccleſiæ opus erat, ut fœminæ iſtæ omnes in officio continerentur; curandum, ut Diaconiſſæ moderate omnia, & contra quam provectior ætas ferret, alacriter agerent: proſpiciendum etiam, ne vel credulæ nimis & plus juſto indulgentes, vel ex adverſo nimium tetricæ, difficiles, turbulentæ, curioſæ atque litigioſæ eſſent, ne catechiſmi ſobtentu pro ſapientibus ac ſpiritus Magiſtris ſeſe gererent; ne myſteria fidei temere divulgarent; verbo, ut in loquendo & agendo modum tenerent. Magna item charitate opus erat ad cæterarum viduarum aliarumque defectus mulierum ſive corrigendos, ſive perferendos, cujuſmodi erant triſtitia, livor, æmulationes, querimoniæ, obtrectationes in ipſos etiam Eccleſiæ Paſtores, denique quidquid malorum ac turbarum ſexus & ætatis infirmitas progignere poterat; præſertim ubi morbi, paupertatis aut alterius cujuſdam ærumnæ incommodum accederet.

Chryſ. de Sacerdot. Conſt. Apoſt. l. 3. c. 5. &c.

CAPUT XIX.

Pauperum cura.

Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 4. & l. 4. c. 1. 2. &c.

Liberaliter Eccleſia pauperibus, cujuſcunque demum ætatis ac ſexus eſſent, proſpiciebat; pauperum tamen in numero non cenſebantur male feriati homines, qui victum manu quærere, ſi vellent, poſſent. Iſtis enim per vires adhuc vegetas licebat non tantum a ſe amoliri paupertatem, ſed aliorum etiam inopiam levare. Nam boni Chriſtiani munus illud eſſe credebatur, ut non contentus quilibet labore manuum ad ſemet ſuſtentandum neceſſario, aliis etiam, qui laborare non valebant, operam ſuam utiliter commodaret. Aliunde etiam lex civilis robuſtos, & bene valentes mendicos non ferebat. Hujuſmodi homines ſi liberi erant, ſervitute impoſita, quæ tum temporis plurimum in uſu erat, ad opus ruri faciendum tanquam Reipublicæ mancipia admovebantur; ſin vero ſervi eſſent, venum ibant. Idem infantibus expoſititiis fiebat, quos qui alendos in ſe ſuſcipiebat, hoc ipſo faciebat ſuos. Igitur mendici nulli ferme occurrebant, quam mancipia & ſervi ſenio confecti, quos ad ſolitum laborem ultra ineptos dominorum inclementia deſtituerat, cæci item, aut alia corporis parte mutilati maleve affecti.

S. Baſil. reg. fuſ. interp. 42.

L. 7. Cod. de Mend. Val. l. 11.

Hos omnes vere pauperes Chriſtianorum charitas complectebatur, quorum ſeriem non ineleganter Prudentius deſcribit, cum eos veluti Eccleſiæ theſauros Præfecto Urbis Romanæ a S. Laurentio præſentatos in medium affert. Nec minor Chriſtianos infantum cura tenuit, orphanorum nimirum, quorum parentes Chriſtiani atque adeo Martyres erant, item expoſitorum & reliquorum omnium, quotquot acquirere poterant, ut eos in fide Chriſtiana educarent. Hoc unum videlicet propoſitum Fidelibus erat, ut occaſione ſervandi corpora bene utentes, animos Chriſto lucrarentur. Eandem ob cauſam in ipſis miſericordiæ operibus exhibendis certus ordo ſervabatur: Ethnicis enim Chriſtiani, & inter ipſos Chriſtianos probiores cæteris præferebantur, improbis, quorum deſperata erat emendatio, ſibi relictis. Ne eleemoſynæ quidem promiſcue ab omnibus admittebantur; oblata enim ab excommunicatis, uſurariis, adulteris aliiſque publicis peccatoribus ſubſidia Chriſtiani recuſabant, ſatius ducentes, exponere pauperes periculo alicujus in re-

Prud. in Peri. ſteph.

Conſtit. Apoſt. l. 4. c. 1. 2.

Conſtit. Apoſt. 4. c. 5. &c.

[1] *De Diaconiſſis primitivæ Eccleſiæ* diſſertationem edidit Joh. Philippus Odelemius *Lipſiæ* 1706. Exſtant præterea non pauci, qui de illis egere, atque a Fabricio *bibliogr. antiq.* p. 461. & VValchio *hiſt. Eccleſ.* p. 444. *ſeq.* numerantur. Verum his omnibus palmam præripuit Cl. P. Johannes Pinius in *Tract. prælim. ad Tomum primum ſeptembris Bollandiani.*

bus

bus cæteroqui neceſſariis indigentiæ, ſeu potius divinæ providentiæ innixi, qua aliunde allatum iri neceſſaria ſperabant, quam ut a perditis hominibus ſtipem acciperent. Quælibet Fidelium Congregatio ingentem pecuniæ ſummam certoſque reditus collegerat alendis pauperibus, peregrinis excipiendis, mortuis ſepeliendis, cæteriſque impenſis publicis faciendis, quas Clericorum ſuſtentatio, & templorum ſacra ſupellex, aliaque id genus expoſcebant.

Baron. An. 44. n. 68. & c. Tertul. Apol. c. 39.

Quo tempore S. Cornelius Papa Eccleſiæ Romanæ præerat, Clerici in Urbe centum & quinquaginta quatuor, pauperes vero & ægroti ſeſqui mille & amplius a Fidelibus ſuſtentabantur. Imo ex quo fundata jam erat Romana Eccleſia, quamdiu perſecutiones durarunt, nunquam deſtitutum eſt, cum aliarum Provinciarum laborantibus Eccleſiis, tum ad metalla damnatis Confeſſoribus mira ſolicitudine, magnifque pecuniæ ſubſidiis ſubveniri. Iſta Eccleſiæ communia bona primis tribus ſæculis non aliis ferme rebus conſtabant, quam domeſtico iſtrumento, annona, veſtibus & numerata pecunia partim collectis, partim coemptis ex eleemoſyna Fidelium, quam iſti ſingulis hebdomadis, menſibus aliaſve, quoties liberet, ſponte obtulerant. Nam erogandæ ſtipis neque modus præſcriptus erat, neque vi aut imperio ad ejuſmodi collectas Chriſtiani adigebantur. Cæterum fundi, prædia & poſſeſſiones tempore perſecutionum neque acquiri poterant, neque olim acquiſita diu conſervari. Atque hi erant Eccleſiæ theſauri, quibus tam avide inhiabant Gentiles, ut eorum cupiditate incenſi ingentes adverſus Chriſtianos turbas moverent, quemadmodum in vita Divi Laurentii prolixe deſcribitur. Diaconis eorum bonorum commiſſa erat cura. Hi pro munere ſuo tenebantur, quidquid communibus Eccleſiæ procurandis commodis afferebatur, recipere, ſeponere, cuſtodire, & ex Epiſcopi arbitrio, ad quem de privati cujuſque indigentia referendum erat, diſtribuere. Illud etiam Diaconorum munus erat, ut in aliorum inopiam ipſi inquirerent, ut Clericorum, Virginum, Viduarum, pauperum denique omnium nomina in commentariis, quos matriculas vocant, deſcripta haberent, iſtorum enim omnium cura ad Eccleſiam pertinebat; porro ut eos, qui in ſupradictorum numerum admitti flagirabant, prius examinarent, admiſſorum autem mores & vitam diligenter obſervarent. Verbo, in omnem partem proſpiciendum erat, ne indignis tanta Eccleſiæ beneficentia impenderetur: neve peregrinis hoſpitia & piorum hominum liberalitas deeſſet. Siquid Laici Epiſcopo ſignificare, aut ab eodem efflagitare vellent, quem tamen perſonæ reverentia, aut moleſtiæ creandæ metu coram alloqui verebantur, Diaconos adire ſolebant, iis pro internunciis uſuri; ex quo liquet Diaconorum provinciam oppido negotioſam fuiſſe; ſæpe enim per compita civitatum ultro citroque commeandum, interdum etiam in alias civitates ſuſcipienda profectio erat, eamque ob cauſam nec pallio, nec alio in terram uſque defluente veſtitu, uti Sacerdotes, ſed brevioribus veſtimentis & Dalmaticis utebantur, quo expeditiores ad actionem eſſent. [1]

Euſeb. l. 6. hiſt. c. 35.

Epiſt. Dionyſ. Corin. apud Euſeb. l. 4. hiſt. c. 22.

Prudent. Periſt. hymn. 2. Baron. An. 54. n. 237.

Conſtit. Apoſt. 3. c. 19.

Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 28.

Conſtit. Apoſt. 1. c. 57.

CAPUT XX.

Hoſpitalitas Chriſtianorum,

IPſis adeo Gentilibus commendata & familiaris hæc virtus fuit. Apud Græcos & Romanos diverſoria publica ſolis ferme pauperum uſibus ſerviebant; honeſtiores enim & abundantes viri in ſingulis prope civitatibus, ad quas negotiorum cauſa per annum aliquoties eundum erat, amicos habebant ſuos, a quibus privatis in ædibus excipiebantur, quoſque illi, cum ad ſuas civitates divertere contingeret, mutua hoſpitalitate excipiebant, eratque veluti jus quoddam hoſpitalitatis, quod in certis familiis perpetuabatur, unumque inter præcipua vincula, quibus Græciæ civitates cum Italicis arcta con-

a lib. de teſſ. hoſp.

1 Confer Mamachium *T. III. p.* 411. *ſeq.*

ſuetu-

ſuetudine copulabantur, quæ conſuetudo ſucceſſu temporis per univerſum Romanorum Imperium propagata fuit, & tanquam Religionis quædam pars a Gentilibus accurate obſervata. Iſti enim Jovem ſuum Hoſpitalem Deum faciebant, qui huic rei unice præeſſet; hoſpitem vero ipſum menſamque, cui is accumbere ſolebat, pro re ſacra habebant.

Minime igitur mirum videri cuipiam poteſt, ſi Chriſtiani quoque in ea colenda virtute multi eſſent, quippe qui ſe mutuo tanquam amicos & fratres diligerent, ſcirentque, inter opera, quibus luculenrum a Deo præmium propoſitum eſſet, hoc etiam miſericordiæ in peregrinos genus in Evangelio numerari (*a*). Itaque peregrinus, quicunque demum is eſſet, dummodo fidem Chriſtianam profiteretur, inque Eccleſiæ verſaretur communione, paſſis ulnis excipiebatur; nam illum ab ædibus arcere, perinde videbatur eſſe, ac Chriſtum ipſum excludere; ſed tamen cognoſcendos ſe prius præbere peregrini debebant, & quinam eſſent, certis argumentis comprobare. Hunc in finem alio profecturi Fideles, litteras ab Epiſcopo accipiebant certis notis inſignitas, quas ſoli Chriſtiani intelligerent (*b*). Hujuſmodi litteris peregrini hominis ſtatus & mores deſcripti erant, an videlicet Catholicus, an Eccleſiæ communioni, ſi forte prius per hæreſim aut apoſtaſiam inde exciderat, reſtitutus: an Catechumenorum, pœnitentium, aut Clericorum e numero unus, & quonam in gradu Eccleſiaſtico conſtitutus eſſet. Nunquam enim Clerici abſque litteris, quas *Dimiſſoriales* vocant, itineri ſe dabant; præter iſtas litteræ quædam commendatitiæ in uſu erant, ad ſecernendas a reliqua multitudine Fidelium perſonas de Eccleſia benemeritas, cujuſmodi erant Confeſſores, Doctores, aliique Eccleſiæ peculiari cura indigentes.

Primus hoſpitalitatis actus erat pedes hoſpitum lavare. Multis ea conſuetudo exemplis ſacrarum litterarum confirmatur, & modus ille, quo veteres pedes tegere ac veſtire ſolebant, neceſſarium reddebat illud ſolatii & refrigerii genus (*c*). Inde etiam eſt, cur pedum ablutionem cum hoſpitalitate conjunctim enumeret Apoſtolus (*d*) [1]. Quod ſi peregrinus in communione Fidelium perfecta eſſet, omni honoris domeſtici ſignificatione excipiebatur; nam cæteris ipſe in preces præire, ſupra alios omnes accumbere, ac domeſticos inſtruere permittebatur. Felicem ſe tali hoſpite Paterfamilias reputabat, & cibi ab eodem guſtati neſcio quid ſanctitatis ſapere videbantur. Clerici peregrini pro ſuo quiſque gradu in amore & veneratione erant omnibus [2]. Si Epiſcopus peregre adveniebat, paſſim ad rem divinam, verbaque ad populum facienda invitabatur, quo perſpecta fieret Sacerdotalis ſtatus cum reliquis Eccleſiæ membris conſenſio (*e*). Ne Ethnici quidem, aut ii, quibuſcum cibum ſumere, aut orationi communiter vacare nefas erat, a Chriſtianis hoſpitio prohibebantur [3]. Imo Principum ſæcularium hac in re mandatis accurate morem gerebant Fideles, quando nimirum aut milites, aut præfectos proter negotia publica alio commigrantes, recipere jubebantur. Accidit aliquando, ut S. Pachomius (*f*) admodum adoleſcens militiæ Romanæ adſcriptus, una cum cæteris ſuæ centuriæ commilitonibus navi

1 Vide Tertullianum *L.* 2. *ad uxor. cap.* 4.

2 Intellige ſi cum *formatis* litteris ad aliam Eccleſiam acceſſiſſent. Vide Cyprianum *ep* 36. *Baluz. edit.* & Alcimum Aritum *ep.* 9. Quod ſiqui ſine *canonicis* litteris adveniſſent, hi a ſocietate fidelium prorſus removebantur, vel ſi peculiares cauſſæ adfuiſſent, convictus quidem, & converſationis, non autem ſacrorum myſteriorum participes fiebant: quod nonnulli *communionem peregrinam* interpretantur, quamvis contra pugnent non pauci, atque hos inter Jacobus Henricus Born in Commentatione *de communione Peregrina veteri Clericorum cenſura*, *Lipſiæ* 1743.

3 Luculentum exſtat hanc in rem Juliani Apoſtatæ teſtimonium *ep.* 49. *ad Arſacium Galatiæ Pontificem*, jubentis exſtrui in ſingulis civitatibus pro peregrinantibus Ethnicis xenodochia; *nam turpe profecto eſt*, inquit, *quum nemo ex Judæis mendicet, & impii Galilæi* (hoc ſcilicet nomine Chriſtianos impius ipſe deſignabat) *non ſuos modo, ſed* NOSTROS QUOQUE ALANT, *ut noſtri auxilio, quod a nobis ferri ipſis debeat, deſtitui videantur.*

(a) *Matth.* 25. *v.* 34. (b) *Baron. An.* 142. *n.* 7. (c) *V. Thom.* 1. C.
(d) 1. *Tim.* 5. *v.* 10. (e) *Conſtit. Apoſt. c.* 58. (f) *In vita S. Pachom. c.* 4.

navi veheretur; iſta ad portum civitatis appulſa, vidit Sanctus & obſtupuit, tam honorifice ſe ſocioſque ſuos accipi, tam laute haberi, ut veteres militum amici cives illius Urbis eſſe viderentur; cumque idem rogaret, quodnam hominum genus id eſſet erga peregrinos tam liberale & beneficum, reſponſum ipſi fuit, homines eſſe, qui ſingularem quamdam religionem, quam Chriſtianorum nominabant, profiterentur. Quare ex eo tempore accuratius inſpicere novum hoc inſtitutum & examinare Pachomius incepit, fuitque hoc converſionis ipſius fundamentum.

CAPUT XXI.

Infirmi & Sepulturæ Chriſtianorum.

ÆGris inviſendis, quod Evangelium graviter inculcat (a), ſolicite Chriſtiani operam dabant [1]. Sacerdotes imprimis hoc genus miſericordiæ diligenter curabant; illi enim infirmos adire, conſolari, pro eorum ſalute Deum deprecari, viaticum illis deferre [2] & oleo ſacro, ex Apoſtoli Jacobi (b) doctrina a Chriſto accepta, rite inungere. Iidem ſæpe aliud quoddam oleum benedictum adhibebant, quo delibuti priſtinæ ſanitati reſtituebantur; poſtremum hoc genus Unctionis cuilibet a quolibet impertiri ſolebat; nam præter Clericos etiam Laici, quibus donum miraculorum divinitus obtigerat, non tantum Fidelibus, verum etiam Ethnicis Unctionem illam impendebant, nonnunquam oleum adhibebatur, hauſtum ex lampadibus, quæ ante Martyrum ſepulchra ardebant (c).

Gentiles, qui poſt fata nihil amplius ſperabant, mortem ipſam conſiderabant vel tanquam malum, per quod bonis omnibus præſentis vitæ homo ſpoliatur, vel tanquam bonum, cujus ope calamitoſi in hac vita homines malis ac miſeriis ſuis denique liberantur. Vix unus inter eos erat, qui, quæ de ſuppliciis præmiiſve alterius vitæ Poetæ narrabant, credere ſuſtineret. Sane Cicero (d) de hujuſmodi rebus, aut, ut ipſe putabat, commentis agens: *adeone*, inquit, *me delirare cenſes, ut iſta credam?* & Juvenalis nec pueros credere affirmabat. Ea cauſa fuit, ut moriturientes Ethnicos nemo ex ſuis hortaretur, nemo piam aliquam melioris vitæ cogitationem injiceret; quin potius alio divertere morientium animos ſtudebant; quare mirum non eſt, vitæ conſervandæ uſque adeo ſtudioſos fuiſſe miſeros Gentiles, ut nimirum caducis vitæ voluptatibus, poſt quas aliud nihil expectabant, diutiſſime fruerentur. Princeps totius vitæ ipſorum regula & norma ea erat, quam poſt Iſaiam (e) Apoſtolus (f) commemorat: *manducemus & bibamus, cras enim moriemur*; ad hunc ſcopum Ethnicorum moralia documenta referebantur, quæ ferme in ſingulis Odis Horatius inculcat; hoc etiam Petronius Poeta ſub Nerone Imperatore luculento exemplo demonſtravit (g). Cæteri quorum major erat gravitas vitæque moderatio, vitæ præſentis ſolatia ex Philoſophia petebant, id præcipue curantes, ut tranquille & pacate mortalitatem aliquando explerent.

Contra vero Chriſtiani melioribus imbuti placitis mortem veluti aditum ad æternitatem conſiderabant; cumque plerique ipſorum ſanctiſſime viverent, mortem ipſam potius in votis habebant, quam ut eam extimeſcerent, minuſque doloris ex Parentum & Amicorum jactura capiebant, quam voluptatis & gaudii, quo perfundebantur partim propter æternam ipſorum felicitatem, partim propter ſpem certamque fiduciam, illos olim in cælo reviſendi. Itaque mortem Chriſtiani ſoporem

1 Vide in hanc rem eximium charitatis exemplum, quod ex Dionyſii Alexandrini epiſtolis Euſebius recitat *hiſt. Eccleſ. L. 7. c. 22.*

2 Circa viaticum hæc nota 1. ſub unica ſpecie fuiſſe illud ægrotis datum; ſæpe tantum intinctum *in Sanguine Chriſti*, ut ſtatuunt Turonenſis Concilii Patres apud Ivonem *P.* 2. *c.* 19.; qua de re conſule Bonam *Rer. Liturg. Lib.* 2. *c.* 18. §. 3. & Muratorium *Ant. Med. ævi T. IV. col.* 843. 2. Viaticum interdum extremæ unctioni præmiſſum; ſæpius tamen inunctos fuiſſe ante Viaticum infirmos: vide Martenium *L.* 1. *c.* 7. *art.* 2., & Agnelli Honorati diſſertationem de hoc argumento.

(a) *Matth.* 25. *v.* 36. (b) *Jacobi* 5. (c) *Vide Baron. fuſe hæc tractantem ad ann.* 63. *n.* 13. 14. 15. *&c.* (d) *Tuſc. quæſt. l.* 1. *n.* 6. (e) *Iſ.* 22. *v.* 13. (f) 1. *Cor.* 15. *v.* 32. (g) *Tacit. Annal.* 25.

rem quendam interpretabantur eſſe, ex modo loquendi ſacris litteris familiari; inde etiam ſepulturæ locum græca voce *cœmeterium* nominabant, quod latine *dormitorium* ſignificat [1]. Iidem ut teſtatiorem facerent ſuam de reſurrectione corporum fidem, exquiſita cura majoribusque impenſis, quam ad reliquas actiones ſolerent, defunctorum cadavera ſepeliebant; non cremabantur iſta corpora, qui Græcorum & Romanorum mos erat; ſed neque Ægyptiorum plus æquo ſolertem induſtriam Chriſtiani probabant (a), cadavera aromatis condita, & ſupra pretioſos lectos publice expoſita domi ſuæ aſſervantium, quam conſuetudinem S. Antonius (b) ſua tempeſtate adhuc durantem gravibus verbis inſectatus eſt.

Igitur ſuorum cadavera Chriſtiani more apud Judæos recepto ſepeliebant (c). Primum ea lavabant, tum odoriferis herbis condiebant, ſoliti pio huic miniſterio majorem aromatum vim adhibere, quam Ethnici ſuperſtitioſis ſacrificiis impenderent. Subinde mundiſſima ſyndone, pannove bombycino corpora obvolvebant; interdum etiam pretioſis veſtibus indui ea mos erat. Hoc ornatu tridui ſpatio cadavera proſtabant, juxtaque illa Fideles cum ad corporum defenſionem, tum ad fundendas preces veluti excubias agebant; denique ad ſepulchrum cadaver deportabant, proſequentes funus inter cereos faceſque perpetuo longoque ordine collucentes, nec ſine pſalmorum & hymnorum pio modulamine, quo & Dei laudes celebrarent, & beatæ reſurrectionis expectationem facerent perſpectam (d). Adhæc preces pro mortuis exſolvi, offerri ſacrificia, pauperibus epulæ, quas Agapas nominabant, apparari, aliæquê eleemoſynæ erogari ſolebant (e). Anno uno a morte exacto defunctorum inſtaurabatur memoria, quæ etiam per reliqua tempora anniverſaria ſolebat eſſe, præterquam quod ipſorum in ſacrificio Miſſæ quotidiana fieret commemoratio (f) [2].

Certos Eccleſia homines alebat ſepulturæ miniſterio deſtinatos, qui *foſſarii* & *laborantes* vulgo appellabantur, eoſque in Clericorum numero interdum fuiſſe Baronius ex epiſtola S. Ignatii ad Antiochenſes oſtendit (g) [3]. Non raro cum defunctorum oſſibus nonnulla alia tumulo inferebantur partim honoris ergo, partim ad conſervandam in poſteriis pie mortuorum memoriam. Hujus generis erant dignitatum, quibus olim effulſerant, varia inſignia, pœnarum item inſtrumenta, ampullæ ſpongiæve Martyrum ſanguine impletæ, Acta authentica Martyrii, Epitaphia, vel certe nomina defunctorum, numiſmata eorum temporum, lauri ſive aliarum perpetuo vireſcentium arborum folia & rami, cruces, Evangeliorum codex, interdum etiam ipſamet Divina Euchariſtia. [4] Cadavera, quantum fieri poterat, ſupina in ſepulcbris collocabantur, vultu ad Orientem converſo. Cum Gentilium mos eſſet, aſſervandis mortuorum cineribus magnifico apparatu facta ſepulchra moliri, quæ maxima ex parte extra mœnia urbis ſecundum vias publicas, qua frequens viator tranſibat, & alibi paſſim in agris & fundis ipſorum exſtructa erant; Chriſtiani e contrario terræ corpora mandabant, nunc humo, quantum ſatis eſſet, egeſta, nunc in cryptis ex ordine illa collocando, cujuſmodi poſtea in urbe Romana fuerunt, quas *tumbas*, *catatumbas*, *catacumbas* nominabant. (h)

Loca hæc ſubterranea, partim rupibus inciſa, partim effoſſo ſabulo in venis ac viſceribus terræ præparata. Eo per gradus deſcendebatur, infraque ſubtus humum longiſſimi excurrebant vici, duplici triplicive ordine loculamentis inſtructi, in quibus corpora quieſcebant, alte in terram de-

1 Confer Mamachium *T. III. p.* 258. *ſeqq.*

2 De his omnibus fuſe Panvinius in libello *de ritu ſepeliendi mortuos apud veteres Chriſtianos*, Aringhius *Rom. ſubterr.*, Gretſerus *de Chriſtianorum funere*, aliique paſſim.

3 De his conſule adnotationem noſtram *Symbol. Gorianarum Vol. IX. Florent. edit. pag.* 168. *ſeqq.* & Mamachium *T. III. p.* 162. *ſeqq.*

4 Confer Aringhii *Romam ſubterraneam*, & Boldettii *obſervationes cœmeteriales*.

(a) *Baron. Anno Chriſti* 34. *n.* 169. (b) *Vita S. Anton. cap.* 34.

(c) *Tertul. apol. c.* 42. (d) *Conſt. Apoſt.* 6. *cap. ult. & alibi.* (e) *Prudent. Hymn. in exeq.* (f) *Tertul. de cor. Mil. c.* 3. *Orig. in Jobum Hom.* 3. *Cypri. epiſt.* 66.

(g) *Baron. Anno Chriſti* 34. *num.* 287. *fine &* 288.

(h) *V. Thomaſſ. in Diſcipl. Editio lat. p.* 3. *L.* 1. *c.* 65. *&* 66.

depreſſa. Per certa intervalla videre erat ſpatioſas cameras ſolido opere exædificatas, quæ circumquaque ſuos habebant ſorulos, condendis corporibus excavatos. Camerarum ejuſmodi pars potiſſima perinde ac totidem ſacella varias ex Vetere Novoque Teſtamento hiſtorias penicillo expreſſas referebant; imo in aliquibus hujus generis profundis cæmeteriis Eccleſiæ ſubterranea adhuc viſuntur. In multis catacumbis repertæ fuerunt urnæ marmoreæ, quæ cœlato elegantique opere eaſdem, quas picturæ, Camerarum hiſtorias repræſentabant; ſepulchra hæc erant perſonarum ſupra vulgus eminentium. Quodlibet iſtorum cæmeteriorum veluti peramplum ſuburbium erat, ſub terra alte recedens, quorum aliqua duas treſve contignationes altitudine exæquabant. Perſecutionum tempore tutiſſimum ea loca perfugium Chriſtianis præbebant, ubi Martyrum reliquias cuſtodire, cœtus frequentare, divinis operari & aſſiſtere poſſent; quid? quod de Pontificum compluribus memoriæ proditum eſt, ibidem commorari & habitare ſolitos fuiſſe. Plura de catacumbis legere licet in Libro, qui *Roma ſubterranea* inſcribitur [1]. Eæ diu admodum ſaltem maxima ex parte poſteris ignotæ fuerunt, aditu ad eaſdem injuria temporum, aut hominum voluntate obſtructo præcluſoque; nec niſi ſæculo Chriſti ſexto decimo ad finem vergente obſervari ac recludi cœperunt.

Mira ſemper Chriſtianorum pietas & cura fuit, ut proxime ſanctorum Martyrum oſſa requieſcere ſibi poſt mortem liceret; eaque re factum eſt, ut frequentia ſepulchra progreſſu temporis in Eccleſiis exſtruerentur, etſi prioribus ſæculis conſuetudo humandi corpora non alibi, quam extra civitates, diu admodum retenta fuerit (*a*) [2]. Reliquiarum veneratio & reſurrectionis ad meliorem vitam certa fides Chriſtianis exemerunt inanem illum terrorem, qui veteres paſſim omnes, ipſoſque adeo Iſraelitas a corporibus & ſepulchris mortuorum abſterrebat.

CAPUT XXII.

Epiſcopi, Presbyteri, cum reliquo Clero.

UT imagini primorum Eccleſiæ temporum hactenus adumbratæ ſuprema tandem manus accedat, paucis hoc loco agendum eſt de paſtoribus animarum, cæteriſque Eccleſiæ miniſtris. Origenes, ubi civiles conventus cum Eccleſiis Chriſtianorum comparat, citra omnem dubitationem aſſerit, & pro re omnibus nota defendit, Eccleſiarum ſacros Præſides re ipſa ornatos eſſe virtutibus illis ac meritis, quæ civici magiſtratus ſolo nomine tenus habebant, quodque obſervatu dignum eſt, Origenes (*b*) iſta aſſeverat in libris contra Celſum, ubi Gentiles impugnat, quibus ſane deridendum ſe præbuiſſet, ſi a vero alienum aliquid ad ipſos refellendos aſſumere vellet. Etiam Alexander Severus Imperator (*c*), ut ſuos doceret, quanto delectu, quamque diligenti de moribus præmiſſa inquiſitione Rectores Provinciarum conſtitui oporteret, Chriſtianorum hac in re exemplum propoſuit. Ergo inter Fideles ii eligebantur ad Eccleſiaſtica munera (*d*), quos hactenus deſcribere conatus ſum, viri inquam, quorum & ſpectatiſſima erat vitæ ſanctimonia, & virtus quamplurimis experimentis diu multumque probata. Hac veluti mercede remunerabantur Chriſti Confeſſores, quorum conſtantia in perferendis ſuppliciis ſupra alios enituerat: (*e*) Hujuſmodi erant Aurelius & Celerinus, quos Divus Cyprianus Anagnoſtas ſive Lectores ordinavit; horum poſtremus pluribus in corpore cicatricibus Chriſti cauſa acceptis ornatus erat, præterquam quod Aviam Patruumque & Avunculum haberet martyrii palma illuſtres. Talis item Numidicus, ab eodem S. Cypriano (*f*) Sacerdotum numero adſcriptus, qui *hortatu ſuo copioſum Martyrum numerum lapidibus & flammis necatum ante ſe miſit: quique uxorem adhærentem lateri ſuo concrematam . . . lætus aſpexit, ipſe ſemiuſtulatus, lapidibus obrutus, & pro mortuo derelictus.*

Cle-

1 Confer etiam Boldettium in *obſerv. cœmet.*, & Mamachium *T. III. p.* 159. *ſeqq.* Extat etiam Petri Zornii *de catacombis ſeu cryptis ſepulchralibus SS. Martyrum* diſſertatio *Lipſiæ* 1703.

2 Conſule Diſſertationes in fine hujuſce partis.

(a) *Conſtit. Apoſt.* 6. *C. ultimo.* (b) *Orig. cont. Celſ. l.* 3. (c) *Camprid. in Alex.* (d) *Tertul. Apol. c.* 39. *Orig. cont. Celſ. L.* 8. (e) *Cypr. Ep.* 33. 34. (f) *Idem. Ep.*35.

Clericos Epiſcopi legebant (*a*), populi ſæpe rogatu, vel certe populo neque ignaro, neque invito, maxime vero totius Cleri ea ſuper re conſilium exquirebatur; cæterum voluntatis ipſorum ordinandorum parva ratio habebatur; non ſolum enim expectari non ſolebat, uſque dum ordinis alicujus collationem Candidatus peteret; verum etiam ingratiis ſæpe ſuis, aut pia fraude, aut vi propemodum adducti Sacris initiabantur; ut adeo nonnulli eſſent, qui nunquam in animum inducerent, functionum ſuo miniſterio propriarum aliquam in tota vita exercere (*b*). Porro Epiſcopus ipſe præſente populo ab Epiſcopis illius provinciæ, in Sede vacante congregatis, eligebatur (*c*), quorum duo ut minimum, aut tres aderant; ægre enim tum temporis fieri poterat, ut numeroſa cogerentur Concilia, niſi cum aliquanto temporis intervallo perſecutionum furor conquieſceret; nonnunquam Epiſcopales Sedes Præſulibus diu orbæ viduæque remanebant. [1]

Ordinationes præmiſſo ſemper jejunio nec ſine conceptis rite precum formulis fieri ſolebant (*d*). Stata illarum tempora noctes ferme erant Dominicam diem præcedentes; his inter ſacras vigilias exactis, Eccleſiæ miniſtri conſecrabantur; actus vero Conſecrationis præcipuus in manuum impoſitione nunquam non conſiſtebat, hanc Divinæ hoſtiæ in altari facta litatio excipiebat. Non plures Epiſcopi Sacerdotes, neque Diaconos, neque inferiorum munerum Clericos ordinabant, quam quantum ipſis ad ſuæ Diœceſeos rectam adminiſtrationem opus eſſet, quorum proinde numerus haud adeo frequens erat; nam tempore S. Cornelii Papæ ſub annum ſalutis ducenteſimum quinquageſimum Romana Eccleſia ſex tantum ſupra quadraginta Presbyteros & Clericos, univerſe centum quinquaginta quatuor numerabat, etſi tunc innumerabilis prope jam eſſet Fidelium multitudo (*e*). Omnes iſti Clericali ex ordine Epiſcopo ſuo pleniſſime ſubjecti erant, tanquam Diſcipuli, quos ipſe ingenti cura erudire, formare & gradatim promovere ſolebat, ut illos pro cujuſque ingenio & habilitate, ad varia obeunda miniſteria applicaret. Non licebat illis Epiſcopo inconſulto invitoque alterius Epiſcopi obſequiis ſeſe addicere; quique ſic abeuntem Clericum recepiſſet, tanquam furti aut plagii cujuſdam reus in aliorum incurrebat reprehenſionem.

Etſi vero Epiſcoporum in Clericos tanta eſſet authoritas, nihil ut ab imperio abſoluto ſummaque poteſtate videretur diſtare; univerſa tamen gubernandi ratio lenitate & charitate continebatur: Clerici ipſi Epiſcopalis poteſtatis parte aliqua fruebantur; ſiquidem abſque ipſorum conſilio nullum majoris momenti negotium Epiſcopi ſuſcipiebant. Presbyterorum præcipue, ut qui Eccleſiæ veluti Senatores erant, ſententias prius exquirebant [2]. Sane Sacerdotum tanta paſſim reverentia & Antiſtitum tanta animi modeſtia erat, ut extima ſpecie parum inter utroſque differentiæ notaretur. Imo ipſis Epiſcopis verendi aliqua ratione Clerici erant, utpote doctrinæ & morum Epiſcopalium perpetui oculatique teſtes (*f*). In publicis functionibus Epiſcopo Clerici tanquam magiſtratuum adminiſtri, aut potius more diſcipulorum magiſtro ſuo adhærentium, ſemper aſſiſtebant. Siquid unquam Epiſcopus aut docere populum, aut facere ipſemet auſus fuiſſet, quod a Traditionibus Apoſtolicis abhorreret (*g*); Presbyteri & Diaconi ſeniores nequaquam id ferendum diſſimulandumque exiſtimabant; quin potius Epiſcopum modeſte primum ac leniter admonebant; ſubinde ſi admonitionibus nihil profectum eſſet, cauſam totam ad alios Epiſcopos, ac demum ad Patres in aliquo Concilio congregatos deferebant.

Clericorum potior pars Aſceticam vitæ rationem ſequebatur, leguminibus ſiccisve cibis utplurimum veſcentes, ſæpe inedia, ſæpe voluntariis pœnis, quoad per graviſſimos munerum ſuorum labores licebat, corpus afflictantes. Præcipue vero continentiæ virtus Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis commendata erat. Nihilominus ad ſacros Ordines ſæpe promovebantur

1 Vide Hallierum *de Sacris ordinationibus*, & Morinum *de Ordin.*

2 Heinc Senatus ille Epiſcopalis *Presbyterium* appellabatur. Vide Cutantium in *epiſt. Roman. Pontif.* & Thomaſſinum *diſcip. Eccleſ.*

(a) *S. Cyp. Ep.* 33. *initio.* (b) *Cypr. Ep.* 68. (c) *Canon. Apoſt.* 1. *Conſt. Apoſt.* 8. C. 4. (d) *Act.* 13. *v.* 2 & 3. *vid. Baron. A.* 44. *n.* 4. (e) *Euſeb. l.* 6. *Hiſt. c.* 43. (f) *Thomaſſ. Tom.* 1. *L.* 2. *C.* 100. 101. 102. *de ſyncellis.* (g) *Conſt. Apoſt.* 8. *c.* 12.

tur viri matrimonio ligati; quomodo enim inter Judæos & Gentiles, qui magno numero quotidie Chriſto ſe dabant, homines ſemper invenires, qui annis jam maturi & graves in cœlibatu perpetuo vixerint? Imo non parum erat, aliquos ex illis reperire, qui una uxore contenti fuiſſent, cum propter eorum temporum licentiam, quæ Judæis cæteriſque Orientalibus populis polygamiam permittebat, tum vero propter divortii uſum paſſim tunc & communiter receptum, quæ res novis identidem contrahendis nuptiis anſam præbebat. Cæterum is, qui Epiſcopus ordinabatur, ſi matrimonio junctus erat, ſtatim a ſuſcepta illa dignitate uxorem ſuam ſororis loco deinceps habere incipiebat, eademque lege Presbyteros & Diaconos Eccleſia Romana perpetuo voluit obſtrictos [1]. Nam in Græcia & reliquo Oriente proceſſu temporis remiſſius hac in re agi cœptum eſt. Nuſquam tamen, per univerſam, qua late patet, Eccleſiam Catholicam permiſſum erat, ut Sacerdos poſt Ordinationem matrimonium primo iniret; qui id attentabat, continuo gradu ſuo dejectus, inque Laicorum redactus claſſem, pœnas dabat ſuæ incontinentiæ. Jam ad inferioris notæ Clericos quod attinet, cujuſmodi ſunt Lectores & Oſtiarii, hi plerumque uxorati erant, & uxoribus ſuis cohabitabant [2]. Multi eorum hiſce in muneribus vitam omnem tranſigebant, vel certe per plures annos in iiſdem durabant; quo tempore facile accidere potuit, ut vel uxores ſuas mortis fatali neceſſitate amitterent, vel vitæ perfectioris ſtudio incenſi ab ipſarum conſuetudine ſenſim ſeſe extricarent. Verum utcunque iſta ſe haberent, matrimonii ſtatus per ea tempora apud veros ac genuinos Chriſtianos eo majori in pretio & honore fuit, quanto impudentius contra illum hæretici nonnulli declamabant; quorum alii matrimonium plane execrabantur, alii ſecundas ſaltem nuptias crimini vertebant.

Clerici omnes atque adeo ipſimet Epiſcopi vitam pauperem, vel certe ſimplicem ducebant, ut ſi de reliqua Fidelium multitudine forent, a qua habitu cultuque corporis nihil differebant [3]. Nam cum perſecutionum coorta in Fideles tempeſtate, primi omnium Eccleſiæ Paſtores & miniſtri conquirerentur, non erat, cur iſti ſeu veſtitu, ſeu qua alia ſtatus ſui exteriore nota, quinam eſſent, ultro manifeſtarent; Gentilium Philoſophos ut ſummum habitu vultuque referebant. Multi patrimonia ſua in pauperes prius erogabant, quam ſacris Ordinibus initiarentur, plures etiam Apoſtolum imitati, poſt acceptos Ordines pergebant manuum labore victum comparare, etſi cæteroquin publicis Eccleſiæ ſumptibus vivere poſſent; iſta enim de ſuis opibus abunde ſuppeditabat, quidquid ad ſuſtentandos Clericos neceſſarium eſſet. Quilibet iſtorum in menſes aut hebdomadas ſingulas certa veluti ſtipendia ſportulaſque recipiebat *, ſive in numerata pecunia, ſive in natura, ut loqui ſolemus, pro cujuſque gradu & indigentia diſtribui ſolitas. Nam ſportulæ, ſive ut eas (a) Cyprianus nominat, *diviſiones menſuræ*, id eſt, menſtruæ & hebdomadariæ Clericorum, qui & majori dignitate aliis præſtabant, & plus laborum, quos dignitas illa major afferebat, exantlare debebant, ampliores cæterorum portionibus erant ex Apoſtoli præcepto, cum ait: (b) *qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur*. Honoris enim vocabulo, phraſi Sacræ Scripturæ & Patribus uſitata, victus & vitæ ſubſidia hic intelliguntur. Erant etiam nonnulli qui patrimonia ſua retinerent. Divus Cyprianus imminente jamjam Martyrii tempore caſam aut prædiolum * poſſidebat, quod unum ex maximis bonis pridem abjectis ipſi reliquum erat. Nec ſolum auctoritate venerabiles, verum etiam utilitate publica omnibus amabiles erant ſacri paſtores, ac reliqui Clericorum. Nunquam Epiſco-

1 Adi Theologos Bellarminum, Turnelium Witaſſium, & Binerum noſtrum in *apparatu ad Juriſprudentiam Eccleſiaſticam*, ubi de cœlibatu erudite, acuteque diſſeruit.

2 Confer Dominicum Georgium *T. II. de Liturgia Romani Pontificis diſſ. 1. cap. 6.*

3 Vide Jacobi Boilarii hiſtoricam diſquiſitionem *de re veſtiaria hominis ſacri vitam communem more civili traducentis*, *Rothomagi* 1704.

* Eam ob rem appellantur *Sportulantes Fratres*. Ep. 66. S. Cyprian.

* Pont. Diac. in vita S. Cypriani *hortos* nominat.

(a) *S. Cyp. Ep.* 14. (b) 1. *Tim.* 5. *v.* 17. *v. Pamelii notam* 10. *in Epiſt. Cyp.* 60.

piſcopus non præſidebat publicis precibus, Sacras item Scripturas explanare, Miſſæ ſacrificium Dominicis & Stationum diebus aſſidue peragere ſolebat. Vidiſſes ipſum cum presbyteris ſuis perpetuo occupatos nunc cathecumenis inſtruendis, nunc conſolandis ægrotis, nunc pœnitentibus cohortandis, nunc componendis inter ſeſe diſſidentium animis (*a*). Quidquid controverſiarum & litium oriretur, id omne Epiſcopus decidebat. Neque enim Chriſtianis fas erat, lites ſuas conteſtari ad Gentilium tribunalia, quod S. Paulus pridem prohibuerat; Siqui vero Epiſcopi ſententia ſtare nollent, ii tanquam obſtinati in malo, deſperatæque emendationis peccatores Fidelium communione privabantur. Verum ejuſmodi forenſes controverſiæ raro admodum inter Fideles ſuſcitabantur, quippe qui a lucri cupiditate alieni, humilitate inſuper & in adverſis tolerantia præditi erant. Cognoſcendis cauſis Epiſcopi plerumque ſecundam cujuſque hebdomadis feriam deſtinarant, quo videlicet litigantes, ſi forte judicio non ſtatim acquieſcerent, more adhuc ſatis haberent ad controverſias ſuas componendas, meritave cauſæ ante inſequentem dominicum diem Epiſcopo proponenda, quo die convenire omnes ad publicas preces & divinam pacificamque hoſtiam communiter recipere tenebantur. Porro judicii exercendi hæc ferme ratio erat. Epiſcopus cum corona presbyterorum veluti pro tribunali ſedebat diaconis circumſtantibus; medium locum adverſæ litigantium partes obtinebant. His primum attente auditis, Epiſcopus in id potiſſimum contento ſtudio incumbebat, ut ante ſententiæ pronunciationem diſſidentes ad concordiam & amicam compoſitionem adduceret. Eodem in loco admittebantur querelæ & delationes contra eos factæ, qui cum Chriſtiani eſſent, vitam Chriſtiano indignam agebant.

Bonorum (*b*) Eccleſiaſticorum libera abſolutaque diſpenſatio penes Epiſcopum erat, nec quiſquam metuebat, ne iiſdem aliquando Præſul abuteretur 1. Sane ſi vel minima ſuſpicio aut diffidentia de probitate & æquitate Epiſcopi Fideles ſollicitaſſet, nunquam iſti regimen animarum ſuarum, quæ utique infinitis theſauris præſtant, curæ & fidei ipſius credidiſſent. Erat igitur Epiſcopus veluti communis quidam calamitoſorum & egentium portus, ſive publicus omnium parens, in cujus auribus ſuas miſeri preces & lamenta deponebant, & a cujus providentia ac benignitate medelam ſuis quiſque malis afferendam ſperabat.

Et mirabimur adhuc Epiſcopos ac Presbyteros maxima paſſim in veneratione a Fidelibus habitos fuiſſe? hi ubi coram agere cum ipſis vellent, humi abjiciebant ſeſe, pedeſque illorum exoſculati, fauſtam ab iis precationem ſupplices ac venerabundi præſtolabantur; Sacerdos autem non prius ſermonem cum iis miſcebat, niſi oratione præmiſſa, cujuſmodi ferme Collectæ noſtræ in Miſſa & Officio (*c*) Sacerdotali eſſe ſolent 2. Felicem ſe reputabat, qui Presbyterum aut Diaconum domo ſua, menſave excipere poſſet 3. Nemo negotium gravioris momenti ſuſcipiebat ſine paſtoris conſilio, qui gregis totius unicus mo-

1 *Sciat Epiſcopus*, ajebat S. Hieronymus *ep.* 34. ad *Nepot. al.* 2. *cui commiſſa eſt Eccleſia, quem diſpenſationi pauperum curæque præficiat*. Nempe etſi Archidiaconi cuſtodes Theſaurorum Eccleſiæ erant, ad Epiſcopum tamen pertinebat cavere, ne qui minus recte reditus diſpenſarentur. Quare Synodus Calcedonenſis dum *can.* 26. juſſit *omnes Eccleſias Epiſcopos habentes etiam œconomum habere de proprio clero*, ſtatuit, œconomum res Eccleſiæ gubernare debere *ſecundum ſententiam proprii Epiſcopi*.

2 Has aliaſque honoris ſignificationes, quibus Epiſcopi olim ab Chriſtianis coli ſolebant, late perſequitur Mamachius *T. IV. p.* 541.

3 Heinc in Actis S. Theodoti apud Ruinartium *p.* 299. *Veron. edit.* legimus, Sanctum *miſiſſe ad vicum, qui ſibi advocarent presbyterum, qui ſimul pranderet, & profecturos conſuetis ad iter muniret precationibus: nec enim cibum ſumere conſueverat Sanctus, niſi benedicente Presbytero*.

(a) *Vide Baron. ad ann.* 57. *n.* 37. *&c.* 1. *Cor.* 6. *v.* 7. (b) *Conſt. Apoſt. l.* 2. *c.* 24. 25.

(c) *Vide acta S. Suſanna ap. Baron. An.* 294. *n.* 10. & 11.

moderator erat, & veluti homo quidam divinus, Chriſtique Vicarius honorabatur; ut adeo nihil ſic Epiſcopis & Sacerdotibus metuendum eſſet, quam ne vanitate elati alios præ ſe contemnerent maxime propter donum Prophetiæ & miraculorum, quæ per ea tempora ſatis frequentia erant.

Tota igitur baſis Imperii & poteſtatis illius, qua Paſtores animarum valebant, in iſta populi veneratione & filiali amore conſiſtebat. Etenim ad exigendum a ſuis obedientiam non aliis præſidiis ac veluti armis ſacri Præſides inſtructi erant, quam efficacia ſermonis in perſuadendo, pœnarumque ſpiritalium impoſitione: nec alia ratio ſuppetebat compellendi ad officium ſubditos, quam religio animis injecta. Cæterum qui eo improbitatis venerat, ut cenſuras Eccleſiaſticas nihili faceret; is nulla alia temporali inflicta pœna noxas ſuas eluebat.

CAPUT ULTIMUM.

Chriſtianorum primis tribus Eccleſiæ ærumnoſis ſæculis prudentia atque patientia,

TAles ferme Chriſtianorum erant mores, quamdiu Idololatria dominababatur, & perſecutiones aliæ ex aliis ſuccreſcebant. Status iſte in univerſum omnes ac ſingulos obligabat, ut magna ubique vigilantia agerent, perpetuoque Deum ac ſemetipſos ante oculos mentis haberent. Ubi primum cœpta perſecutio eſt, nihil Chriſtiani aliud in horas expectabant, quam ut Judici nomina ſua deferrentur etiam a propriis uxoribus aliiſve ſanguine ſibi conjunctiſſimis, quos partim bonorum alienorum cupiditas, partim falſæ Religionis zelus in ſuos exſtimulabat. Nullum debitoribus certius medium erat, ære alieno, quo Chriſtianis obſtricti erant, ſeſe liberandi; nulla etiam Chriſtianorum mancipiis expeditior ad libertatem obtinendam via & ratio erat, quam Dominorum aut creditorum facta ad Judicem denunciatio. Si quando Gentilem Chriſtianæ alicujus virginis amore capi contingeret, continuo is virginem in miſeram neceſſitatem conjicere poterat, ut corpus ſuum aut hominis libidini, aut Judici quæſtioni ac tormentis offerre cogeretur. Etiam cum nonnihil pacata fluerent Eccleſiæ tempora, adhuc in dies ſingulos merito timendum erat, ne antiqua bella recrudeſcerent; nec ulla Eccleſiæ illis temporibus tam ſecura integraque pax affulſit, quin multa tunc quoque Chriſtianis perferenda eſſent, ſeu populari tumultu, ſeu qua alia eos divexandi excogitata cauſa; conſtat enim Martyrum bene multos ſub iis Imperatoribus paſſos fuiſſe, qui cæteroquin Eccleſiam Chriſti dedita opera minime exagitarunt. Fac etiam ceſſaſſe ad tempus ſupplicia; odia quidem certe & contemptus nunquam ceſſarunt, impune ſemper & petulanter Ethnicorum conviciis atque injuriis Chriſtiani appetebantur; hos voce & ſtylo proſcindere, hos in theatris per jocum ridere ac traducere non modo licebat, ſed honori etiam ducebatur. Sane unius Celſi relatæ ab Origene criminationes ſufficere poſſunt ad demonſtrandam indignitatem ſummamque licentiam, qua Fideles tum temporis accipi ſolebant. Præterea non poterant non Chriſtiani multa quotidie videre atque audire, quæ proxime enumeratis incommodis multo erant deteriora; quotidie & paſſim ſacrilegi Ethnicorum ritus, turpes ſtatuæ & publica lupanaria in oculos incurrebant; aures vero ſermonum undique obſtringentium obſcœnitas impietaſque identidem vellicabat. Profecto qui in tantis fluctibus nihil unquam in fide vacillet, nihil inter has ſordes a morum vitæque integritate dimoveri ſe patiatur, næ is incredibili & prope divina virtute animique excelſitate præditus ſit neceſſe eſt.

Nec minori Chriſtianis prudentia & circumſpectione opus erat, ut intra cancellos ſuos tenerent libertatem illam filiorum Dei, & magnanimitatem non aliunde, quam ex teſtimonio bonæ conſcientiæ ortam. Noverant illi futiles aliorum contemplationes contemnere, noverant objecta per ſummam contumeliam maledicta adeo concoquere, ut neque concitatis in calumniatores ſeditionibus; neque regeſtis in ipſos conviciis, (a) neque incluſis ſaltem odiis illatas injurias ulciſcerentur. Diligenter admodum ſibi cavebant, ne quid un-

(a) Rom. 12. v. 17. &c.

Digitized by Google

nunquam facerent, quod perſecutionem aut primum accendere, aut jam ante accenſam magis inflammare poſſet. Pacem & concordiam, quoad ejus fieri poterat, cum omnibus ſtudioſe conſervabant, denique ita vivebant, (a) *ut benefacientes obmuteſcere facerent imprudentium hominum ignorantiam*. Eandem ob cauſam quidquid ad pietatem neceſſarium non eſſet, Gentiliumque animos magis exulcerare poſſet, omittendum ſibi putabant, ipſorumque animos, quibus poſſent officiis ſibi devinciendos. Multa Chriſtiani ſuo ſtatui peculiaria habebant exercitia, per quæ ab Ethnicis neceſſario ſecernebantur, ut adeo minime opus eſſet, in exteriore vita nova quædam & ſupervacanea affectare. Itaque vitæ ratio, quæ omnium oculis ſubjecta erat, nihil a Romanorum, nihil a Græcorum aliarumque nationum, inter quas verſabantur, inſtituto diſſidebat, niſi cum aliquid aut caſtæ Religioni aut bonis moribus manifeſte repugnaret. Nec magnopere laborabant Fideles, ut diſputando & concionando minus recte diſpoſitos affectoſque convincerent; ſed ſatis habebant Deos illos in oratione commendare, & partim tolerantiæ exemplo, partim recte factorum luce ædificare, bonum pro malo perpetuo reddentes.

In primis erga Principes, Magiſtratus & ſæcularem Poteſtatem Chriſtianorum elucebat patientia. Nunquam auditi fuere de publica adminiſtratione conqueri, aut de ſæculari Poteſtate quidquam per contemptum dicere. Nihil honoris & obedientiæ, dum ne ad idololatriam ſpectaret, ipſis denegabant: tributa pendebant non ſolum abſque repugnantia ulla, ſed etiam ſine queſtubus, & lamentis alias uſitatis; tantumque aberat, ut fraudare aliqua re Magiſtratus vellent, ut potius manuum labore ipſis ſubvenirent. Seditionum & tumultuum popularium neque authores Chriſtiani, neque participes aut conſcii erant conjurationum primis tribus ſæculis contra (b) Imperatores factarum quantumvis impii, & in perſequendis Fidelibus crudeles iſti eſſent 1. Solis Chriſtianis propria ea laus fuit, quod nunquam Neronis, Domitiani, Commodi, Caracallæ aliorumque complurium Tyrannorum Imperio ac jugo liberare ſe conati fuerint; cumque per ſummum nefas, inauditamque barbariem in extremas anguſtias redacti eſſent, nunquam tamen in mentem venit, ad juſtam ſui defenſionem arma corripere, etſi ſoli Chriſtiani ſingulis nationibus, quæ Romanis bellum inferebant, numero longe præſtarent. Imo plurimi Fidelium, qui ſub Romanis ſignis militabant, armis, quæ in manibus habebant, non aliter quam ex præſcripto Imperatorum ac Ducum ſuorum uti volebant, ut adeo Legiones integræ, qualis illa Sancti Mauritii erat, potius imbellium adinſtar ovium contrucidari ſe paterentur, quam ut juratam Deo ac Cæſari fidem violarent.

Ægre imperare ſibi Chriſtiani poterant, ut paucula quædam verba proferrent, quibus modeſte ſe purgarent, (c) editiſque in lucem reſponſis objecta per ſummam injuriam crimina diluerent. Toto ferme primo Eccleſiæ ſæculo pati, quam loqui aut agere maluerunt, (d) divini præceptoris ſui exemplo, qui accuſatus tacuit, & injuſte ſe judicanti ultro ſeſe tradidit. Totam videlicet innocentiæ ſuæ probationem in teſtimonio bonorum operum ſuorum reponebant; neque prius quam ſub Adriani Imperatoris tempora Apologiæ quædam vulgari cœptæ ſunt, tanta modeſtia & veneratione, tantaque ſoliditate ac gravitate conſcriptæ, facile ut animadvertere quivis poſſet, ſolo veritatis amore compoſitas fuiſſe.

Tam invicta Chriſtianorum in adverſis tolerantia ad extremum Poteſtates omnes mundanas Evangelio ſubjugavit. Nondum tyrannicarum perſecutionum deferbuerat æſtus, & jam Fidelium multitudo ad miraculum uſque aucta erat. Horum complures inter domeſticos Alexandri Imperatoris, nonnulli in ipſo Diocletiani palatio verſabantur, fuitque aliquando tempus, cum hoc ipſum ſæviſſimi Tyranni palatium fortiſſimis Chriſti Confeſſoribus, qui tunc in Urbe degebant, aſyli ac receptaculi loco eſſet (e). Sanctus Cajus Papa, & Divæ Suſannæ parens S. Gabinus Diocletiani ex fratre Maximo ſive Maximino

1 Vide Mamachium *T. III. p.* 434. *ſeqq.*
(a) 1. *Petr.* 2. *v.* 15. (b) *Tertul. Apol. c.* 35. 36. 37. (c) *Origen. contra Celſum initio.*
(d) 2. *Petri* 1. *v.* 23. (e) *Baron. An.* 234. *n.* 5.

mino nepotes erant. Nimirum virtutibus Chriſtianorum & miraculis, quæ frequenter ab ipſis patrabantur, commotus tandem & conciliatus populus æquiorem ſe inique vexatis præbere incepit, palamque magnum Chriſtianorum Deum & innocentes Chriſtianos pronunciare (*a*). Nonnunquam evenit, ut, quo tempore ſuppliciis excruciabantur Martyres, populus, quem ea ſpectacula exciverant, Martyrum partes, quamlibet invitis ipſis, ſuſciperet, & ſaxorum grandine petitos Judices tribunalibus exturbaret ſuis. Sæpe etiam, qui aderant, publici Scribæ, carcerum cuſtodes & apparitores, animis repente ac divinitus mutatis, ſe quoque Chriſtianos eſſe unanimiter exclamabant, ſeſeque Martyribus in ferendis ſuppliciis ſocios adjungebant. Quid? Comœdi quoque & hiſtriones eo ipſo tempore, (*b*) quo in theatris ſacroſancta Myſteria per ludum imitabantur, continuo ex viliſſimis homuncionibus Martyres evaſere illuſtriſſimi, cujuſmodi ſub Diocletiano Ardelion & Geneſius fuere. Atque hinc ultimæ illius longeque immaniſſimæ perſecutionis origo extitit; videbant enim Gentiles totum mundum abire poſt Chriſtum, quemadmodum olim Phariſæi loquebantur. Verumtamen iſta quoque omnium diriſſima vexatio nihilo plus, quam præteritæ omnes, profecit, eoque ſolum valuit, ut malis ſuis Religio Chriſtiana creſceret, atque ſtabiliretur; proinde quarto Chriſti ſæculo ineunte, cum Conſtantinus Magnus patrocinium noſtræ fidei palam ſuſciperet, jam omnia ſecunda, votiſque ſuis faventia experti ſunt Chriſtiani.

AD

(a) *Acta S. Bonif. Ann. 305. n. 1. Martyrolog. 1. Febr. S. Eulal. M. 20. Sept.*
(b) *Acta St. Martyrum 9. Mart. Baron. 303. n. 118.*

POPULI DEI

AD PARTEM II.

SELECTARUM DISSERTATIONUM

MANTISSA

AD CAPUT III. P. EMMANUELIS DE AZEVEDO S. J.

De Divini Officii nominibus, & definitione, antiquitate, & excellentia

DISSERTATIO I.

I. CErta publice Deum laudandi ratio, ſeu preces vocales ſingulis diebus a Clero recitandæ nomen Primo *Officii Divini*, ab antiquis Patribus obtinuere; quod Eccleſiæ oratio debitum ſit quoddam, atque officium, quod Deo perſolvit preces ſuas illi dicando: *Oremus*, ait S. Hieronymus *in vita S. Pachomii, pſallamus, reddamus Domino Officium*. Namque in divinis laudibus id omne continetur, quod nobis faciendum eſt erga Deum: atque adeo eas ſtatis horis perſolventes, debitum ſervitutis obſequium ſupremæ Majeſtati impendimus. Secundo: Divinum Officium dictum eſt *Curſus*, vel a curſu Solis, qui orationis horas dirigit, deſumpto vocabulo, vel quia legendo, & cantando percurritur. Hanc appellationem illi indidere Gregorius Turonenſis *lib. 1. de Glor. Martyr.* ajens: Opus ſe elaboraſſe *de curſibus Eccleſiaſticis inſcriptum*; Fortunatus in *vita S. Germani Pariſienſis*, de quo habet: *Iter agens ſemper nudo capite curſum recitavit*. Circa medium autem Sæculi VII. *Romanus Curſus* commemoratur in *vita S. Alberti Abbatis*, & *S. Serenici*. Tertio: Divinum Officium nuncupatum eſt *Opus Dei* in *Regula S. Benedicti*: opus nimirum, quod cum ſit penſum ſervitutis noſtræ devota mentis attentione recitare debemus. Quarto: *Horarum Canonicarum* nomen ſortitum eſt ſive ex eo, quod majores noſtri tempus, & horas, quibus Officium eſt perſolvendum, Eccleſiaſticis Canonibus definierint; ſive quia Officium a Canonibus vel regulis, atque Legibus Eccleſiæ fuit præſcriptum. Quinto: nomenclaturam ſubiit *Breviarii*, quod idem eſt, ac Summarium, & Compendium, vel quia ſequioribus temporibus vetus Officium valde contractum fuit, præſertim apud Monachos; vel quod Orationum in eo contentarum collectio ſit quædam omnium precum Epitome. Pſalmos enim, ſelectiſſima quæque ex utroque Teſtamento, inſigniorem SS. Patrum doctrinam, præcipua Sanctorum geſta, Hymnos, & Orationes complectitur. Cardin. Bona *lib. Divinæ pſalmod. cap. 20.* addit: *Breviarium* dici, *quod in eo conciſa, ac ſine muſicalibus notis ea omnia conſcripta ſunt, quæ in Antiphonariis, aliiſque libris choralibus magnis characteribus ad uſum cantantium comprehenduntur*. Extra omnem tamen controverſiæ aleam conſtitutum eſt, S. Benedictum Officium Divinum ad breviorem formam redegiſſe; antea ſiquidem totum Pſalterium quotidie recitabatur; ipſe vero ita rem compoſuit, ut ſemel tantum in hebdomada abſolveretur. Nec diffitetur ipſemet Card. Bona *eodem loco conſtare* evidenter ex collatione hodierni Breviarii poſt S. Pium V. cum antiquioribus, hæc multo prolixiora fuiſſe. Appellatio autem *Breviarii* Romanum ſubinde indicavit, quod Franciſcani Fratres in Papæ Sacello recitabant a Sixto V. adoptatum, atque a S. Pio V., & Clemente VIII., quanta potuere contentione, ut ab omnibus Eccleſiis ſervaretur, propoſitum. Sexto: Græcis Divinum Officium eſt *Canon Synaxis*, quod juxta Caſſianum, ad pſallendum colligantur in unum, & congregentur Religioſi: *Collecta* ſenſu mox expoſito: *Agenda* quaſi unum eſſet e gravioribus Eccleſiæ muneribus: *Miſſa* in Concilio Agathenſi, quia eo abſoluto, uti hodie nunc fit perſoluto ſacrificio, facultas abeundi dabatur.

II. Hinc liquet, Officium Divinum, ſive Breviarium, qua appellatione hodie deſigna-

cogimur ad Divinarum Litterarum commemorationem; Libro de *Jejuniis* horam tertiam, ſextam, nonam, & Veſpertinam aſſignat, earumque rationem eleganter explanat; quin eas horas *Apoſtolicas* vocat, quaſi ab Apoſtolorum more originem traherent. Latinos tamen inter nemo planius, evolutiuſque de iis horis differit, quam S. Cyprianus de *Orat. Domin.* Ibi enim orandum eſſe docet hora *Tertia*, quod eadem Spiritus Sanctus in Apoſtolos ſit illapſus: hora *Sexta*, quia hac ipſa S. Petrus Divinitus admonitus fuit, ut Gentiles ſalutis fineret eſſe participes, ſive quod hora ſexta Dominus noſter Cruci affixus fuiſſet: hora autem *Nona*, quod eodem tempore Chriſtus mortem obeundo, vitæ ſuæ, noſtræque ſaluti coronidem impoſuiſſet. Tres inſuper deſignat horas S. Doctor, quibus fundendæ ſunt preces: *Matutinam* ad celebrandam oratione iſta Jeſu Chriſti Reſurrectionem: *Veſpertinam*, quoniam cum Jeſus Chriſtus ſit verus Sol & vera Lux animarum noſtrarum, quando ſub Solis occaſum Divini luminis reditum ab eo petimus, poſtremum ipſius adventum poſtulamus. quo æternæ lucis participes efficiemur: *Nocturnam*, quod ſemper in Jeſu Chriſti, id eſt, in vero lumine ſimus.

V. Latinis Scriptoribus concinunt Græci, quorum anteſignanus Origeres *lib. 1. contra Celſum* tradit, primum caput criminationis adverſus Chriſtianos fuiſſe, quod clancularios conventus haberent. ad Agapem nimirum, & ad Synaxim, Origenis Præceptor Clemens Alexandrinus in *Stromatum* libris *Tertiæ*, *Sextæ*, & *Nonæ* meminit. Deinde ſubdit. *Jam vero triplicem horarum diviſionem, quæ totidem ſunt honoratæ precibus, ſciunt, qui norunt, beatam Sanctarum manſionum Trinitatem.* Harum horarum meminere, quotquot deinde ſcripſere SS. Patres in primis S. Athanaſius lib. *de Virginitate*, ſive *de meditatione*. *Sol oriens*, inquit, *videat Librum in manibus. Poſt Tertiam Synaxes conficies, quoniam ea hora defixum eſt lignum Crucis. Sexta hora abſolves deprecationes cum Pſalmis, ploratu, & ſupplicationibus, quoniam hac hora pependit Filius Dei in Cruce, Nona hora rurſum in Hymnis, & glorificationibus eris, quoniam hac hora Dominus in Cruce pendens reddidit Spiritum. Duodecima hora majorem, & longiorem facies Synaxim. Media nocte excitaberis, & Hymnis celebrabis Dominum Deum tuum.*

VI. Ex iis autem convulſa facile eruitur opinatio eorum, qui ad tertium, vel quartum Sæculum Officii Divini inſtitutionem amandant. Perſpicuum enim eſt, ritum orandi aliquoties in die cum ipſa Religione, hominumque cœtibus incepiſſe, quamquam aliunde exploratum ſit, Canonicas preces, ut hodie in uſu ſunt, non adeo antiquam, ſaltem aliqua ex parte originem habuiſſe. Primus Sanctus Benedictus in ſua Regula *cap. 6.* jubet, quod Davidis ſequatur exemplum, qui nocte ad orandum ſurgebat, atque ſepties per diem preces fundebat, ut Officium abſolvatur Horis Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperarum, & Completorii, ut ait Propheta: *Septies in die laudem dixi tibi, qui ſeptenarius ſacratus numerus a nobis ſic complebitur, ſi Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ, Completoriique tempore noſtræ ſervitutis officia perſolvamus, quia de Diurnis horis dixit: Septies in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis Vigiliis idem ipſe Propheta ait: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Scilicet, ut ſeptenarium numerum compleret S. Benedictus, Completorium addidit. Namque jam ab ipſis Apoſtolorum temporibus nocturnas Vigilias, laudes Matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam, & Veſperas in uſu fuiſſe, ſuperius citata evincunt teſtimonia. Turpi itaque errore lapſus eſt Polydorus, Virgilius *lib. 6. cap. 2.* ad Pelagium Secundum referens precis horariæ inſtitutionem.

VII. Nec mirari ſubit, quod ſacra Pſalmorum modulatio æquales cum Angelis ſortita ſit natales, creverit ſub Patriarchis, & naſcente Eccleſia Apoſtolicorum virorum decretis fuerit ſtabilita. *Pſalmodia*, inquit Antiochus Monachus *hom. 105. eſt opus incorporearum virtutum Deo adminiſtrantium, & indivulſe conſiſtentium, juxta illud: Laudate Dominum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus. Hoc autem opus competit, & hominibus: Omnis Spiritus laudet Dominum. Ad hoc enim*, ut obſervat S. Chryſoſtomus in *Pſalm. 26.ereatus eſt homo, ut laudet Deum. Nihil a nobis æque requirit Deum, ac laudes, & gratiarum actiones; propterea rationales nos fecit, & a brutis lingua diſcrevit ut eum laudemus, & jugiter glorificemur. Propterea*, ajebat S.Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. 5. traditam nobis hanc Seraphicam*

Theo-

Theologiam, Sanctus, Sanctus, Sanctus, recitamus, ut in illa cæleſti hymnodia cum ſupramundana militia communicemus, per hujuſmodi hymnos nos ſanctificantes. Quam ſublime igitur, & Divinum Hymnis, & Canticis ſpiritualibus quotidie exercere ſe ipſum, & Beatorum in terris felicitatem imitari, ſicut ſcriptum eſt: ***Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſæculorum ſæcula laudabunt te.***

VIII. Væ itaque filiis perditionis, qui horarum Canonicarum recitationem auſi ſunt nuperrimis hiſce temporibus irridere, & calumniari; quaſi ad honeſtam dumtaxat Religioſorum, alioquin otio, & inertia languentium occupationem fuerint excogitatæ. Otioſi non erant Apoſtoli, primævique Patres; omnes tamen ſummo ſtudio hunc morem ſtatis Horis publice pſallendi coluerunt, quin & ipſa ab incunabulis ſuis Eccleſia, quæ eſt *Columna, & firmamentum veritatis, nec maculam, nec rugam habet*, ad hanc noſtram feneſcentem ætatem frequentat. Ecquid Sanctius Pſalmodia, quæ maximas Dei laudes continet, noſtræ Religionis arcana commemorat, contemplationem nutrit, gignit amorem, & quamdam in terris cœleſtis gloriæ fidelitatem repræſentat?

P. EMMANUELIS DE AZEVEDO S. J.

De variis Divini Officii Horis,

DISSERTATIO II.

I. NUmerum horarum Canonicarum, ſive Officii Divini jam abunde aſſignavimus, ſeptenarium his vulgatiſſimis Gloſſæ verſiculis concluſum:

Hæc ſunt ſeptenis propter quæ pſallimus horis.
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat.
Prima replet ſputis, cauſam dat Tertia mortis.
Sexta Cruci nectit. Latus ejus Nona bipertit.
Veſpera deponit. Tumulo Completa reponit.

II. Ex his autem Tertia, Sexta, & Nona ab Apoſtolis ſunt inſtitutæ. Veſpertina ſequiori ævo, ſed ante Tertulliani tempora: Matutina, & Nocturna ætatem S. Cypriani antevertere. Auctor *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, qui ſaltem huic ſæculo æqualis fuit, ſex etiam horas commemorat *lib. 18. cap. 14. Preces veſtras facite diluculo, Tertiæ, Sexta, Nona hora, Veſpere, & in Galli cantu.* Sæculo quarto haud plures deſignat Canonicas jam laudatus S. Athanaſius, quem ſequuntur S. Ephrem Syrus ſex tantum in ſerm. *de beatitudinibus* recenſens horas; S. Hieronymus epiſt. 22. *ad Euſtochium: Horam Tertiam, Sextam, Nonam, Diluculam quoque, & Veſperam, nemo eſt qui neſciat: noctibus bis tempore ſurgendum.* Et Joannes Caſſianus, qui *lib. 2. & 3. de Inſtitutis Cœnobiorum*, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, Veſpertinarum, & Nocturnarum precationum, Matutinæ laudis, & primæ, quam alteram Matutinam vocat, ſolummodo meminit.

III. Equidem Cæſarius *Dialog. 4. interrog. 192.* ſeptenarum horarum Canonicarum numerum aſſerere videtur, cum ait: *Peculiariter a ſacro cœtu Chriſtigeræ Eccleſiæ noſtræ uſurpatur ſeptenaria beneficentia; ſepties enim in die laudavi te, ait David auctor carminum Divinorum.* Pari modo S. Chryſoſtomus *in Pſalm. 118. ad verſum: Septies in die laudem dixi tibi,* ajens *Optimi quique viri quovis die ſtationem ad Deum ſepties faciunt.* Attamen neutiquam inde adſtruunt Completorium ſua ætate ceteris horis fuiſſe additum. Namque Oratio, quam illi commemorant, initio noctis ante ſomni dormitionem facienda, ad Completorii inſtitutionem nequaquam eſt trahenda, quippe quæ vel de Veſperarum ſolemnitate, vel de aliqua privata oratione explicari debeat: ideoque valde incompletum erat hoc Completorium. Primus, uti ſupe-

Digitized by Google

ſuperius innuimus, Completorii inſtitutor fuit S. Benedictus: Siquidem nullus Scriptor Eccleſiaſticus Benedicto antiquior Completorii nomine uſus fuit: nec apud quemquam Græcum, vel Latinum auctorem hujus Officii nomen reperitur. Regula enim D. Auguſtini, Completorii mentionem faciens S. Doctoris ætate multo poſterior eſt; idem judicium ferendum de Regula Monachorum S. Hieronymo attributa. Caſſiodorius vero, qui primus in *pſalm. 118.* Completorium inter horas Canonicas retulit, Benedictina regula jam promulgata ſcripſit. Gravior eſt Bellarminum inter, & Bonam Cardinales diſceptatio, num Completorium in *regulis* S. Baſilii *fuſius diſputatis* reperiatur. Aſt litem dirimit idem S. Doctor *Serm. 1. de Inſtitutione Monachorum*; cum enim horas Canonicas recenſens huic Davidis: *Septies in die Laudem dixi tibi*, correſpondentes non inveniret, Meridianam Orationem bipartitur, ut ſeptenarium aſſequatur numerum: *Tempora autem illa, quæ diximus neutiquam Septenarium orationis numerum conficiunt, ideo bipartita dividenda Meridiana oratio eſt, ita videlicet, ut pars una cibum præcedat, altera ſubſequatur*; ideſt Sextam in duas partes dividi jubet. Verum ſi Completorium addidiſſet, qui horam bipartiri opus fuiſſet?

IV. Silentio tamen prætereundum non eſt, morem orandi, canendique Pſalmos horis, Tertia, Sexta, Nona non ubique in univerſum a Chriſtianis fuiſſe obſervatum. S. enim Clemens Alexandrinus eum nonnullis dumtaxat tribuit. Caſſianus quoque teſtatur Ægypti Solitarios horis Canonicis minime ſeſe adſtrinxiſſe, nulloque temporis diſcrimine totum diem pſalmos recitaſſe; nullos apud eos ad orandum cœtus habitos, exceptis veſpertinis, nocturniſque Officiis, præter Sabbathum, & Dominicam diem, quibus Hora Tertia ad Communionem conveniebant.

P. EMMANUELIS DE AZEVEDO S.J.

De ſigno, quo olim ad Divina Officia Clerici convocabantur.

DISSERTATIO III.

I. PRioribus Eccleſiæ ſæculis conveniebant in unum Clerici ad recitanda Divina Officia, ideoque credibile eſt aliquod ſignum anteceſſiſſe, quo deſtinata hora cogerentur. Verum nihil difficilius, quam definire quale fuerit. Quocirca varias referemus ſententias, & noſtrum de iis interponemus judicium. Amalarius itaque *lib. 4. de Divin. Offic. cap. 21.* opinatur, Chriſtianos, quando latitabant in Cryptis propter perſecutores, lignorum ſonitu fuiſſe congregatos. At nullum profert hujus rei antiquum monumentum; nec ipſa patitur ratio, ut Chriſtiani tempore, quo abdita loca ad conveniendum ſtudioſiſſime quærebant, lignorum ſtrepitu proditi ad necem ſibi inferendam Gentiles provocarent. Strabo in veriſimiliorem incidit conjecturam, cum *cap. 5. de reb. Eccl.* ſcribit, Chriſtianorum aliquos ſola devotione impulſos ad ſtatutas horas confluxiſſe; alios prænuntiationibus publicis invitatos: omnes vero in una ſolemnitate futuras diſcere. Hæc tamen opinio, licet multum arrideat recentioribus, quod cum Plinius meminit cætuum Chriſtianorum, altum habeat de ſigno ſilentium, gravem ſubit difficultatem. Quis enim ſuum in animum induxerit naſcentis Eccleſiæ temporibus Chriſtianos vexatos acerbiſſimis perſecutionibus, ſæpe locum mutantes, eumque abditiſſimum, nec inventu facilem quærentes, ac propterea *latebroſam*, & *Lucifugam Nationem* dictos ab eodem Plinio ſolo Religionis ſtudio convenire potuiſſe, & in uno Conventu alterius præmoneri? Baronius demum *ad an. 51. n. 12.* ex Ignatii Martyris ad Polycarpum litteris conjicit, viros quoſdam *Curſores* dictos fuiſſe electos, quorum munus eſſet Chriſtianos privatim monere, quando, & quo loco convenire deberent. Sed ea Epiſtola non loquitur de Curſore, qui ad Divina Officia convocaret, verum de Legato, qui in Syriam ad Antiochenos erat mittendus: ait enim circa finem: *Saluto*

eum,

P. FRANC. XAVERII ZECH S. J.

De Campanis & Inſtrumentis muſicis.

DISSERTATIO IV.

§. PRIMO.

UT in Eccleſiam convocetur populus ad Officia Divina, Campanis ex ære & ſtanno conflatis, & ex alta Turre ſuſpenſis utimur. Primi Chriſtiani ſævientibus Tyrannorum perſecutionibus, publicum, & ſtreperum ſignum adhibere non poterant. Singuli debebant nominatim certis temporibus convocari: quod munus inter alia pertinebat ad Diaconos [1]. Poſt redditam Eccleſiæ Pacem Chriſtiani Campanam ſeu Æs Campanum [2] alio nomine Tintinnabulum [3], ſeu Nolam [4], quam Ethnici pridem adhibuerant ad uſus profanos & ſacros [5], uſurpare cœperunt pro convocando populo ad Eccleſias. Sicut Turcæ non utuntur Campanis, ſed populum ſtentorea Sacerdotis voce ex turri ad templum invitant: ita nec Græcis inter ſe habitantibus uſum Campanarum permittunt, ne earum ſono detur ſignum tumultus vel conſpirationis, qui proin pulſu tabulæ ligneæ utuntur, quæ *Synandrum* a convocando populo dicitur; aut ferrea lamina ferreo malleolo percuſſa, quam vocant ἁγιοσίδηρος, id eſt *Sacrum ferrum* [6].

(*a*) 2. Numerus & magnitudo Campanarum deberet reſpondere Dignitati Eccleſiæ [7], ut etiam hac in re primas ferat

(1) S. IGNATIUS M. ad Heronem Diaconum *Epiſt.* 13. ſcribit: *Synaxes, ne negligas: omnes nominatim inquire.*

(2) Deſumpta vox creditur ex Campania Provincia Italiæ non quidem quod ibi campanæ primum inventæ fuerint, cujus rei veſtigium non invenitur, ſed forte ibidem commodior modus ſuſpendendi, & æquilibrandi Campanas in uſum traductus eſt. Unde etiam apud Græcos authores inferioris ævi inveniuntur voces, καμπανος, καμπανίζειν pro *ſtatera pende are*. Achmes *Oneirocrit. c.* 15. ζυγον τὸ λεγόμενον καμπανον. Plura exempla refert JOANN. MEURSIUS in Gloſſario Græco-barbaro. V. καμπανος.

(3) Vox deſumpta a *Tinnitu*, qui eſt proprius metalli ſonus.

(4) Nola dicitur ab Urbe hujus nominis in Campania, forte ob celebres artifices ibi habitantes. Utitur hac voce QUINTILIANUS Orat. Inſtir. Lib. VIII. c. ult. ubi refert antiqui Oratoris ænigma *In cubiculo Nola*. Plerumque *Nola ſumitur* pro Tintinnabulo minore, *Campana* pro majore. Hæc apud Germanos vocatur Glock: unde vox latino-barbara *Clocca*, quæ reperitur in CAROLI M. Capitular. III. ann. 789. c. 18. in Vita S. Anſcharii 3. Februarii: S. Angilberti 18. Febr. S. Liobæ 28. Septembris, & aliis ejus ævi Scriptoribus. In eadem vita S. Angilberti inter alia ſupellectilia Monaſterii Centulenſis numerantur *Schillæ tres*, ſeu Nolæ & Tintinnabula minora, germanice *Schell.*

(5) Varia loca veterum Auctorum recenſet ANGELUS ROCCHA de Campanis cap. 3. HIERONYMUS MAGIUS de Tintinnabulis. cap. 3. ſeqq.

(6) Formam hujus inſtrumenti exhibet MAGIUS cap. 15. De pulſatis lignis ſacris mentionem facit Concil. Nicæn. II. Act. 4. Serius enim in Oriente, quam in Occidente invaluerat Uſus Campanarum.

7 Vide Acta Synodalia Mediolan. part. 2. fol. 328. Magnitudine ſua celebris eſt Campana Erfurtenſis, Rothomagenſis, & præ omnibus Nanckinenſis in Sinis. Vid. KIRCHERUS China Illuſtrata p. 5. fol. 222. item Muſurgiæ tom. 1. lib. 6. part. 4. c. 2. Obſervat THIERS de Superſtit. p. II. l. I. c. 12. que les gens les plus groſſiers ſont ceux, qui aiment davantage les cloches & le ſon des Cloches.... les Allemans & les Flamans en ont de groſſes & en grand nombre & cela vient de leur peu de politeſſe &c. Editor libri Hollandus in additionibus ad finem adjectis dicit: tout le raiſonnement de M. Thiers eſt ſi plat & ſi inſipide qu'il ne vaut pas la peine qu'on s'y arrete.

(a) *Eccleſia.*

Digitized by Google

rat Eccleſia Cathedralis; hanc ſequatur Parochialis. Religioſis Mendicantibus, præter campanulas in Refectoriis, Capitulis & aliis Officinis, unicam permittit Campanam JOANNES XXII. [1]. Conſuetudo contraria non eſt univerſim extendenda; ſed ad locum individuum, ubi viget, reſtringenda [2]. INNOCENTIUS XI. autem univerſim concedit, ut Fratres Ordinis Prædicatorum in ſuis reſpective Conventibus, ſeu Domibus Regularibus ſive Eccleſiis ubicumque locorum exiſtentibus plures, & quotquot Magiſter Generalis ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtens, ſive eorum Prior Provincialis reſpective determinaverit, Campanas habere & retinere, illaſque ad excitandam populi devotionem pulſare, & pulſari facere libere & licite poſſint, & valeant. [3]

(a) 3. Ritus benedicendi & ad uſus ſacros deſtinandi Campanas, eſt antiquus [4]. Cauſæ ejus continentur in precibus ſub eo recitari ſolitis [5]: & recenſentur a Concilio COLONIENSI [6]: ſolent communiter comprehendi hoc carmine:

I. Laudo Deum verum: II. Plebem voco: III. Congrego Clerum:
IV. Defunctos ploro: V. Nimbum fugo: VI. Feſtaque honoro.

(b) 4. I. *Laudo Deum verum*. Frequenter ſolet ſignum Campana dari ad Deum adorandum, & preces fundendas. Ad Chriſtum in Euchariſtia adorandum, quando pervenitur ad Conſecrationem in Sacrificio Miſſæ, non tantum præſentes in Templo per tintinnabulum minus; ſed etiam per campanam majorem admonendos eſſe abſentes, præcipit Concilium AQUENSE. [7] Idem fit, quando S. Viaticum portatur ad infirmos: & multis in locis quando quis in agonia conſtitutus morti eſt proximus. Signum Campanæ ad ſalutandam Virginem mane, meridie & veſpere, adſcribi ſolet tum URBANO II., tum CALLIXTO III. Romanis Pontificibus ad implorandam Divinam opem contra Saracenos & Turcas, & precandam quietem illis, qui in Sacris expeditionibus occubuerunt. [8] Conceſſit BENEDICTUS XIII. certas Indulgentias iis, qui has preces genibus flexis recitarent. [9] Solet etiam in noſtris Provinciis ſignum dari feriis quintis & ſextis ad recolendam memoriam Agoniæ Chriſti in horto, & Mortis in Cruce.

(c) 5. II. *Plebem voco*. Campanæ ex altiore loco ſuſpenſæ in illis tantum Eccleſiis admittuntur, in quibus jus eſt convocandi Plebem ad Divina Officia. Unde in Oratoriis intra Monaſteria Religioſorum conſtructis non permittitur Campana, [10] utpote quæ Orationis ſolum cauſa conſtructa fuerant, quando Religioſi nondum poterant in ſuis Eccleſiis Miſſas publicas dicere, aut Sacramenta adminiſtrare. [11] Ubi autem & poſtquam hæc per-

1 Extrav. un. de Offic. Cuſtod. inter commun.
2 BARBOSA Voto 102. n. 62. ſeqq.
3 Conſt. *Exponi nobis*, 12. Febr. 1685. inter Innocentii XI. Bullas n. 137.
4 Meminit Ordo Romanus, qui eſt liber antiquiſſimus. Cæremonia hæc voce impropria vocatur a nonnullis *Baptiſmus*, quia Campanæ aqua benedicta lavantur; Sancto Infirmorum Oleo & Chriſmate unguntur, eiſque nomina imponuntur plerumque a Sanctis, pro quorum Eccleſiis fieri curantur. Vid. ANDREAS DU SAUSSAY Panopl. Sacerdot. p. 2 l. 11. c. 6. art. 22. Hiſpani ſolent etiam aſſumere virum & mulierem tanquam Patrinos. In quibus cæremoniis nulla intervenit ſuperſtitio, quam cavendam monet ſupra allegatum Capitulare CAROLI M. *ut Cloccas non Baptizent*. Abuſus aliquos etiam in noſtra Germania olim irrepſiſſe facile mihi perſuadeo: unde orta eſt nimium exaggerata querela ſtatuum Imperii ad HADRIANUM VI. delata. Gravam. cap. 51. de Baptiſmo Campanarum.
5 Vid. Pontificale Romanum de Benedict. Campan.
6 Ann. 1536. part. 9. c. 14.
7 Celebratum ann. 1585. apud HARDUIN. tom. 10. col. 1529.
8 Forte de hoc ipſo ſigno intelligitur, quando JOANNES IV. Miſnenſis Epiſcopus contuliſſe ſcribitur XX. dierum Indulgentiam iis, qui, quo tempore Campana, quæ *a precatione* nomen habet, pulſari ſolet, in Baſilica Cathedrali coram Altari preces ſuderint. XV. Cal. Novembr. 1428. SIGISMUNDUS CALLES Ser. Miſnenſ. Epiſcop. ſol. 287.
9 Vid. Card. PETRA tom. 5. ad Conſt. 1. Callixti III.
10 C. 10. de Privileg.
11 C. 11. XVI. q. 1.
(a) *Benedictas adhibet*. (b) *Ad laudandum Deum*. (c) *Convocandam plebem*.

permiſſa ſunt, reprehenduntur Epiſcopi, qui prohibent Religioſos habere Campanam.[1]

(*a*) §. 6. III. *Congrego Clerum*. Notiſſimus eſt uſus Campanarum pro convocandis Canonicis ad Capitulum & Clericis ad Horas Canonicas cantandas. Monaci olim convocabantur aut tuba:[2] aut Malleo & lignorum colliſione:[3] aut per cantatum Alleluja:[4] aut etiam Tintinnabulo minore ſeu Nola.[5]

(*b*) § 7. IV. *Defunctos ploro*. Silentium Campanarum eſt ſignum luctus: unde poſt mortem S. THOMÆ Cantuarienſis Archiepiſcopi anno fere integro ſonus Campanarum ſuſpenſus eſt,[6] quod præcipue fiebat ob Interdictum Eccleſiæ; hoc enim durante ſilent Campanæ;[7] uti & in triduo Hebdomadæ Sanctæ.[8] Quod autem in funeribus Chriſtianorum Campanæ ſonent, ratio eſt, quia hoc ſonitu monentur fideles ad orationem pro defunctis faciendam. Mentio alicubi[9] fit Campanarum manualium pro mortuis, ſicut etiam Tintinnabuli, quando Euchariſtia portatur ad infirmos.

(*c*) §. 8. V. *Nimbum fugo*. Perſuadent ſibi aliqui ex Philoſophia, Campanarum ſono aerem ſcindi, & tempeſtatum injurias naturali effectu depelli. Alii confidunt in virtute Divina, quæ precibus Eccleſiæ in benedictione Campanarum imploratur. Forte uſus pulſandi Campanas urgente tempeſtate ideo invaluit, ut populus orandi gratia convocetur ad Templum, vel ſaltem ad preces domi fundendas admoneatur.[10] Nota eſt devota perſuaſio populi, qui a fulmine & grandine ſe tutum fore confidit, ubi auditur ſonus Campanulæ a S. BENNONE[11], & a S. WOLFGANGO benedictæ[12]. Unde patet, Fideles longe abeſſe ab Ethnicis, qui ſuperſtitioſe credebant, ſpectra depelli pulſato Tintinnabulo. *Docendus eſt ergo populus ab exterioribus iſtis, ut ſignatis potius quam ſignis inhæreat ac intendat &c.*[13] Hiſtoriolas de ſagis ad ſonitum Campanæ a dæmone deſtitutis, & ſimilibus eventibus credunt aliqui:[14] rejiciunt autem Sacri Canones cum plurimis Auctoribus[15]. Reprehendi certe merentur, qui

---

1 C. nimis. 16. de Excell. *Prælat.*

2 PACHOMIUS in Regul. n. 2. CLIMACUS Grad. 18.

3 CÆSARIUS lib. 1. Hiſtor. c. 40. & lib. 6. c. 36. DE LA CERDA Adverſar. Sacror. c. 44. n. 22.

4 Id fiebat in Monaſteriis Virginum a S. Paula erectis prout teſtatur S. HIERONYMUS Epiſt. 27. ad Euſtoch. c. 10.

5 CÆSARIUS Lib. IV. Hiſt. c. 28. S. HIERONYM. in Regul. Monach. c. 33. *Nullum ex vobis dormientem reperiat Campanilis ſonitus*. Tale ſignum intelligit S. BENEDICTUS Regul. c. 43. Vid. ROSWEYDUS in Vitis Patrum, in Onomaſtico Verb. *ſignum percutere*.

6 MATTH. PARIS ad ann. 1171.

7 C. 11. de Pœnit. & Remiſſ. C. alma mater. 24. de ſent. Excom. in 6.

8 GUILIEL. DURANDUS Rational. Divin. Offic. Lib. VI.

9 Concilium MERTANENSE ann. 1300. c. 4.

10 Tempeſtatem bellicam pulſu campanarum depulit S. LUPUS Archiepiſcopus Senonenſis, qui Clotarii copiis urbem Senonenſem obſidentibus, ſignum dedit ad convocandum populum Campana Eccleſiæ S. Stephani: & mox hoſtes perterrefacti aufugerunt. Acta SS. ad diem 1. Septembr fol. 258. Aliqui inde miraculum eruunt: alii putant, quod eo tempore, ſcilicet ad initium Sæculi VII. Campanæ non fuerint valde uſitatæ: proin ſubitum terrorem incuſſerint hoſtibus.

11 In loco prope Miſnam. Act. SS. 16. Junii in Comment. prævio fol. 149.

12 Campanula S. WOLFGANGI ſuſpenſa eſt ex turri Templi Collegii Societatis JESU Ratisbonæ.

13 Concilium COLON. ann. 1536. part. 9. c. 15.

14 GRILLANDUS de Sortilegiis quæſt. 7. DELRIO Diſquiſit. Magic. L. II. q. 16. & Lib. VI. c. 2. Sect. 3 q. 3. BINSFELD de Confeſſ. maleficor. dub. 6. fol. 343. & Fabricatores *Mallei maleficarum*.

15 Can. 12. XXVI. q. 5. PONZINIBIUS de Lamiis a n. 45. recentiſſime TARTAROTTUS, SCIPIO MAFFEI, & Auctor libellorum, qui inſcribuntur: L'Hiſtoire des Imaginations Extravagantes de M. Ouſle.

(a) *Congregandum Clerum*. (b) *Preces pro Defunctis fundendas*. (c) *Tempeſtates repellendas*.

qui grandinem & tonitrua paſſim adſcribunt incantationibus hominum: *Mendacii reus eſt, qui opus divinum homini tribuit: nam per hoc inter duo mortifera maximaque mendacia conſtringitur, dum teſtificatur hominem facere poſſe quod ſolius DEI eſt poſſe; & DEUM non facere, quæ facit* [1].

(*a*) §. 9. VI. *Feſtaque honoro*. Ad hunc finem in multis locis pulſantur Campanæ harmoniaco ſonitu [2], vel ingenti & longo ſtrepitu ad horas nocturnas æque, ac diurnas, majore plerumque moleſtia vicinorum, quam Dei Sanctorumve honore [3]. Cavendum etiam ſummopere, ne quid ſuperſtitioſi interveniat [4]. Moderatum tamen Campanarum concentum celebritati Feſtorum eſſe opportunum, docent innumeri miri eventus, ubi Campanæ ſponte ſua, vel potius nutu Divino ſonum ediderunt [5]. Similiter in ſignum gaudii & honoris fit ejuſmodi pulſus, quando occurritur adventanti Pontifici, Epiſcopo, Imperatori, Regi aut Principi [6].

(*b*) §. 10. Officium pulſandi Campanas Cuſtodi competit [7]. Cum autem Cuſtos id facere per alios permittatur, Oſtiariis hoc munus tribuitur, quibus dicit Pontifex: *Oſtiarium decet percutere cymbalum & campanam*; & Archidiaconus tradit eis funem campanarum, quas pulſant [8].

(*c*) 11. Poſtquam locuti ſumus de Campanis, quæ ſono ſuo populum ad Eccleſiam convocant: nonnulla dicenda videntur de Cantu & Inſtrumentis Muſicis, quorum concentu populus in Eccleſia ſuaviter detinetur.

(*d*) §. 12. Sanctiſſimam eſſe conſuetudinem, qua ad Horas Canonicas & Miſſarum celebritates Cantus & Pſalmodia in Eccleſiis adhibetur, a nemine in dubium vocari poteſt. Uſum naſcentis Eccleſiæ in Oriente & Occidente demonſtrant plurima veterum Scriptorum monumenta [9]. Unde Concilium TRIDENTINUM [10], inter Eccleſiaſticas diſciplinas, in quibus adoleſcentes in Seminariis erudiri cupit, etiam *Cantum* recenſent, illum *planum* ſcilicet qui ad excitandam Fidelium devotionem & at-

---

1 AGOBARDUS Epiſcop. Lugdun. in lib. contra inſulſam vulgi opinionem de grandine & tonitruis, inter opera fol. 138. &c. Acerbius vanam credulitatem Chriſtianis exprobrat WIERUS de præſtigiis dæmonum. item in Libro Apologetico.

2 Ejuſmodi machinas exhibet allegatus MAGIUS & ROCCHA. In Notis ad Magii cap. 17. ponit SHCEERTIUS figuram machinæ, ubi campanæ trigintæ tres organi ſonum reddunt.

3 Unde ex BARBOSA cit. vot. 102. n. 88. concludit, prohiberi poſſe aſſiduum, & intempeſtivum Nolarum ſonitum. Idem ſentit ALCIATUS Parergon Juris Lib. VIII. c. 11. Ad hoc efficiendum non opus eſſet miraculo, quale edidit S. ELIGIUS, dum mutam fecit campanam, ut nullum ſonum ederet. SURIUS in Vita Lib. II. c. 21. ad diem 1. Decembris. Laudanda tamen non eſt Civitas Burdigalenſis, quæ ob rebellionem privata fuerat Campanis, ut narrat P. DANIEL Hiſt. Franc. ſub Henrico II. ad ann. 1548. quando autem campanæ debuiſſent reſtitui, populus ſe oppoſuit, ne quis turbetur importuno earum ſonitu. Dictionnaire de Trevoux V. Cloche.

4 Non ſine Faſtidio alicubi pridie cujuſdam feſti toto pomeridiano tempore audivi interpolatos Campanæ ictus cum Incolis ſit perſuaſum, dentium dolore per eum annum carituros, qui funem Campanæ eo die dentibus attraxerint.

5 Fere in ſingulis tomis Hagiographorum Antverpienſium occurrunt tales narrationes. Videantur eorum Indices Morales Verb. *Campana*.

6 ERMENOLDUS Abbas Pruveningenſis credebatur inter campanarum clangores obviam proceſſurus HENRICO V. Imperatori, ex Civitate Ratisbonenſi ad Monaſterium inviſenti. Negavit Abbas ſe id permiſſurum, cum HENRICUS eſſet excommunicatus. Acta Sanctorum ad diem 6. Januarii.

7 C. 1. & 2. de Offic. Cuſtod.

8 Pontificale Romanum de Ordinat. Oſtiarior.

9 Vid. BARONIUS ad Ann. Chr. 60. n. 24. & ſeqq. BELLARMIN. Tom. 4. Controv. de Bonis Operib. in particulari. Lib. I. c. 16. SUAREZ tom. 2. de Relig. Tr. 4. Lib. IV. c. 7. P. MAGNOALDUS ZIEGELBAUR Hiſt. Rei Liter. Ord. S. Bened. part. 2. c. 3. ſect. 6. & part. 4. c. 3. ſect. 3. §. 5. BEVEREGIUS annot. ad Can. 15. Concil. Laodiceni pag. 194.

10 Seſſ. 23. c. 18. de Reform.

(a) *Feſta Sanctorum honoranda*. (b) *Eas pulſat Cuſtos per Oſtiarium*. (c) *Cantus*.
(d) *In Eccleſiis*.

Digitized by Google

& attentionem, modeſta pſallentium gravitate prolatus, nomen *Cantus Eccleſiaſtici* dudum promeruit.

§. 13. Quam diverſam Muſicæ (*a*) rationem poſterior ætas in Eccleſias introduxerit, norunt omnes: illi ſoli non ſatis videntur perpendere, qui in componendis hodiernis modulis ſunt exercitatiſſimi; cum plerumque Cantus Eccleſiaſtici artem plane ignorent. Ab antiquis obſervatum eſſe, notat Cardinalis BONA [1] nunquam ab aliqua Gente mutatam fuiſſe Muſicam, quin & ipſa in deterius mutata, ipſique mutantium mores in pejora delapſi ſint. Apud antiquiores Græcos tota Muſicæ ſcientia Deorum venerarioni, adoleſcentumque inſtitutioni impenſa fuit [2]: etiam apud Hebræos Inſtrumentorum Muſicorum ſonus & Cantus, non in theatris, ſed in Templo audiebatur [3]. Poſtmodum laſcivire Muſica in theatris didicit: ac demum theatralem laſciviam ad Sacra Myſteria ſolemnius celebranda in Eccleſias tranſtulit. Tam vocum, quam Inſtrumentorum rationem habere oportet.

(*b*) §. 14. Cantum *figuratum & harmonicum* quod attinet, non ille quidem prohibetur, *quin interdum, diebus feſtis præcipue ſive ſolemnibus in Miſſis & Divinis Officiis aliquæ conſonantiæ, quæ melodiam ſapiunt, ſupra Cantum Eccleſiaſticum ſimplicem proferantur: ſic tamen, ut ipſius Cantus integritas illibata permaneat, & nihil ex hoc de bene morata Muſica immutetur; maxime cum hujuſmodi conſonantiæ auditum demulceant, devotionem provocent, & pſallentium Deo animos torpere non ſinant* [4]. Nimis tamen affectatæ & Theatrum redolentes modulationes, uti & fractæ molleſque Eunuchorum aut Fæminarum voces, quibus devotio impeditur, verba ſanctiſſima vel truncantur, vel inepta repetitione riſui exponuntur, animuſque ad profanas affectiones excitatur, merito ab Eccleſiis exulare jubentur. Jam ſeculo duodecimo JOANNES *Saleſberienſis*, Carnotenſis Epiſcopus [5] conqueritur de abuſu Muſicæ, quæ *ipſum quoque cultum Religionis inceſtat*: dum Cantores *ante conſpectum Domini in ipſis penetralibus Sanctuarii, laſcivientis vocis luxu, quadam oſtentatione ſui, muliebribus modis, notularum articulorumque cæſuris, ſtupentes animulas emollire nituntur*. Unde Concilium TRIDENTINUM [6] jubet, ut Epiſcopi *ab Eccleſiis muſicas eas, ubi ſive organo, ſive cantu laſcivum aut impurum aliquid miſcetur, arceant*. Quibus verbis non tam cantiones laſcivas, quas utique nemo in templis decantare audebit, quam eos modulos averſatur Synodus, qui ad impuras cantilenas vulgo accommodantur [7].

15. Inſtrumenta Muſica (*c*) omnes Veteris Teſtamenti libri memorant, quorum ſonitu laudes DEO cantabantur; Spiritus malus a SAULE recedebat; Spiritus bonus ELISEUM replebat. Deum enim, quod *voces pie cantantium, & ſonos religioſe organizantium benigne ſuſciperet, & inter alia Divina obſequia, hæc quoque devote exhibita approbaret, tantorum Prophetarum tam ſublimibus exemplis voluit indicare* [8]. Præcipuum uſum hac ætate in templis habet Organum: quo quidem nomine comprehenduntur omnia vaſa Muſica [9]: ſingulariter autem venit Inſtrumentum pneumaticum, quod aere follibus immiſſo animatur. Inventum creditur circa tempora JULIANI Imperatoris, cui adſcribi ſolet Epigramma non inelegans *de Organo*. [10] Ejus uſus in Galliam

1 De Divin. Pſalmod. c. 17. §. 3. n. 3.

2 PLUTARCHUS Dialog. de Muſica.

3 CALMET Diſſert. de Muſic. Hebræor.

4 Extrav. un. inter Commun. de Vita & Honeſt. Cleric. NAVARRUS Enchirid. de Orat. c. 16.

5 Lib. I. Policratici de Nugis Curialium, c. 6.

6 Seſs. 22. Decret. de Celebrat. Miſſæ.

7 Sic Concil. CAMERACENS. ann. 1565. tit. 6. c. 4. *Ne modulatione laſcivas cantiones imitentur*.

8 PETRUS *Cluniacenſis* dictus *Venerabilis* tr. adverſus Petrobruſian. §. ult. tom. 22. Biblioth. SS. PP. item in Biblioth. Cluniacenſi col. 1229.

9 S. ISIDORUS lib. 3. Origin.

10 Refert illud PETRUS MARTINIUS *Morentinus* in Præfat. ad ejuſdem Imperatoris opera.

(a) *Vehementer mutatus eſt.* (b) *Non prohibetur figuratus cum debitis cautelis.*

(c) *Inſtrumenta muſica.*

liam introductus eſt ſub Rege PIPINO, cui CONSTANTINUS *Copronymus* dono miſerat [1]. Serius in Eccleſiis Occidentis, nunquam in Eccleſiis Orientis ejuſmodi Inſtrumenta muſica fuerunt adhibita. VITALIANUS quidem Pontifex ſcribitur [2]. Cantum ordinaſſe, adhibitis ad conſonantiam Organis: ſed abſque fundamento id ſcribitur. Certe in Pontificia Capella Romæ, uſque ad præſentem diem nullus Organorum muſicorum uſus, ſed ſola vocum Muſica, eaque gravis cum plano cantu admittitur. Alii poſt tempora demum S. THOMÆ Aquinatis id factum credunt ſæculo XIII. [3]; cum Sanctus hic Doctor dicat: *Inſtrumenta muſica non aſſumit Eccleſia in divinas laudes, ne videatur Judaizare* [4]. Verum S. Thomas loqui cenſendus eſt de Eccleſiis ſibi notis in Italia: nam uſum hunc jam prius viguiſſe in Anglia & Gallia, deſumitur ex ÆLREDO *Rievallenſi* in Anglia, & ſupra laudato PETRO *Cluniacenſi* in Gallia, quorum uterque floruit & ſcripſit circa medium Sæculi XII. Imo ex documentis Sæculi X. colligitur, Organi uſum jam illa ætate fuiſſe in quibuſdam Angliæ Monaſteriis [5].

16. Ut Laudes Divinæ his (*a*) Inſtrumentis celebrentur, eleganti carmine hortatur Chriſtianus Poeta Prudentius [6]: Ne autem in templis ad Divina Officia celebranda adhibeantur, plurimi ſemper obſtiterunt. Sæculo VIII. GUTBERCTUS Abbas, diſcipulus BEDÆ a LULLO Archiepiſcopo Moguntino, S. BONIFACII ſucceſſore, rogat ſibi mitti *CITHARISTAM*, cum Citharam haberet, & artificem non haberet [7]. Utique Abbas hic Citharæ uſum non voluit adhibere ad celebritatem menſæ ſuæ, ſed potius ad ſolemnitatem Divini Officii in templo. Eodem autem Sæculo Concilium CLOVESHOVIENSE [8]. Cithariſtas e Monaſteriis ejici jubet. S. JUSTINUS (vel quiſquis eſt Auctor quæſtionum a Gentibus propoſitarum) multis laudibus extollit Cantum; Inſtrumenta autem Muſica e templis ſublata dicit [9], ea etiam ex ratione, ut Fideles magis recederent a Gentilium ac Judæorum ritibus: uſus enim horum Inſtrumentorum malus non eſt; facile tamen in abuſum degenerat, quod Sæculo XII. deplorabant, & nunc deplorant multi. Ex laudati ÆLREDI cultiſſima Oratione hæc pauca depromo [10]: *Ad quid, rogo, terribilis ille follium flatus* [11] *tonitrui potius fragorem, quam vocis exprimens ſuavitatem? ad quid illa vocis contractio & infractio? ... & hæc ridiculoſa diſſolutio vocatur Religio; & ubi hæc frequentius agitantur, ibi DEO honorabilius ſerviri clamatur. Stans interea vulgus ſonitum follium, crepitum cymbalorum, harmoniam fiſtularum, tremens attonituſque miratur* &c. Ad convivia veterum adhibebatur muſica, ut animum a cibis averteret, & ſua concinnitate calorem vini temperaret [12]. Hodierna Muſica in Divinis Officiis adhiberi videtur, ut animus fidelium a Divinis abſtrahatur, & fervor pietatis concinnis modulis tepefiat.

17. Ze-

1 Annales Francorum ſub nomine ADELMI ad ann. 757.

2 PLATINA de Vitis Pontif. in vita Vitaliani.

3 Sic ſentit etiam BINGHAM Orig. Eccl. vol. 3. l. 8. c. 7. §. 14.

4 2. 2. q. 91. art. 2.

5 Vid. Hiſtor. Liter. Ord. S. Bened. cit. part. 2. S. WICTERPUS jam ſæculo VIII. organum pro temporum conditione ſatis elegans in nova Baſilica B. Virginis Mariæ fieri procuraſſe ſcribitur ab aliquo, quod tamen ex quo fonte hauſerit, ignorare ſe fatetur *Carol. Stengelius* Rer. Auguſt. p. 2. c. 5. n. 10.

6 Adverſus Judæos.

7 Epiſtola hæc a *Serario* refertur inter Bonifacianas n. 89.

8 Celebratum anno 747. Can. 20.

9 Quæſt. 107.

10 Specul. Charit. l. II. c. 23. in Bibl. SS. PP. tom. 23.

11 Eo tempore non videntur organa fuiſſe ſatis temperata. In Hiſt. Lit. Ord. S. Bened. p. 2. pag. 341. ſæculo X. refertur organum trigiota follibus inſtructum, quos ſeptuaginta viri agitabant.

12 *Plutarch.* de Muſica circa fin.

(a) *Non improbantur.*

(*a*) 17. Zelus multorum Epiſcoporum & Synodorum [1] remedium huic malo afferre conatus eſt: MARCELLUS II. Pontifex muſica Inſtrumenta ab Eccleſiis removere conſtituerat: Patres Concilii Tridentini egerunt de molliore harmonia in templis interdicenda; Imperator tamen FERDINANDUS optavit, ne cantio, quam figuratam appellant, excluderetur, cum ſæpe ſenſum pietatis excitet [2]: unde Decretum moderari placuit ad formam quæ habetur *Seſſ. 22. in Decreto de obſerv. in celebr. Miſſ.* [3]. Plurimis tamen in locis nihil effectum erat contra illos, *qui DEI chorum omni phonaſcorum ſyntagmate, vocum omnis generis diſcrimine, imo & tubarum clangore, cornutorum ſtridore, alioque ſtrepitu vario, præclare gloriantur impleſſe, ne quid prætermittere videantur, quod cantici verba obſcuret, ſenſumque ſepeliat & adobruat* [4]. Noviſſime BENEDICTUS XIV. pro ſuo Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudio, occaſione Anni Sancti ad Epiſcopos per ditionem Eccleſiaſticam conſtitutos, Epiſtolam Encyclicam dedit, profunda eruditione & documentis ſaluberrimis refertam pro Muſica in templis rite ordinanda [5]. Ex hac Epiſtola & aliis Eccleſiaſticis Libris pauca documenta delibare lubet.

(*b*) 18. I. Ubi retinetur Cantus planus & firmus, curandum eſt, ut *in Choro ad pſallendum inſtituto, hymnis, & Canticis DEI nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudetur* [6]. *Nec prius pſalmi verſiculum una pars chori incipiat, quam ex altera præcedens pſalmi verſiculus finiatur* [7], ut fidelium animi ad devotionem & pietatem excitentur.

§. 19. II. Ubi Cantus figurati & muſicorum Inſtrumentorum uſus receptus eſt, maxime cavendum, ne ipſius Muſicæ ſonus, quid theatrale, aut impudicos amorum, bellorumve claſſicos modulos referens, in DEI laudibus decantandis imitetur [8].

§. 20. III. *Caveant Epiſcopi, ne dum in Chorum, muſicorum modulos vocum omnis generis diſcrimine confuſos admittunt, pſalmorum & aliorum quæ cantari ſolent, verba obſcurentur, ac ſimul ſtrepitu incondito ſenſu ſepeliatur: ſic muſicam, quæ organica dicitur, retineant, ut eorum quæ cantantur verba & intelligi poſſint, & potius pronuntiatione, quam curioſis modulis audientium animi divinis laudibus afficiantur* [9].

21. IV. *In Divinis laudibus, aut omnino in Eccleſiis, nec profana cantica, ſonive, nec in Sacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppreſſæ, quam ore expreſſæ aut denique laſciva ulla canendi ratio adhibeatur* [10]. *Neque puellarum cantica in Eccleſiis exerceantur* [11].

22. V. Inter Divina Officia, & quo tempore publicæ Fidelium venerationi in Eccleſiis Sacramentum Euchariſtiæ expoſitum eſt, nulla alia carmina ſeu verba cantentur, niſi deſumpta ex Breviario vel Miſſali Romano; vel quæ ſaltem a SS. Scriptura aut SS. Patribus deſumpta ſint [12].

§. 23. VI. Quæ in Miſſis ad doctrinam & eru-

1 Synod. *Cameracens.* 1565. tit. 6. c. 3 & 4. *Mechlinienſ.* 1570. tit. de Offic. & Cult. Div. c. 10. Item ann. 1607. tit. 12. c. 7. Conc. Rom. 1725. tit. 15. c. 6.

2 *Pallavicin.* Hiſt. Conc. Trid. p. 3. l. 22. c. 5. n. 15.

3 In Hiſt. Lit. Ord. S. Bened. part. 2. p. 345. Patres Concilii mentem mutaſſe dicuntur auditis ſuaviſſimis modulis Joannis Petri Aloyſii Præneſtini. Hujus Magiſtri Capellæ Vaticanæ modulis, mentem *Marcelli II.* mutatam fuiſſe refert *Benedictus XIV.* Bullar. tom. 3. Conſt. 3. §. 5. Miſſi ſcilicet fuerint Roma Tridentum, ut idem operarentur in Tridentinis Patribus, quod ante ſeptennium effecerant in Marcello Pontifice. Credo, quod majorem efficaciam habuerit voluntas Imperatoris, quam ars Petri Aloyſii.

4 Verba hæc ſunt *VVilhelmi Lindani* Panopl. Evang. p. 1. lib. IV. c. 78.

5 Bullar. tom. 3. Conſt. 3.

6 Conc. Trid. Seſs. XXIV. c. 12. de Reform.

7 Conc. Salmurienſe ann. 1253. c. 1.

8 Conc. Tolet. ann. 1566. act. 3. c. 11.

9 Idem loc. cit.

10 Concil. Mediolan. I. 1565. part. 2. n. 51.

11 Conc. Antiſiodor. circa ann. 578. c. 9.

12 *Alexander VII.* Conſt. *Pia ſollicitudinis* 36. ann. 1657. *Innocentius XII.* die 20. Auguſt. 1692. in Bullar. n 88. tom. 7. Edit. Luxenburg.

(a) *Sed eorum abuſus in templis.* (b) *Documenta pro Muſicæ uſu in Eccleſiis.*

& eruditionem fidelium pertinent, ut Epiſtola, Evangelium, Symbolum, ita legantur aut canantur, ut præſentes diſtincte exaudire ſingula verba poſſint: quæ vero ad laudes pertinent, ut ſunt Hymni, *Gloria in Excelſis*, *Sanctus*: in his muſica locum habeat, non tamen choreis potius, quam choro congruens; ſed gravis, ac movens pios affectus: quæ vero ad preces referuntur, ea ſive legantur, ſive canantur, ſic fiant, ut affectus deprecantis potius, quam exultantis lætitia demonſtretur [1].

24. VII. Indecens eſt, ut in ſolemnibus Officiis ob cantorum aut organorum prolixos concentus, omittantur, aut neque a Choro, neque a Sacerdote alta voce dicantur ea, quæ ſunt præcipua: cujus generis ſunt Symbolum, Sanctus, Precatio Dominica, Agnus Dei [2].

§. 25. VIII. Ubi muſicorum Inſtrumentorum uſus permittitur, cenſuerunt illuſtres artis muſicæ Magiſtri a BENEDICTO XIV. conſulti, ea tantum inſtrumenta adhibenda eſſe, quæ inſerviunt ad corroborandas, ſuſtinendaſque cantantium voces, uti præter organum eſt Barbiton tetrachordon majus & minus (*Violon*, *Violoncello*,) Monaulon pneumaticum (*fagot*), Lyræ tetrachordes (*Violini*), in quibus tamen non edantur modi adeo acuti, ut puerilem potius hilaritatem, quam gravem erga Sacra Myſteria venerationem, animorumque intentionem excitent: eliminata autem e Templis voluerunt Tympana, Cornua venatoria, Tubas, Tibias & Fiſtulas (Hautsbois, Flutes).

26. IX. Dicta inſtrumenta ita adhibenda ſunt, ut vis quædam verborum cantui adjiciatur, magiſque audientium mentibus, eorum ſenſus inſtigatur, nequaquam autem voces cantantium opprimantur: neque ita continenter perſonent, ut ſolum per momenta aliqua interquieſcant, quo liberum ſpatium præbeant audiendis harmonicis modulationibus, vocumque ctiſpatarum vibrationibus (vulgo Triller).

27. X. Tolerari etiam poſſunt Symphoniæ ſine ullo cantu Divinis Officiis intermixtæ, dummodo graves ſint, & earum prolixitate tædium non afferatur iis, qui vel inſerviunt, vel adſtant Miſſis [3].

§. 28. XI. Si in Hymnis, Pſalmis & Canticis, ſuis vicibus organo canatur, omnes tamen eorum verſiculi in Choro diſtincte pronuntientur [4].

§. 29. XII. In Miſſis Defunctorum, diebuſque Adventus & Quadrageſimæ, Feſtis duntaxat exceptis, Organa non pulſentur, nec aliud quodvis inſtrumentum adhibeatur. Dominica autem Adventus tertia dicta *Gaudete*, & Quadrageſimæ quarta, nuncupata *Lætare*. pulſari Organa permittuntur in Miſſa tantummodo Conventuali [5].

§. 30. Finem imponat CLEMENS *Alexandrinus* & ejus Commentator. CLEMENS quidem [6] vehementer invehitur in molles & enervatas harmonias: ſimulque in ſenſu tropologico explicat verba Pſalmorum, quibus Deum laudare jubemur in Pſalterio & tympano & tubis bene ſonantibus. GENTIANUS HERVETUS autem in Commentario addit hæc verba: *Sed quid agas cum tales ſint hodie mores, talia tempora, ut ea ſint potius toleranda, quam tollenda, ne graviora accidant*.

P. EM-

1 Conc. Camerac. ann. 1565. tit. 6. c. 3.
2 Conc. Colon. 1536. part. 2. c. 12.
3 *Suarez* loc. cit. c. 13. n. 17.
4 Conc. Mediol. cit. loc.
5 *Benedictus XIII.* in Conc. Rom. tit. XV. c. 6.
6 Lib. 2. Pædagogi, c. 4.

Digitized by Google

P. EMMANUELIS DE AZEVEDO S. J.

De vetere recitandi Officii Divini ratione.

DISSERTATIO V.

I. MOrem, quo antiquitus Fideles Deo ſtantes orationes ſuas fundebant, aperte innuit Chriſtus *Marc. II. Cum ſtabitis ad orandum*. Ac quidem *Geneſ.* XVIII. Abrahamus orans, *ſtabat coram Domino*: poſt Templi vero ædificationem *ſtetit omnis populus* Deum precans, unde Levitarum vox: *Surgite, benedicite Dominum*. Salomon tamen: *Flexis genibus, & palmis in cœlum extenſis* ad exemplum Moſis; ſicuti Eſdras, Daniel, & Elias Deum invocabant. Ita, & in Lege nova Phariſæus Deum ſtans exorat; S. etiam Paulus *poſitis genibus* illum *adoravit*. Quin Chriſtus ipſe in Olivarum horto Patrem vultu ad terram converſo exorabat. Hinc primævi Chriſtiani flexis genibus ſuas Deo preces tependebant: *Die* tamen *Dominico* excepto, inquit Tertullianus, *quo de geniculis adorare nefas ducibus*. Quapropter idem Tertullianus Chriſtianorum imperterritam fortitudinem ex habitu inter orandum demonſtrat: *Paratus eſt ad omne ſupplicium ipſe habitus orantis Chriſtiani*. Concinunt ei ceteri Patres, quos inter S. Hieronymus *ad Lætam* ſcribens ipſam hortatur, ut filiam ſuam recitandis noctu pſalmis aſſueſaciat *ſtantem in acie quaſi bellatricem Chriſti*; S. Joannes Climacus tradens *grad.* 14. *Si quis orat, Deo ſe aſſiſtere exiſtimat, ut columna immobilis perſtabit*. Rationem affert laudatus Tertullianus *de Orat. cap.* 12. nimirum, quod parum eos revereri videamur, quibus a nobis honor debetur, ſi coram illis ſedeamus. Deo autem, & ipſi Angeli aſſurgunt. Quocirca priſcis temporibus, & Clerici, & Monachi, & Laici nec ſedentes, nec genibus flexis, ſed ſtantes Officium peragebant. Cum itaque Caſſianus refert, Monachos Officii tempore ſediſſe, eas deſignat, qui non canebant, canentem vero duntaxat audiebant. Namque de Monachis Neocæſarienſibus, qui pſalmos ſimul decantabant, teſtatur S. Baſilius *epiſt.* 63. eos a *contemplatione ſurgentes ad pſalmodiam inſtitui*: haud ſecus S. Chryſoſtomus *homil.* 14. *in Tim.* de Monachis Syriæ: *Aſtant ſacro choro, expanſiſque manibus concinunt hymnos*. Illi adſtipulatur Theodemarus Monaſterii Caſſinatis Abbas *Epiſtola ſua ad Theodoricum*, quam legeſis apud Paulum diaconum; *ſicut, & alia quæ a majoribus inſtituta ſervamus, nudato, exceptis infirmis, capite ad Officium ſtamus, flectimus cervicem, quoties gloria canitur*: Subinde Canonici baculis innixi ad Officium ſe contulere, quibus Chrodegangus *Reg. c.* 7. *Niſi cogente infirmitate, baculos in manibus non teneant*, mandat: Concilium autem Aquiſgranenſe: *nec cum baculis in choro, exceptis debilibus, ſed religioſiſſime illic ſtandum eſt, & pſallendum*.

II. Presbyteri tamen circa Altare cum Epiſcopo ſedilia habebant longe ante tempora S. Hieronymi, qui *epiſt.* 85. *cap.* 5. refert Diaconos Romæ dumtaxat haud ita dudum cum Presbyteris, abſente Epiſcopo, aſſidere cæpiſſe: quod vetat Concilium Laodicenum. Unde elapſo ſæculo tertio eminentiorem Presbyterorum loco ſibi in Eccleſia ſedem conſtituerunt Epiſcopi. Fatendum nihilominus receptum ſemper fuiſſe morem, ut nec Laici, nec Clerici Divini Officii tempore ſederent, niſi ad nocturnas Lectiones: immo vero neque Clericis podio inniti licuiſſe aſſerit Petrus Damianus *opuſc.* 39. niſi grandi valetudinis incommodo laboraſſent. Quæ autem ſequioribus temporibus advecta ſunt fulcimenta a Græcis, *ſtadia* a *ſtando* illi appellant, quod fere ſemper ſtantes in Eccleſia Officium perſolvant. Latini vero *Stallum* a *ſtando* dicunt, quod qui ea ratione ſedent, aliquo pacto ſtent. Verum Stalla, quæ ſæculo XIII. pro Clero ubique ſtabant, & obtinebant, nondum Monaſteria ſubierant. Demum in Concilio Baſileenſi *ſeſſ.* 21. Sedentes Clerici pſallere permittuntur, ad *Gloria Patri* ſurgere, & ad *Jeſu* nomen caput ſubmittere jubentur? Hic tamen mos magis acceptus eſt referendus conſuetudini, quæ primum in Gallis, dein alibi viguit, quam Baſi-

leenſis Concilii auctoritati caſſæ, & futili, ſicut merito contendit Sedes Romana.

III. Cum igitur S. Joannes Damaſcenus hæreticorum numero accenſet eos, qui nonniſi ſtantes, orabant, unde *Agnoclites* vocantur, neutiquam aſſertionem noſtram convellit, verum ipſos impetit, qui uti notat S. Cæſarius Arelatenſis *hom.* 34. Diacono *genua eſſe flectenda* Monente, *velut columnæ erectæ ſtabant*. Pariter cum S. Optatus *lib.* 1. *cap.* 4. ait. *Populus in Eccleſia ſedendi non habet licentiam*, legitime quidem infertur, ex univerſa antiquitate Epiſcoporum, atque Presbyteros in Eccleſia ſediſse; nunquam vero populum; ſed hinc non evincitur Epiſcopum, & Presbyteros Divinum Officium decantantes Subſelliis fuiſſe uſos. Namque in vita *S. Victoris* Epiſcopi Cænominenſis dicitur S. Martinus *dediſſe baculum, ſeu ſuſtentaculum, ſuper quod Sacerdotes fuſis orationibus ſuſtentarentur*. Sacerdotes inquam ægrotantes; *ipſum autem S. Martinum nemo unquam ſedere conſpexit*. Hinc facillime liquet, quam damnandus ſit hodiernus uſus de quo jam conquerebatur Balſamon: *De Latinis audio, quod non ſolum viri Laici, ſed & mulieres in ſanctum ſæpe ingrediuntur, & ſedent, præſentibus iis, qui ſacrificant*. Quidam vero contra veterem Canonem a Reginone relatum *lib.* 1. *cap.* 180. *uno genu ſolo tenus impreſſo orare præſumunt ſicut Judæi irridentes Dominum feciſſe leguntur*.

IV. Is autem antiquitus in orando vigebat ritus, ut ad Orientem converſi orarent Fideles: *Omnes quidem*, ait S. Baſilius *lib. de Spiritu Sancto cap.* 27. inter *orandum Orientem aſpicimus, pauci autem ſcimus, quod antiquam patriam inquirimus, paradiſum, quem plantaverat Deus*. Aliam ſuppeditat rationem Germanus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus in *Theorica rerum Eccleſiaſt.* ajens: *Orientem verſus precari traditum eſt ab Apoſtolis Sanctis, propterea quod ſpiritualis Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter in terra apparuit in Orientis Solis ſenſibilibus partibus*. Demum S. Auguſtinus teſtis, & apologiſta hujus conſuetudinis ſic eam illuſtrat *lib.* 2. *de Serm. Domini in Monte cap.* 9. *Cum ad orationes ſtamus, ad Orientem convertimur, unde cælum ſurgit: non tamquam ibi ſit Deus, & quaſi ceteras Mundi partes deſerverit, qui ubique præſens eſt, non locorum ſpatiis, ſed Majeſtate potentiæ, ſed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem ſe convertere, ideſt, ad Dominum*, cum *ipſum corpus ejus, quod eſt terrenum, ad corpus excellentius ideſt cæleſte convertitur*.[1]

V. Porro tantus olim erat Chriſtianis ardor charitatis, ut quater noctu ſurgerent ad orationem, ſeu Divinum Officium recitandum: prima vigilia ad primum Nocturnum: ſecunda ad ſecundum: tertia ad tertium: quarta ad laudes. Quare primo, & ſecundo ſæculo nihil ſolemnius erat Ethnicis, quam uti referunt Juſtinus, & coevi Scriptores, calumniis promiſcui inceſtus, infanticidii, & idololatriæ Chriſtianos exagitare. Hoc tamen exemplum nedum ab Apoſtolis acceperant Chriſtiani, ſed & ab antiquis Patribus: David *media nocte ſurgebat ad confitendum Domino*, Iſaiæ *anima deſiderabat Deum in nocte*: hinc *noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum*. Quapropter S. Paulus, & Silas in vinculis detenti totam noctem orabant. Tertullianus *lib.* 2. *ad uxor.* eam monet: *cum per noctem exurgis oratum, ... meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe*. S. Hieronymus *ad Euſtochium* Virginem ſcribens ipſam edocet: *Noctibus bis, terque ſurgendum*, in Epiſtola vero *ad Sabinianum* teſtatur noctu totam Eccleſiam Hymnis, qui in Chriſti honorem decantantur, perſonare. Teſtis eſt alter locupletiſſimus S. Ambroſius ajens in *Pſalm.* 118. *ſimul ad orandum noctu nobis ſurgendum eſſe*; quarum quidem vigiliarum Mediolani fieri ſolitarum S. Auguſtinus in *Pſalm.* 118. expreſſe meminit; quocirca vel deceptus eſt, vel decipere nos voluit Auctor *ſerm. ad Fratres in Eremo* ſcribens, S. Monicam S. Ambroſio ſuaſiſſe, ut nocturnas vigilias aboleret, cum ex eodem S. Auguſtino compertum ſit Catholicos aſſidue Mediolani vigiliis Arianorum cauſa adeſſe ſolitos fuiſſe: quin ex Paulino Presbytero conſtat hoc tempore vigilias in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœpiſſe; atque ad Mediolanenſis Eccleſiæ exemplum a ceteris Occidentis Eccleſiis ſervatas fuiſſe. Namque idem S. Paulinus *in vita S. Martini*

1 Vide Caſalium *de Veter. Sacr. Chriſt. ritu. cap.* 3 & Ballerinios *not.* 8. *in Ser.* XXVII. *al.* XXVI. *S. Leonis.*

tini lib. 3. teſtatum facit morem hunc in univerſa Eccleſia fuiſſe receptum:

Vigil ocius omnis
Turba ad conſuetos pſalmos, modulamimina dulcia
Advolat, & Sanctis ſolatia quærit in Hymnis,
Quæ pellant ſegnes vulgato corpore ſomnos.

VI. Ac quidem Conſtantinopoli S. Chryſoſtomus ex Palladio: *Fideles Laicos exhortabatur vigiliis nocturnis in Eccleſia inſiſtere*; cum uti Sanctus Doctor ait *hom.* 26. *in Act. Eccleſia Dei mediis ſurgat noctibus.* In Africa vero ex Victore Vitenſi *lib.* 2. *jam ob celebritatem Feſtivitatis Hymni nocturni per totam Eccleſiam, canente populo concrepabant.*

VI. Morem tamen adeo ſanctum veterum Chriſtianorum Feſtis ſolemnibus, atque Dominicis per noctem ad orandum conveniendi, cum Imperatorum Ethnicorum metu nocturnos Conventus extra Urbem, atque in cœmeteriis habere cogerentur, impudenti temeritate damnarunt vigilantius, ideo *Dormitantius* a S. Hieronymo, qui eum confutat, dictus, Wicleff & recentiores Novatores, quibus nihil antiquius, quam teporem in Chriſtianorum animos invehere. Polidorus Virgilius *lib.* 6. *c.* 4. temerario auſu pronunciat nocturna ſacra ſemper fuiſſe damnata ob periculum impudicitiæ. Aſt ſupinum illius errorem invicte refellunt frequentes pernoctationes, vulgataque pietas primorum Chriſti cultorum, quos etiam utriuſque ſexus in Eccleſia noctu ſimul, & una conveniſſe Sancti Patres commemorant. Equidem diu poſt pacem Eccleſiæ reſtitutam Laicis penitus interdictæ fuerunt Vigiliæ, quæ a Chriſtianis ob neceſſitatem ſimul & pietatem fuerant inſtitutæ. Verum nihil mirari ſubeſt, quod ubi Eccleſiæ tranquillitas aſſerta fuit, hominum diſſolutorum mores liberius luxuriati incommoda in vigilias ſacras injecerint. Concilium Eleberitanum mulieribus eas frequentare vetuit, Altiſſiodorenſe poſtea omnibus Laicis: *Non licet .... nec pervigilias in Feſtivitatibus Sanctorum facere.* In eandem ſubinde conceſſere ſententiam plures Epiſcopi, variaque Concilia Provincialia, quod nimirum refrigeſcente charitate plurimi, iique ſceleſtiſſimi uſus in vigilias irrepſiſſent. Enimvero fuiſſe alicujus Summi Pontificis decreto ſublatas non liquet; & qui earum mentionem toties feciſſet S. Ambroſius, ſi Bonifacii I. juſſu exoleviſſent? Sola itaque Natalis Chriſti vigilia populis ad hæc tempora permittitur, quæ & Paſchatis tempore diu viguit, uti colligitur ex præfatione, quæ hodiedum Sabbato in anteceſſum abſolvi ſolet: *In hac potiſſimum nocte.* Ceteræ ſolemnibus diebus fieri ſolitæ vigiliæ fuere antiquatæ, nihilque præter jejuniorum conſuetudinem relictum. Unde cum hæc immutatio jam pridem, ſeu juxta quoſdam Auctores ſæculo ſexto contigerit, recentiores ſolemnitates, atque vel ipſius Corporis Chriſti feſtum nullas ſortitæ ſunt vigilias.

VII. Attamen Clerus noctis vigilias ſemper ſervavit; ita de ſe Gregorius Turonenſis *lib.* 3. *hiſt. cap.* 6. memoriæ proditum voluit: *Nos media nocte ſurgentes ad reddendas Domino gratias, ingreſſi ſumus explorare curſum.* Idem affirmat Fortunatus de S. Germano Pariſienſi Epiſcopo: *Ad nocturnas preces .... Eccleſiam quacumque aeris intemperie frequentabat vigiliis indefeſſus.* Quin Eccleſia Pariſienſis vigiliarum uſum ad annum 1358. conſtanter retinuit. *Tunc* autem *Canonici* poſt *Completorium*, inquit Nangiſii Continuator, *ſuas cantarunt celeriter matutinas, quas antea conſueverant hora noctis mediæ, ſignis ſolemniter pulſatis devotius perorare.* In Italia Ratherius Epiſcopus Veronenſis Clericos ſuos hortabatur: *Omni nocte ad Nocturnos ſurgite:* Leo IV. *in hom. ad Parochos: Omni: nocte ad nocturnas horas ſurgite, & curſum veſtrum horis certis decantate.* Ceterum potiſſima Monachorum pars etiamnum Matutinum Officium noctu abſolvit, & in pluribus Ordinariis Benedictinis præſcriptum eſt, ut Matutinum media nocte æſtivis Dominicis recitetur, quo Laudes Aurora exoriente, peragi poſſint.

P. EMMANUELIS DE AZEVEDO S. J.

De priſcis Chriſtianorum Conventibus.

DISSERTATIO VI.

I. EX iis, quæ diſſertatione ſuperiori prælibavimus facile intelligitur, qui primævis temporibus fuerint Chriſtianorum Conventus; Fidelium nempe in aliquem locum collectio ad orandum, ſeu Divinum Officium recitandum, & incruentum Sacrificium offerendum *Dominicis diebus*, inquit S. Juſtinus *apolog.* 2. *Chriſtianorum cœtus celebrantur: prælegitur ſtatim e Scripturis, quantum licet: poſt lectionem Epiſcopus exhortationem incipit, inde offerimus.* Namque tribus prioribus ſæculis furente perſecutionum rabie perraro, niſi Sacrificii cauſa, habebantur; unde Auctor *Conſtit. Apoſtolic.* ait *lib.* 8. *cap.* 34. *Quod ſi ad Eccleſiam prodire non licuerit propter infideles . . . . pſallat ſibi unuſquiſque, canat, oret, ſaltem duo ſimul, aut tres.* Olim itaque Chriſtiani nedum nocturnas vigilias, uti expoſuimus, ſed etiam diurnas ſtationes ſervabant, quippe qui diebus jejuniorum tota nocte vigilarent, & die ſequenti uſque ad Nonam, in quadrageſima autem uſque ad Veſperas in eadem Eccleſia ſine cibo, & potu perſeverarent orantes, & pſallentes. Unde apud Tertullianum *lib. de Jejuniis cap.* 10. *ſolvere ſtationem*, idem eſt, ac jejunium ſolvere. Hinc ſequiori ævo S. Gregorius certas urbis Eccleſias ſtationibus aſſignavit, & diebus quoque ſolemnioribus ſtationes fieri juſſit uſque ad Sextam. Verum hodiernis moribus ſublatæ ſunt, ſola jejunii abſtinentia permanente. Antiquitus tamen ſtationes a jejuniis neutiquam differebant: quamquam in illis multa præter jejunia fierent, cujuſmodi ſunt ad Eccleſiam convenire: in ea commorari uſque ad horam ſtatutam: preces fundere; contemplationi vacare; operibus pœnitentiæ corpus affligere; ac denique ſumere Euchariſtiam. Quando vero jejunium prorogabatur uſque ad Veſperam, ſicuti in Quadrageſima, tum aliud erat jejunium, aliud ſtatio, cum hæc hora Nona, jejunium ad Veſperam ſolveretur. In illis enim ſtationibus, quæ cum jejuniis conjunctæ erant, fas erat Fidelibus ſoluta ſtatione, ſeu ad Nonam cibum ſumere: Unde ea Tertullianus *eodem loci cap.* 13. *Semijejunia* vocat, ac ſi plenum jejunium ad ſolis occaſum foret producendum.

II. Cum autem ſævientibus Chriſtiani nominis perſecutoribus, quandoque nec Eccleſiam adire Fidelibus datum eſſet: hinc conſtare ex priſcis monumentis eos quotidie, ſtabilique ratione ad Eccleſiam oraturos iiſdem horis conveniſſe, nequaquam aſſerere audemus. Ait enim Auctor *Conſtitut. Apoſtolic. lib.* 8. *cap.* 34. *Quod ſi ad Eccleſiam prodire non licuerit propter infideles . . . . pſallat ſibi* unuſquiſque, canat, oret, ſaltem duo ſimul, aut tres. Teſtantur Acta Apoſtolorum eos perſeveraſſe unanimiter in oratione: hora Tertia, Sexta, & Nona, tempus infundendis Deo precibus impendiſſe: a S. Paulo Troade hominem concioni ſimul, & orationi adſtantem, qui e ſuperiori domus parte præceps fuerat datus, e morte eſſe excitatum. Quapropter ipſis Apoſtolorum temporibus noctu conveniendi ad orandum morem adſcribit S. Auguſtinus *epiſt.* 86. *ad Caſulanum. Poſt peractum diem Sabbati noctis initio fuerunt congregati, quæ utique nox jam ad diem Dominicum, hoc eſt ad unum Sabbati pertinebat, & ita eadem nocte fracturus panem, ſicut frangitur in Sacramento Corporis Chriſti, produxit ſermonem uſque ad medium noctis, ut poſt Sacramenta celebrata rurſus uſque ad diluculum alloquens congregatos, quoniam multum feſtinabat, ut luceſcente proficiſceretur Dominico die.* Credibile quoque eſt in Eccleſia naſcente, ſicuti & in Synagoga, varias precibus fuiſſe dicatas horas, unde tam frequens apud veteres Scriptores Eccleſiaſticos Mane, & Veſperi, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ mentio. Verum ob ingruentes Tyrannorum perſecutiones noctu Divina Officia perſolvere cogebantur Chriſtiani. Hinc Tertullianus *lib. de fuga in perſecutione: Si colligere interdiu* non potes; habes noctem. Suffragatur Prudentius *Hymno de Sancto Laurentio.*

Hunc eſſe veſtris Orgiis
Moremque & artem proditum eſt,

Li-

Libent ut auro Antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem,
Auroque nocturnis ſacris
Adſtare fixos cereos.

Quamobrem Plinius *lib.* 10. *epiſt.* 97. *ad Trajanum* ſcribebat: *Quod Chriſtiani ſoliti eſſent ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem*. Hinc paſſi in primæva hiſtoria cœtus *antelucani*, & Chriſtianorum natio *latebroſa*, & *Lucifuga*. Equidem Conſtitutiones Apoſtolicæ hortantur ad orandum Mane, & Veſpere, hora Tertia, Sexta, & Nona: verum id publice, an domi fieret, non liquet. Eadem tempora præſcribunt S. Baſilius, S. Hieronymus, Caſſianus, S. Benedictus, S. Cæſarius, aliique Regularum Auctores; ſed Monachis tantum, atque Religioſis Mulieribus. Cum vero S.Chryſoſtomus *in Pſal.* 118.ait: *Optimi quique viri, ac pietate præditi ſtationem ad Deum ſepties faciunt*, de religioſiſſimis tantum Chriſtianis ſermonem habet. S. Cyprianus trium puerorum in fornace tribus diverſis temporibus orantium afferens exemplum, expreſſis verbis adnotat hunc juſtorum fuiſſe morem; at id publice a Clero ſingulis diebus ſervatum fuiſſe alto premit ſilentio.

III. Pace tandem Eccleſiæ reddita, certa hora rei Divinæ celebrationi fuit aſſignata; diverſa tamen pro dierum, temporumque diverſitate. Cum enim hiſce temporibus Presbyteri, & Clerici ob graves tantummodo Eccleſiæ neceſſitates ordinarentur, nulli proinde ad cantandas Deo laudes extra Sacrificii tempus fuere deſtinati; adeoque nec Fideles extra illud idem tempus Divino interérant Officio. Nec quidquam faceſſit negotii, quod refert Socrates *lib.* 14. *cap.* 18. de Eccleſia quadam Edeſſena S. Thomæ dicata; *in qua collectæ ſine intermiſſione celebrabantur*. Namque ea loquendi ratio vel quotidianos duntaxat Conventus ad Sacrificium innuit, vel perpetuam pſalmodiam, officiumque Divinum nullo intervallo a Monachis celebratum, quo modo Conſtantinopoli Monachi Acœmetæ fallere ſolebant, qui *non dormientes* appellati fuere, quod ſingulis horis cantus in Dei laudem proſequerentur; diſtributique in varias claſſes ſibi diu, noctuque invicem ſuccederent. Sed nullo modo evincit Canonicum officium a Clero in Eccleſia fuiſſe abſolutum. Teſtatur tamen Gregorius Turonenſis *lib.* 10. *Hiſt.* Injurium Epiſcopum ſæculo ſexto, Tertiam & Sextam in urbe Clero decantandas inſtituiſſe. Id ipſum Arelate factum tradit apud Cyprian. vita S. Cæſarii, *qui inſtituit, ut quotidie Tertiæ, Sextæ, & Nonæ opus in S. Stephani Baſilica Clerici cum hymnis cantarent. Verum* in Eccleſia Verodunenſi ſæculo ſeptimo extranei Presbyteri illuc advocati Miſſam, vel Divina Officia celebrabant; acceptaque mercede domum revertebantur. In Altiſſiodorenſi autem ſæculo proxime ſequenti Monachi ex Urbis, atque adjacentis agri Monaſteriis adſciti ſingulis hebdomadis officium peragebant. Quare Sidonius Apollinaris ait *Epiſt.* 17. *Cultu peracto vigiliarum, quas alternante dulcedine Monachi, Clericique pſalmicines concelebraverant, quiſque in diverſa ſucceſſimus, præſto ad Tertiam profuturi cum Sacerdotibus ad res Divinas faciendas.*

IV. Romæ ex Amalario nulla Eccleſia ante nonum ſæculum, præter S. Petri, officia recitabat; quod ita tamen non eſt intelligendum, ut ante id temporis officium quotidie Romæ non fuerit abſolutum; cum S. Benedictus edicat in ſua Regula: *Canticum unumquodque die ſuo ex Prophetis, ſicut pſallit Eccleſia Romana*. Præterea Pelagius Summus Pontifex Monachos Caſſinates in Eccleſia Lateranenſi ad officia celebranda conſtituerat [1]; & S. Gregorius *lib.* 2. *Dialog.* ait *plura ſe ſingularia de S. Benedicti vita a Valentiniano accepiſſe*: qui annis multis Lateranenſi Monaſterio præfuit. Monachi igitur erant, qui in Lateranenſi Eccleſia Officium peragebant. Subinde Gregorius III. in Eccleſia S. Chryſogoni Monachorum cœtum inſtituit, ut quotidie officia peragerent, *inſtar officiorum Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli*: pergit in ejus vita Anaſtaſius Bibliothecarius: *Congregationem Monachorum conſtituit ad perſolvenda*

---

1 De Monachis Lateranenſibus fuſe agit docti ſſimus Antonellius *Præf. in Vetus Miſſale Romanum p.* xx. *ſeq.*

da quotidie ſacra officia laudis Divinæ in Baſilica Salvatoris, quæ Conſtantiniana nuncupatur, juxta Lateranos, diurnis, *nocturniſque temporibus ordinata inſtar Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli*. In Eccleſia autem S. Petri Monachi Officium divinum exſolvebant, qui in quatuor urbis Monaſteriis degebant, S. Martini videlicet, S. Stephani Minoris, S. Stephani Majoris, & SS. Johannis, & Pauli. Cæterum quoad rurales Parochias tradit Concilium Epaonenſe appetente ſexto ſæculo celebratum Clericos e vicinis locis convocari ſolitos ad officia ſacro Patroni die recitanda: *Sanctorum Reliquiæ in oratoriis villaribus non ponantur, niſi vicinos Clericos eſſe contingat, qui ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur*.

AD CAPUT V.

FR. THOMÆ MARIÆ MAMACHI

ORD. PRÆD. THEOLOGI CASANATENSIS

De artibus quas profitebantur Chriſtiani Veteres, ut victum ſibi compararent.

DISSERTATIO VII.

IIS rebus Chriſtiani cum eſſent contenti, quibus vitam ſuſtentare valerent, non eas artes, ex quibus plurimum lucri ſibi promitterent, ſed communes quales erant hominum plebejorum, profitebantur. Nam demptis nobilibus, qui, ſi collati cum ceteris eſſent, perpauci initio erant, reliqui labore manuum victum ſibi quæritabant. Vix enim Jureconſultorum, Oratorum, Medicorum, &c., qui primis Eccleſiæ ſæculis tribus floruerint, eorum autem qui mercaturam facerent, ne vix quidem ullius ab antiquis Scriptoribus fieri video mentionem. Sed ab Jureconſultis, iiſque etiam, qui artes liberales colerent, exordiendum eſt. Ac eorum quidem aliquos qui cauſſas Romæ, atque aliis in urbibus dicerent, & Jus interpretarentur, Chriſtianæ Religioni dediſſe nomen, auctor eſt in ſecundo [1] *adverſus Gentes* libro *Arnobius*. Sunt autem, qui *Vetium Epagathum* in Jureconſultis numerandum putent, qui *Marco Aurelio* Imperatore, incredibili animi magnitudine, cum omnia cruciatuum exempla in Chriſtianos edi viderent, in medium proceſſit, inſtinctuque divino incitatus, paratum eſſe dixit ſe cauſſam eorum, defenſionemque ſuſcipere, quos nihil contra leges, nihilque contra atque pietas [2], virtuſque poſceret, molirentur. Sed ut aperte dicam, quod ſentio, vereor, ne res ulla in Hiſtoria ſit, ex qua *Vetium* dicendo juri operam aliquando dediſſe colligatur. Nam quod a *Lugdunenſibus* in Epiſtola, quam ad *Aſiæ*, Phrygiæque Eccleſias ſcripſerunt, advocatus dicatur Chriſtianorum, nego ſatis eſſe grave argumentum ad id, quod *Balduinus* [3] vellet, demonſtrandum. Quid? ſi ne Senatores quidem *Hippolitus*, & *Apollonius*, quos in Scri-

1 *Pag. 44. edit. an. 1651.*

2 *Euſebius lib. V. cap. I. pag 199 edit. Cantabrig.* „ *Vetius Epagathus* unus e Fratrum numero, immenſa quadam charitatis copia erga Deum ſimul, & proximum celebrans, qui adeo diſtrictam, ac ſeveram vivendi rationem inſtituerat, ut quamvis adhuc juvenis *Zachariæ* tamen ſenioris elogio æquaretur „ Inceſſerat quippe in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela .... Hic inquam, cum eſſet hujuſmodi, adeo injuſtum adverſus nos judicium pati non potuit, ſed indignatione commotus, poſtulavit, ut ſibi quoque liceret pro fratribus cauſſam dicere, palamque oſtendere, nihil apud nos impium, aut irreligioſum reperiri .... Advocatus quidem Chriſtianorum judicis elogio appellatus, habens „ autem in ſe ipſo advocatum Spiritum Sanctum &c.

3 *Franciſcus Balduinus* Præfat. *in Minucii Octavium edit. ann. 1699.*

Scriptoribus Eccleſiaſticis *Hieronymus* ponit, oſtendi poteſt, juris ſequutos fuiſſe [1] prudentiam? Alioqui *Flavius Clemens* quoque, atque *Glabrio*, quos & conſules, & multis aliis magniſque honoribus perfunctos fuiſſe conſtat, in Jureconſultis numerarentur. Etſi autem *Euſebius* in ſecundo libro [2] Hiſtoriæ *Tertullianum* legum *Romanarum* peritiſſimum vocet, idque hujus Scriptoris & Apologeticus & ad Nationes libri plane demonſtrent, non is tamen ſum, qui eum unquam in foro aut defendiſſe quemquam, aut accuſaſſe putem. Cum enim monumenta, quibus ſolum adhibenda aſſenſio eſt, & vetera, & auctoritatis alicujus deſint, numquam committam, uti me de rebus incertis unus aliquis arbitretur temere tuliſſe Sententiam. Hoc certum eſt, tertio Eccleſiæ ſæculo *Minucium Felicem Africanum* a quo eſt editus Dialogi liber, quem inſcripſit *Octavium Romæ*, inter Cauſſarum patronas [3] locum obtinuiſſe, ut eſt a *Lactantio* & *Hieronymo* monumentis traditum litterarum. Poſt autem ubi Imperatores propenſiore in Chriſtianos animo eſſe cœperunt tumque potiſſimum, cum exactis tyrannis, potitus *Conſtantinus* imperio eſt plures exſtitiſſe [4] Jureconſultos qui noſtram religionem profiterentur, tam eſt manifeſtum ut revocari a nemine in controverſiam poſſe videatur. Sed erunt fortaſſe, qui mirentur, quemadmodum ſævientibus in Chriſtianos Ethnicis verſari *Minucio* in foro, cauſſaſque defendere liceret. At hi ſi conſiderent [5] neque ſemper Imperatores caviſſe, ne qui noſtrum publicis muneribus fungerentur, neque omnes; facile quidem certe confitebuntur, tertio ſæculo, quo & *Septimius Severus* æquior aliquando, quam deceſſores ſui conſueverant, noſtris & *Alexander*, & *Philippi Auguſti*, qui nihil adverſus nos decernendum exiſtimarunt, adepti imperium ſunt, fas fuiſſe Chriſtiano viro in forum venire, patrociniumque eorum ſuſcipere, quos aut injuria affectos, aut bonis injuſte privatos fuiſſe arbitraretur. Neque enim Jureconſultos eorum temporum, qui noſtris ſacris eſſent initiati, ita fuiſſe comparatos animis

1 *Balduinus ibid.* ,, Saltem *Hieronymus*, *inquit*, *ad Magnum*, ubi *Minucium* laudat, meminit duorum ,, Romanæ Urbis Senatorum, *Hippoliti*, & *Apollonii*, qui ut inter Scriptores Eccleſiaſticos referrentur, ,, meriti ſunt. " De *Apollonio* vide *Euſebium* lib. V. *Hiſt. Eccl. cap. XXI. pag.* 239. *edit. Cantabrig.* At eum Senatorem non vocat. Addamus his paucios alios, de quibus eruditi viri inter ſe diſputant, an Chriſtianorum ſacris profeſſi fuerant Johannes nempe Bertrandius, *Hermogenem* Chriſtianum fuiſſe contendit: *Licinium* quoque *Rufinum* nonnulli Chriſtianis adcenſent, quod *Moſaicarum & Romanarum legum Collationem* a Pithoeo editam ei tamquam auctori adjudicent, contra quam Menagius, ac Terraſſonius exiſtimeut, quibus multo recentior Licinio eſt operis illius ſcriptor. Miltiades potiore jure inter Chriſtianos Jureconſultos referendus eſt, de quo exſtat Chriſtiani Gotthofredi Derlingii *Diatribe hiſtorica & critica* Helmſtadii an. 1746. divulgata *Zach.*

2 Cap. II. pag. 47.

3 Confer. *Minucii Octavium pag.* 3. *ſeq. edit.* an. 1672. Lactant. *Lib.* 5. *Divin. Inſtitut. cap. XI. pag.* 34. *edit. Pariſ. an.* 1748 *& lib. V. Cap. I. pag.* 361. ,, Felix, *inquit*, non ignobilis inter cauſſidicos lo- ,, ci fuit. Hujus liber, cui *Octavius* titulus eſt, declarat, quam idoneus veritatis aſſertor eſſe potuiſ- ,, ſet, ſi ſe totum ad id ſtudium contuliſſet. *Hieronymus in Catalog. viror. illuſtr. tom. IV. par. II. op. edit. Martianai Paris.* pag. 357. *Minucius Felix*, *inquit*, ,, Romæ inſignis Cauſſidicus, ſcripſit Dialogum Chri- ,, ſtiani, & Ethnici diſputantium, qui *Octavius* inſcribitur ". Et *Epiſt. ad Magnum Orator. Roman.* pag. 656. ,, *Minucius Felix* Cauſſidicus *Romani* fori in libro, cui titulus *Octavius* eſt. . quid gentilium Scri- ,, pturarum dimiſit intactum? ,,

4 *Franciſcus Balduinus ibid.* ,, Mirum cum jam annis prope ducentis Orbis Romanus, & palam, & ,, publice, & libere Chriſto nomen dediſſet, auctoribus ipſis Imperatoribus, viſam eſſe legem neceſſa- ,, riam, quæ & tandem lata eſt, ut in nullo foro vel advocatus, vel cauſſidicus eſſet ullus, vel jus po- ,, ſtulandi quiſpiam haberet, qui Chriſtianus non eſſet ,, *leg.* 8. *cod. de Poſtul.*

5 *Tertullianus libro ad Scapulam cap. IV. pag* 71. *edit. an* 1744 de *Severo* antequam in noſtros ſæviſſet, loquens. ,, Ipſe etiam *Severus*, *inquit*, pater *Antonini*, Chriſtianorum memor fuit. Nam & *Proculum* Chriſtianum, qui *Tropacion* cognominabatur, Evodiæ procuratorem, qui eum per oleum aliquan- ,, do curaverat, requiſivit, in palatio ſuo habuit uſque ad mortem ejus, quem & *Antoninus* (Caracalla) ,, optime noverat, lacte Chriſtiano educatus. Sed & clariſſimas fœminas, & clariſſimos viros *Severus* ,, ſciens hujus ſectæ eſſe, non modo non læſit, verum & teſtimonio exornavit, & populo furenti in nos palam reſtitit ,,. De *Alexandro* vide *Euſebium lib.* VI. *Hiſt. cap. XXI. ſeq. pag.* 286. *edit. Cantabr. & cap XXVIII. pag.* 293. ubi ,, Cæſo, *inquit*, *Alexandro* Imperatore, qui tredecim annis regnaverat, ,, in ejus locum ſucceſſit *Maximinus*, qui gravi odio ſuccenſus adverſus familiam *Alexandri*, in qua ple- ,, rique erant Chriſtiani, perſecutione excitata, ſolos Eccleſiaſticorum antiſtites interfici juſſit? De Philippis confer eumdem *Euſebium* lib. VI. *cap.* XXXIV. *ſeq. pag.* 298. *ſeqq. edit. ejuſd.*

mis cenſeo, ut non juſtitiæ tuendæ, ſed amplificandæ rei familiaris cauſſa in forum venirent, ac ſi clientes nacti pauperes fuiſſent, vel negligendos, ita ut noſtra ætate fieri a quibuſdam intelligo, vel diem ex die ducentes, illudendos judicarent. Longe diſcrepans eorum & ratio vitæ, & inſtitutio morum erat [1].

Ac præter Jureconſultos, Oratores atque Philoſophos aliquot Chriſtiana inſtituta ſequutos fuiſſe ſatis conſtat. In his *Quadratus* [2], *Ariſtides*, *Juſtinus* [3], *Tatianus* [4], *Athenagoras*, [5], *Apollonius* [6], *Tertullianus* [7] *Cyprianus* [8], *Arnobius*, [9], aliique fuerunt qui ſententiis decretiſque veterum Poetarum, Rhetorum, & Philoſophorum uſi, non ſolum Ethnicas fabulas graviter ſapienter, vereque oppugnarunt, ſed ſanctam etiam ſolamque veram Chriſtianorum defenderunt religionem. Quum enim exiſterent interdum improbi, ſceleſtique homines, qui ſeſe Philoſophos [10] appellarent, atque

---

1 De Jureconſultis Chriſtianis primorum temporum ſcripſit *Johannes Michael Heineccius* ſingularem diſſertationem. Quin etiam me præſide diſputationem de eodem argumento ſcripſit, defenditque Romæ an. 1746. *Joſephus Compagnonus* Maceratenſis nobilis adoleſcens in Academia Eccleſiaſtica, ubi tunc hiſtoriam docebam. - Prodiit illhæc *diſputatio* an. 1751. Romæ 4. -

2 Vid. *tom.* II. hujus operis pag. 559. & *Euſebium lib.* III. *Hiſt. Eccl. cap* XXXVII. *pag.* 133. *edit. Cantabrig. & lib.* IV. *cap.* III. *pag.* 42. ubi, „ *Hadriano inquit*, *Quadratus* obtulit orationem, quam pro „ defenſione religionis noſtræ idcirco conſcripſerat, quod quidem malevoli homines vexare noſtros, at„ que inceſſere conabantur. Extat hodieque apud pleroſque ex fratribus hæc oratio, quam nos etiam ha„ bemus, ex qua & ingenium ejus viri & rectam Apoſtolicæ fidei doctrinam perſpicue licet cognoſcere „. *Et pag.* 43. „ Ariſtides quoque *inquit*, vir fidelis ex religionis noſtræ ſectatoribus apologeticum pro fi„ de noſtra perinde ac *Quadratus*, *Hadriano Cæſari* nuncupatum reliquit. Qui quidem liber etiamnum ſer„ vatur a plurimis „.

3 Idem *Euſebius lib.* IV. *cap.* VIII. *pag.* 151. „ Eodem tempore, *inquit*, *quo* Hadrianus *imperabat*, „ *Juſtinus* veræ Philoſophiæ amator ſinceriſſimus adhuc gentilium philoſophorum ſcriptis, ac ſermonibus „ adhæreſcebat. Qui etiam in Apologetico ad Imperatorem *Antoninum* ſcripto, hoc ipſum tempus deſi„ gnat... Sed in eodem libro loquens de converſione ſua a gentilium philoſophia ad veri Dei cultum, „ id non temere, ac leviter, ſed cum ratione ac judicio ab ſe factum eſſe declarat his verbis. Nam ego, *inquit* qui *Platonis* doctrinam amplexus fueram, cum Chriſtianos calumniis appeti audirem, eoſque „ adverſus mortem, & cetera, quæ formidabilia habentur, fortes, atque intrepidos viderem, ſic apud „ me reputabam, fieri non poſſe, ut iidem vitiis, ac voluptatibus dediti eſſent. Quis enim voluptati„ bus deditus, aut intemperans, & humanis carnibus veſci pro deliciis habens, mortem ipſam poſſit li„ benter amplecti, quæ ſuas ipſi cupiditates ereptura ſit? Ac non potius omnibus modis contendat, ut in „ hac vita perpetuo degat, & magiſtratus ipſos lateat, nedum ſe ipſe necandum ultro prodat, ac defe„ rat “. Vid. *tom.* I. *hujus operis pag.* 184. *not* a.

4 *Euſebius lib.* IV *cap.* XVI. *pag.* 175. *edit. Cantabrig.* „ Romæ *Apollonium* quemdam, *inquit*, ſicut ipſe prædixerat ſtructis a *Creſcente* inſidiis Martyrio eſſe coronatum, *Tatianus* vir, qui primo ætatis ſuæ „ tempore rethoricam docens, in gentilium diſciplinis ſumma cum laude verſatus eſt, & qui plurima in„ genii ſui monumenta poſteris reliquit, teſtatur “.

5 Confer hujus *legat. pro Chriſtianis num* 1. *& ſeq. Op. Juſtin edit ann.* 1747. *pag.* 196. *ſeq.*

6 *Euſebius lib.* V. *Hiſt. Eccl. cap.* XXI. *pag.* 239. „ Romæ *Apollonium* quemdam, *inquit*, e numero fi„ delium, qui in humanioribus litteris, & in philoſophia eximius habebatur, in judicium adduxit (dia„ bolus) ſuſcitato ei accuſatore homine quodam perditiſſimo “.

7 *Tertullianus Apologetici cap.* XVIII. *pag.* 17. *edit. ann.* 1744. „ Hæc & nos riſimus aliquando. De „ veſtris fuimus. Fiunt, non naſcuntur Chriſtiani “.

8 Vide *Pontium* Diaconum *in vita Cypriani*, *ejus operibus edit. Oxon. præfixa p.* 1 *ſeq.*

9 Confer *tom.* I. *hujus operis pag.* 411. *& tom.* II. *pag.* 479.

10 Ut *Celſus* quem octo libris confutavit *Origenes*, ut *Lucianus*, qui *in dialogo de morte Peregrini* Chriſtianorum mores, atque inſtituta ludibrio exponere non dubitavit, ut auctor dialogi *Philopatridos*, ut *Creſcens* ille, qui ſe *Juſtini* tempore philoſophum eſſe jactabat, de quo *Juſtinus* ipſe *Apolog.* 2. *num.* 3. *pag.* 94. „ Neque philoſophi appellatione dignus eſt (Creſcens), *inquit*, quippe qui de nobis ea publi„ ce teſtetur, quæ prorſus ignorat, atheos & impios eſſe Chriſtianos ad gratiam, & voluptatem deceptæ „ plebeculæ aſſeverans... Illud enim ſcire vos velim, me cum nonnullas ei interrogationes ejuſmo„ di propoſuiſſem, didiciſſe, & deprehendiſſe illum revera nihil ſcire. Atque ut verum a me dici pateat, „ paratus ſum, ſi diſputationes illæ ad vos perlatæ non ſunt, coram vobis interrogationes iterum pro„ ponere. Regium ſane hoc opus fuerit. Si vero ad aures veſtras (*Imperatores*) interrogationes meæ, il„ liuſque reſponſa pervenerunt, liquet vobis nihil eum ſcire rerum noſtrarum; aut ſi ſcit ille quidem, „ ſed audientium metu non audet, ad exemplum *Socratis*, eloqui; non Philoſophum, ut jam dixi, ſed „ opinionum amatorem deprehendi: quippe qui pulcherrimum illud *Socratis* dictum parvi faciat: *ſed plus „ honoris non eſt habendum homini, ac veritati* “. *Cæcilius* præterea ille, quem Octavius apud *Minucium* *Feli-*

Digitized by Google

atque hoc tam præclaro nomine plebem circumvenirent, factum divini Numinis conſilio eſt, ut eorum aliqui quanta in pravitate opinionum verſati eſſent, cognoſcerent, Chriſto ſe dederent, iiſque rationum momentis ſæpe nos a calumnia vindicarent, quibus amici noſtri abuterentur. Sed de Philoſophis ceteriſque Chriſtianis, qui aliqua doctrinæ laude floruerunt, quoniam alio loco diximus copioſe rurſum agere non eſt neceſſe. Hoc tamen breve non prætermittam, Philoſophos illos, Oratoreſque Chriſtianos factos magnam partem Epiſcopos, Presbyteros, Diaconoſve fuiſſe adeoque non arte, quam profiterentur, ſed facultatibus Eccleſiarum ali [1] conſueviſſe. Quod ſi qui cooptati non fuerant in ordinem Clericorum, iis profecto ſcholas moderari, & vel publico ſtipendio, vel diſcipulorum ſumptu victum ſibi quærere [2] licebat.

Erant item primis Eccleſiæ ſæculis, qui militiæ nomen darent Chriſtiani, ac ſuo periculo adverſus imperii *Romani* hoſtes Rempublicam defendendam arbitrarentur, ſed ea conditione, nihil ut agerent, jurarent, dicerent, quod ſuperſtitioſum, alienumque a noſtris inſtitutis eſſet. Atque *Hadriano* quidem Imperatore milites aliquot Chriſtianos vixiſſe [3] teſtata res eſt. Auctus vero eorum eſt numerus, cum *Antonini* [4] Imperio potirentur. *Septimio* autem *Severo* Imperatore [5] quis neget tantam fuiſſe copiam militum Chriſtianorum, ut caſtra iis plena eſſe viderentur? Quod ſi tot fuerunt extremo ſecundo, & ineunte tertio ſæculo milites Chriſtiani, credibile ſane eſt, multo plures fuiſſe, Alexandro Severo, Gordianis, Philippis [6] poſtremoque *Diocletiano* & *Maximiano Herculio* Imperatoribus (antequam hi de noſtra religione delenda cogitaſſent) cum ſti-

Felicem reprehendit, compuliſque, ut pertinacia deſiſteret, verſatus in doctrina Philoſophorum Ethnicorum fuiſſe videtur. Quid? ſi *Ammonium Saccam* III. ſæculo inſignem Philoſophum, etſi parentibus Chriſtianis ortum, lapſum in Ethnicorum errorem, noſtraque oppugnare conatum ſcribat apud *Euſebium lib.* VI. *Hiſt. Eccl. cap.* XIX. *pag.* 261. *Porphyrius*? Atque *Porphyrio* præter alios aſſenſus *Joannes Laurentius Moshemius* eſt in ea diſſertatione, *quam de perturbatis a recentioribus Platonicis Chriſtianæ religionis* rebus edidit. *Ammonium* θεοδίδακτον *a Deo doctum* appellat *Hierocles* hoſtis infenſiſſimus Chriſtianorum *Lib. de Provid. & Fato*. Is vero Chriſtianum θεοδίδακτον numquam vocaſſet. Ejuſdem furfuris *Demetrianus* ille fuit, quem ſingulari libro Cyprianus Epiſcopus Carthaginienſis, & martyr confutavit. *Theoſthenes* præterea Peripateticus, cujus eſt ætas incerta (confer *Johannem Albertum Fabricium Salut. Luce Evangel. cap.* VIII. *pag.* 254. & *Delect. argum. pro verit. Relig. Chriſtian. pa.* 66. *ſeq.* quo loco meminit operis ſcripti a *Magno* ἐπάρχῳ III. fortaſſe ſæculi ſcriptore adverſus *Theoſthenem* vulgati). *Porphyrius*, *Hierocles*, quos *Euſebius*, & *Lactantius* refellerunt, *Maximus* Epheſius, *Julianus* Apoſtata, quem *Gregorius* Nazianzenus & *Cyrillus* Alexandrinus exagitarunt, Chriſtianam religionem ſuis vel ſcriptis, vel maledictis evertere conati ſunt. Sed fruſtra. Nam ut eſt ab *Origene in* 1. *contra Celſum num.* 3. *edit. Monach. S. Mauri tom.* 1. *op.* animadverſum „ Divina virtute ſuſtentata, non modo evaſit, atque emerſit, ſed etiam orbem univerſum vicit in ſe conjuratum “. Conſule *Fabricium Salut. Luc. Evang. loc. cit. pag. ead. ſeq.*

1 Quamquam enim erant aliquot Epiſcopi, presbyterique primis temporibus, qui ut ne graves cuiquam eſſent, laborem manuum ſibi victum quæritabant, Apoſtolum *Paulum* imitantes tamen eleemoſynis, oblationibuſque Chriſtianorum plerumque Clerici quique alebantur. Conſule S. *Cyprianum epiſt.* 1. *ad Presbyteros & Diaconos & plebem Furnis conſiſtentes pag.* 1. *ſeq. edit. Oxonienſis*. Sed hac de re diſſeram alio loco opportune, ubi de redditibus Eccleſiarum. Et ſane *Quadratum*, *Juſtinum*, *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Pantænum*, *Clementem*, Alexandrinum, *Heraclam*, alioſque permultos philoſophos Chriſtianos Clero nomen dediſſe conſtat.

2 Nam *Lactantius*, qui litteras adoleſcentes docebat, ſtipendio publico victitavit neceſſe eſt, cum publice *Nicomediam* eam ob cauſſam accitus eſſet, *Lib.* enim V. *Inſtit. cap.* II. „ Ego, *inquit*, cum in *Bithynia* oratorias litteras accitus docerem &c.

3 Vide Inſcriptionem *Marii ducis militum tom.* 1. *hujus operis pag.* 430. In Actis Sinceris SS. MM. *Symphoroſæ*, & filiorum *pag.* 20. *apud Ruinartium edit. Veron. Symphoroſa* ſic alloquitur *Hadrianum* Imperatorem. „ Vir meus *Getulius* cum fratre ſuo *Amantio* tribuni tui, cum eſſent, pro Chriſti nomine paſſi ſunt diverſa ſupplicia, ne idolis conſentirent, ad immolandum, & quaſi boni athletæ dæmones tuos „ moriendo vicerunt “.

4 Confer, quæ ſcripſi *tom.* 1. *hujus oper. pag.* 364. *ſeq. not* 4. *ſeq.*

5 *Tertullianus Apolog. cap.* XXXVII. pag. 115. *Append. edit. op. an.* 1744. Scriptum autem eſt Apologeticon *Severi* tempore. „ Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula CASTRA IPSA, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum, &c. “ Vide *tom.* 2 *hujus operis pag.* 371. *not.* 1.

6 Nam his æquiſſimis Chriſtiani ſunt uſi Imperatoribus, ut paullo ante ex *Euſebio* vidimus.

ſtipendia mereri cuique, & ſine [1] periculo violandæ fidei, quam Chriſto dederat, in caſtris verſari liceret. Cumque aliqui eſſent eorum & nobiles & ſingulari virtute, ac fortitudine præditi viri, his item ad opes, ad [2] honores, ad dignitates via non minus, quam Ethnicis patebat. Quamquam interdum eveniebat, ut ab invidis accuſarentur, quaſi Chriſtiani cum eſſent, ſacrificareque nollent, inanibus diis injuriam facerent, ac ſupplicium immerentes ferrent.

Π Α Ρ Ε' Γ Ο Ν.

Fas ne fuerit Chriſtiano viro militiæ nomen dare?

ETſi demonſtratum eſt in priore hujuſce operis volumine adverſus eos [3], qui fas non fuiſſe Chriſtiano viro militare dicerent, permultos in caſtris, tribus primis Eccleſiæ ſæculis, noſtrorum hominum fuiſſe verſatos, idque jam illis per Epiſcopos, qui primas in Eccleſiis partes obtinerent, licuiſſe; quoniam tamen prætermiſſa quædam fuerunt, quæ ad rem eamdem magis magiſque ſtatuendam conferre poſſent, rurſum de hoc ipſo argumento, cum redierit de militibus mentio, agendum exiſtimavi, ut teſtimoniis veterum Scriptorum adductis, atque expenſis quam illi fuerint ab adverſariorum ſententia diſcrepantes oſtenderem. Atque perſuadere equidem mihi nequeo, tam fuiſſe imperitos veteres Chriſtianos, tamque parum in ſacris litteris exercitatos, ut neſcirent, probatam Evangeliſtis fuiſſe [4] militiam. Cur enim *Johannis Baptiſtæ* dictum laudaſſent, quod milites contentos eſſe ſuis ſtipendiis oportere poſceret, ſi nefas eſſe homini, qui Chriſto adhæſerit, militare exiſtimaſſent? Age vero juſtum ne, ac timentem Deum umquam appellaſſet *Cornelium* [5] Centurionem *Lucas*, ſi militiam cum pietate pugnare cenſuiſſet? Atque *Apollinarem* quidem Hierapolitanum [6] Antiſtitem, *Tertulliani* [7], *Origenem* [8], *Clemen-*

1 Confer *Euſebium lib.* VIII. *Hiſt. Eccl. cap* 2. *pag.* 375. *ſeq. edit Cantabrig.* & *Lucium Cæcilium* lib. de Mortibus Perſecut. cap. XV. ſeq. *tom* II. *Lactant edit.* ann. 1748

2 Vide *Euſebium lib.* VII. *Hiſt. Eccl. cap.* XV. *pag.* 342. *ubi de Marino milite, qui ſub Sallieno* Martyr deceſſit ſermonem inſtituit.

3 *Tom.* 1 *pag* 364 *ſeq. hujus operis*.

4 *Lucas* cap. III. Evang. v. 14 „ Interrogabant autem (*Johannem*) & milites. Quid faciemus & nos? „ Et ait illis. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris “.

5 *Luc Act. Apoſt.* cap X v. 1. *ſeq* Locus hic, ut etiam ille, quem deſcripſi notatione ſuperiore, negotium *Tertulliano* exhibuit, quem ſecum pugnare oſtendi *lib.* II *hujuſce operis tom* 1. *pag.* 372. not. 1. Itaque in *lib. de Idololatria* cap XIX. pag. 97. *edit. Venetæ* an. 1744. ſic habet. „ Poſſet in iſto capitulo „ etiam de militia definitum videri, quæ inter dignitatem & poteſtatem eſt. At nunc de iſto quæritur, „ an fidelis ad militiam converti poſſit, & an militia ad fidem admitti, etiam caligata, vel inferior „ quoque, cui non ſit neceſſitas immolationum, vel capitalium judiciorum. Non convenit Sacramento „ divino, & humano ſigno Chriſti, & ſigno diaboli, caſtris lucis, & caſtris tenebrarum. Non poteſt „ una anima duobus deberi, Deo, & *Cæſari*.. Quomodo autem bellabit, immo quomodo etiam in „ pace militabit, ſine gladio, quem Dominus abſtulit? Nam etſi adierant milites ad *Joannem*, & formam obſervationis acceperant, ſi etiam Centurio crediderat, omnem poſtea militem Dominus in Petro „ exarmando diſcinxit. Nullus habitus licitus eſt apud nos illicito actui adſcriptus “. Scio *Famelium* ſic ſtatuere, negari ab *Tertulliano* fas eſſe Chriſtiano militare, ſi ſe in periculum idololatriæ conjiceret. Verum, ut recte animadvertat *Petavius Lib.* II. *diſſert. Eccl. Cap.* II. § VII. *pag.* 183 *Tom.* IV. *Theolog. dogm. edit. Venet. an.* 1745. Ne eam quidem militiam probat *Tertullianus*, quæ obiri ſine ſuperſtitionis periculo poſſet. Idque jam cenſuit *Rigaltius in not. ad Tertull modo indicatum locum*. Sed quam ſit illud ridiculum, quod *Carthaginenſis* Presbyter ſcribit, omnem *poſtea militem in* Petro Chriſtum *exarmaſſe*, nemo non intelligit. *Cornelius* enim miles & religioſus, & timens Deum fuit etiam poſt exarmatum a *Chriſto Petrum*.

6 Vide *tom.* 1. *hujus operis pag.* 364. *ſeq.*

7 Vid *tom* 1. *ibid.*

8 *Tom.* 1. *ibid pag.* 370. not. 4. Ac *Origenes lib.* 8. *contra Celſum num* 1. *tom* 1. *op. edit. Monachor. S. Mauri* bellum juſtum licitum eſſe defendit. „ Sicut enim, *inquit*, ſi qui clam fœdera inirent, ut tyrannum urbem invadentem e medio tollant, ILLI RECTE FACERENT, ita Chriſtiani diabolo, „ mendacioque apud ipſos tyrannidem exercentibus merito etiam perfractis diaboli legibus, contra diabolum ipſum fœdera ineunt “. Et *lib.* IV. *num.* LXXXII. „ Fortaſſe etiam, *inquit*, hæc imago bello-

„ rum,

Digitized by Google

mentem *Alexandrinum* [1], aliosque Patres [2] fas eſſe Chriſtiano viro caſtra ſequi ſtatuiſſe, ut qui milites Chriſtianos, imprimiſque eos, ut factum a *Tertulliano* eſt, qui cum M. *Aurelio* ad bellum profecti ſunt, ſummis laudibus celebrarint tam eſt manifeſtum, ut ne egeat quidem oratione. Neque vero *Juſtinus* martyr in ea quæ eſt ad *Diogretum* [3] Epiſtola, omnia ab Chriſtianis geri dixiſſet, quæ Ethnici gererent, exceptis iis, quæ ſecum ſuperſtitionem ferrent, ſi nulli noſtrum profeſſi militiam fuiſſent, ſine qua defendi non poteſt reſpublica. Tertio autem ſæculo [4], quartoque ineunte [5], quum Ethnici imperio potirentur, nonne magna fuit copia militum Chriſtianorum, quin Antiſtites Eccleſiarum, quibus & religio, & diſciſciplina noſtræ curæ fuit, exterminandos e finibus Eccleſiæ eſſe arbitrarentur?

At enim intelligo eſſe aliquos, qui extremo tertio ſæculo debilitatem ac pene ſublatam diſciplinam, quam veteres conſtituerant, putent; factumque ita fuiſſe, ut licere ſibi plerique judicarent, quæ *Origenes* & *Tertullianus* componi cum inſtitutis Chriſtianæ religionis poſſe negaverant. Quorum ſane SS. MM. Actis quibuſdam confirmari videtur ſententia. Ac *Maximilianus* quidem in *Africa* Martyr juſſus anno 295. ut cingulum ſumeret, nefas ſibi Chriſtiano viro eſſe militare dixit.

,, rum, quæ gerunt apes, nobis documento eſt, quomodo IUSTE, ET ORDINATE GERENDA
,, BELLA SINT, SI QUANDO INTER HOMINES GERI OPUS EST ". Non me latet eumdem *Origenem* lib. V. num. XXXIII. ſic habere. ,, Sciſcitantibus, unde veniamus, & quiſnam ſit dux noſter,
,, reſpondemus nos Ieſu imperiis acceſſitos venire conflatum in vomeres, gladios, quibus animi noſtri
,, antea ad bella inferenda, ingerendaſque contumelias utebantur, & convertimus in falces, lanceas, qui-
,, bus olim irati feriebamus. Nec enim jam contra gentem ullam arma capimus, nec bellum gerere diſci-
,, mus, facti pacis filii per *Jeſum*, quem ſequimur ducem ". Et *lib.* VII. n. XXVI. ,, Neque Chriſtiani
,, potuiſſent, ut lex *Moſaica* præcipit, hoſtes interficere, legiſque violatores igne comburere, aut la-
,, pidibus obruere, prout alterutro ſupplicio digni judicati fuiſſent, ſiquidem, neque Iudæis, vel volen-
,, tibus hæc, ut lex conſtituit exequi nunc liceat. Rurſus ſi veteribus Iudæis, qui privatas leges habe-
,, bant, privataſque incolebant regiones, in hoſtes faciendi impreſſionem, bellum gerendi pro patria,
,, aut quolibet morbo adulteros, homicidas, aut quid aliud ſimile perpetrantes ſupplicio afficiendi liber-
,, tas ablata fuiſſet, nihil reliquum erat, quam ſubito omnes, & penitus deleri &c. ,, Et lib. VIII. *n.*
LXXIII. ſeq. ,, Sed & plus ceteris pro Imperatore pugnamus. Non quidem ſub illo militamus, etiamſi
,, nos ad id cogeret, ſed pro illo militamus, cum ſeorſim pietatis caſtra ſuſis ad Deum precibus collo-
,, camus ". *Spencerus* in not. in *hunc locum*, & *Hugo Grotius* lib. I. *De jure Belli*, & *Pacis* cap. II. *ſect.* IX pugnantia loqui *Origenem* defendunt. Igitur eum qui incertas ſententias, ac repugnantes conetur ratione inter ſe componere, nihilo plus agere putant, quam ut det operam, ut cum ratione inſaniet. Atque privatum quidem certe *Origenis* judicium ſi ita ſe haberet, ut tolleret Chriſtianis militandi poteſtatem, nullius tamen momenti eſſet. Nam publicum Eccleſiæ inſtitutum erat permultis bellandi poteſtatem dare, ut *tom.* I. *hujuſce operis loc. cit.* demonſtratum eſt. Publico autem Eccleſiæ nos, non privato unius viri judicio aſſentiri oportet. Ceterum ſi *Origenis* prima ſpecie pugnantes ſententiæ diligenter conſiderentur, conciliari fortaſſe inter ſe potuerunt. Nam recte ille quidem geri juſtum bellum poſſe affirmat. Negat autem Chriſtianos pro ſe ſuiſque bellum geſſiſſe, quod privatam rempublicam nullam haberent. Pacis autem, non belli nos cultores eſſe debere. Ergo ſi privata reſpublica Chriſtianis fuiſſet, jam non negat, integrum tum noſtris fuiſſe, eam ab invadentibus inimicis defendere. Quod autem ſcribit, noſtros ne coactos quidem militare velle, ſic eſt intelligendum, ut ad eam militiam cogi neminem poſſe putet, quæ conjuncta ſuperſtitioni eſſet. Alioqui cognorat fuiſſe Chriſtianos, qui in caſtris verſarentur, quibuſque liberis ab idololatria ibidem verſari liceret. Fortaſſe etiam hæc dixit, quod etſi milites, qui religioni Chriſtianæ nomen dediſſent, ſequi ſuum inſtitutum ſolerent, Chriſtianis tamen parentibus orti nomina militiæ dare non conſueverant, niſi fortaſſe per raro. Vide *Rigaltium loc. ſupr. cit.*

1 Vide *tom.* I. *hujus operis pag.* 378. *not.* 2.

2 Confer *tom. eumdem* I. *pag. eadem not.* 4.

3 *Num.* 5. *pag.* 236 *edit. opp. ann* 1747. ,, Chriſtiani neque regione, neque ſermone, neque POLITICIS VITÆ INSTITUTIS a ceteris hominibus ſunt diſtincti. Nam neque proprias civitates incolunt,
,, neque ſermone utuntur, qui ab aliorum ſermone differat, neque vitæ genus habent, quod de re ali-
,, qua ſibi peculiari ſit notabile. . . . Sed incolentes partim Græcas, partim barbaras civitates, prout
,, cujuſque ſors tulit, & indigenarum inſtituta ſequentes in veſtitu, victuque, & cæteris, quæ ad vitam
,, pertinent, mirabilem, & haud dubie incredibilem ſuæ politiæ ſtatum oculis noſtris proponunt ".

4 Vide *Euſebium Hiſt. Eccl. lib.* VII. *cap* XV *pag.* 342. *edit Cantabrig.* & *tom.* II. *hujuſce operis pag.* 14. ubi de *Marino* Martyre Cæſareenſi, ac milite ſatis illuſtri diximus. Ex eo autem loco ſatis conſtat, fas fuiſſe Chriſtiano dignitatem in militia obire, ac ſuſtinere, quin cogeretur ſacrificare. Nam ubi primum *Marinus* rem divinam facere, Chriſtumque ejurare juſſus eſt, mori maluit, quam ſceleſtum adeo facinus perpetrare

5 Vide *Euſebium Lib.* VIII. *Hiſt. Eccl. cap.* II. *ſeq* & *Lucium Cæcilium loco ſupra indicato.*

xit. Cumque Proconſul multos eſſe in exercitu milites Chriſtianos affirmaſſet; ſcire illos reſpondit *Maximilianus*, quod facerent; at ſe Chriſtianum male [6] quidquam agere non poſſe. Itaque ob eam rem capitis condemnatus, atque ab Eccleſia in numerum martyrum relatus eſt. Eccleſiam autem faſtis Martyrum adſcripſiſſe, hominem, non religionis tuendæ ſed rei, quæ noſtris liceret cauſſa interfectum, quis credat? Argumento eſt igitur alienum a Chriſtianis moribus, inſtitutiſque fuiſſe militiæ nomen dare. Quamobrem, quum rurſum Proconſul ex *Maximiliano* quæſiſſet, ecquid mali facerent milites, hoc reſponſum a Martyre accepit. *Scis ipſe quæ faciant*. Quod ſcilicet indicium eſſe impiæ, ſceleſtæque vitæ debet, quam milites ducere ſolerent. Accedit Synodi Nicænæ primæ auctoritas, quæ Canone XII. ſtatuit eos, qui inſtinctu, opeque divini numinis permoti militare cingulum depoſuiſſent, deindeque pecuniæ cupiditate incitati, ſacramento ſe denuo militiæ obligaſſent poſt triennii tempus, quo inter audientes conſiſtere debebant, decem annos poſterni oportere. Non enim credibile eſt, adverſariorum quidem ſententia, voluiſſe Patres tamdiu milites in ſqualIore, ac ſordibus jacere, niſi a majoribus accepiſſent, vetitam eſſe Chriſtiano militiam.

Sed de *Origene*, ac *Tertulliano* nihil attinet dicere. Satis enim dictum eſſe arbitror libro ſuperiore [7]. De *Maximiliano* ſic exiſtimo: poſitum in Martyribus fuiſſe, propterea quod militiam cum religionis veræ cultu [8] componi crederet non poſſe. Quare cum mortem perpeſſus ſit, ne fidem Chriſto datam falleret; feſelliſſet autem, ut putabat, ſi militaſſet, delendum e faſtis martyrum nonfuiſſe. Quod ſi cœleſti quidam in caſtris milites erant, eſſe namque permulti conſuerunt, nemo tamen adigebatur, ut ſimilis eorum eſſet. Non ſum neſcius latas interdum ab Imperatoribus fuiſſe leges, quibus milites rem divinam [9] facere juberentur. Sed ubi ejuſmodi edicta publicabantur, recedendum e caſtris eſſe Chriſtiani, aut moriendum potius quam ſacrificandum putabant. Ex qua re intelligitur, Chriſtianis fas fuiſſe cingulum militare ferre, quin ſuperſtitioſi quidpiam agere cogerentur. Si enim coacti fuiſſent, non ſolum publicatis legibus; ſed ante etiam, quam eſſent latæ, obligari ſacramento militiæ renuiſſent. Ad Synodum Nicænam quod pertinet, nego cautum ab ea fuiſſe, ne quis militare in poſterum tempus auderet. Quemadmodum enim reprobaſſet inſtitutum, quo ſuperatum *Maxentium*, reſtitutamque Eccleſiæ pacem eſſe conſtaret? Atque eſt omnino incredibile, ut poſt ſingulare oſtentum Crucis, quæ in cælo apparuerat, cum inſcriptione: *in hoc vince*, tollendos eſſe milites dicerent, ac non modo perturbandam Rempublicam, ſed etiam in diſcrimen Eccleſiam conjiciendam ſancirent. Mea igitur ſic eſt ratio, vel in eos, qui cingulo militiæ depoſito, ut perfectius religioſumque vitæ inſtitutum conſectarentur in caſtra redierint, Nicænum Canonem eſſe ſtatutum; vel (quod quidem magis credo) ſatum adverſus illas, qui cum ſub *Licinio*, ne Chriſtum ejurarent, militaribus zonis diſtincti, & militia privati fuiſſent, poſt avaritia inducti in caſtra reverterunt, utque ſtipendia mererentur, obſequuti Imperatori, negarunt eſſe ſe deinceps Chriſtianos velle [10]. Id vero

6 Vide *Ruinartium SS. MM. Sincer. pag. 263. ſeq. num.* II. *ſeq. edit. Veron.*

7 *Tom.* 1. *pag.* 370 *ſeq.*

8 *Ruinartius ibid. pag.* 262.

9 Vide *Euſebium* lib. VIII. *Hiſt. Eccl. cap.* II. *ſeq. Acta SS. MM. Victoris &c. apud Ruinartium num.* III. *pag.* 256. SS. *Mauricii*, & Sociorum *apud eumdem num.* IV. *pag.* 241. *ſeqq. S. Marcelli* Centurionis, & Martyris *num* 2. *pag.* 263. *apud eumdem*. Sic enim *Marcellus* loquutus eſt. „ Jeſu Chriſto regi æterno „ milito. . . . Ex hoc militare Imperatoribus veſtris deſiſto, & Deos veſtros ligneos, & lapideos ado„ rare contemno; quæ ſunt idola ſurda & muta. Si talis eſt conditio militantium, ut diis, & Impera„ toribus ſacra facere compellantur, ecce projicio vitem, & cingulum, renuncio ſignis, & militare re„ cuſo ". S. *Ferreoli apud eumdem num* 2. *pag* 406. *ſeq.* SS. *Gordii* Martyris ex *S. Baſilio apud eumdem num* II. *pag.* 466. *ſeq.* SS. Quadraginta Martyrum *ibid. num.* II. *pag.* 461. SS *Marciani* & *Nicandri apud eumdem num.* 2. *ſeq. pag.* 484. *ſeq.*

10 Canon *Nic* XI. *tom.* 1. *Conc. edit. Hard. pag.* 329. Περὶ τῶν παραβάντων χωρὶς ἀνάγκης ἢ χωρὶς ἀφαιρέσεως ὑπαρχόντων, ἢ χωρὶς κινδύνου, ἤ τινος τοιούτου, ὃ γέγονεν ἐπὶ τῆς τυραννίδος Λικινίου, ἔδοξε τῇ συνόδῳ κἂν ἀνάξιοι ἦσαν φιλανθρωπίας ὅμως χρηστεύσασθαι εἰς αὐτούς. Ὅσοι οὖν γνησίως μεταμέλονται, τρία ἔτη ἐν ἀκροωμένοις ποιήσουσιν οἱ πιστοὶ καὶ ἑπτὰ ἔτη ὑποπεσοῦνται, δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν. „ De his, qui tranſgreſſi ſunt ſine neceſſitate, vel ſine facultatum oblatione, „ vel

vero factum ab *Licinio* fuiſſe, auctor eſt *Euſebius* in Hiſtoria [1].

At *Baſilius* dicet quiſpiam, in ea, quæ eſt ad *Amphilochium* ſcripta epiſtola prohibendos eſſe triennii intervallo milites Euchariſtica communione contendit. Fateor; ſed, ut recte ſapienterque obſervatum eſt a *Petavio*, nullum hoc habet ſceleris argumentum. Minime, namque decere viſum eſt ut ei, qui juſta etiam & licita, cæde manus, imbuiſſet, ſine piaculo ad tam ſancta myſteria permitteretur aditus. Quemadmodum *Davidi* legimus, quod hoſtilis ſanguinis plurimum fudiſſet, non conceſſiſſe Dominum, ut templum extrueret. Tum digamos in Eccleſia conſtat, non abſque pœnitentia ad communionem admiſſos, tametſi ſecundæ nuptiæ neutiquam illicitæ cenſerentur. Ex canone autem *Baſilii* liquet, primum nullam legitime, & pro honeſta cauſa pugnantibus irrogatam ex antiquo pœnam fuiſſe; deinde ne legis quidem, ac præcepti vim habere, ſed conſilii ſanctionem illam *Baſilii* [2]. Ex quo conſequens eſt, ne ab *Nicænis* quidem Patribus contra milites decretum illud editum fuiſſe. Nam cujus judicii eſt, tantam in illos pœnam conſtitutam putare, qui militiæ nomen dediſſent?

Quid? Si *Titum Boſtrenſem*, gravem imprimis ſcriptorem, ac veterem, & *Lactantium Firmianum* in ea fuiſſe ſententia exiſtimare quis poſſit, ut fas non eſſe Chriſtiano ad bellum proficiſci arbitrarentur? Ac *Titus* quidem in ſecundo contra *Manichæos* libro, *juſtum*, inquit, *bellare non decet*. *Lactantius* autem in ſexto Epitomes Divinarum Inſtitutionum capite: *Quid tam orribile*, inquit, *tam tetrum*, *quam hominis trucidatio? Ideo bella execrabilia ſunt*. Similia autem perſequitur capite ſeptimo ejuſdem libri, & *l. 5.* inſtitutionum capite decimo ſeptimo, quæ plane efficere videntur, abeſſe a militia Chriſtianos homines oportere.

Scio redargui a *Petavio* [3] *Titum*, quaſi falſam eſſet *Tertulliani*, ejuſque ſimilium ſequutum opinionem. Veruntamen cur ejus dicta de bello aut injuſto, aut ſine gravi cauſſa ſuſcepto intelligi nequeant, oſtendi mihi ſi non perſpicuis, at probabilibus argumentis ſaltem vellem [4]. Fac autem de juſto ſcripſerit. At quo ſenſu non

,, vel ſine ullo periculo, vel ſine alio ejuſmodi, quod per *Licinii* tyrannidem contigit viſum eſt Synodo, etſi humanitate indigni ſunt clementia tamen, & benignitate in eos uti. Quicumque ergo ſincere pœnitentia ducuntur, tres annos inter auditores fideles exigent, & ſeptem annis proſternentur, duobus autem annis, abſque oblatione, erunt orationum cum populo participes". Ex hoc canone conſtat de his, qui lapſi ſub *Licinio* fuerunt, Synodum agere adeoque canonem ſequentem de reverſis ad caſtra, cum *Licinius* imperaret, eſſe intelligendum. Sic autem habet *Canon* XII. *ibid.* Οἱ δὲ προσκληθέντες μὲν ὑπὸ τῆς χάριτος καὶ τὴν πρώτην ὁρμὴν ἐνδειξάμενοι, καὶ ἀποθέμενοι τὰς ζώνας, μετὰ δὲ ταῦτα ἐπὶ τὸν οἰκεῖον ἔμετον ἀναδραμόντες ὡς κύνες, ὡς τινὰς καὶ ἀργύρια προέσθαι, καὶ βενεφικίοις κατορθῶσαι τὸ ἀναστρατεύσασθαι, οὗτοι δέκα ἔτη ὑποπιπτέτωσαν, μετὰ τὸν τῆς τριετοῦς ἀκροάσεως χρόνον· ,, qui autem vocati quidem ,, a gratia, & primum impetum monſtrantes depoſuerunt cingulum, poſtea vero ad proprium vomitum re- ,, lapſi ſunt veluti canes, ita ut quidam, & pecunias tribuerent, & beneficiis militiam repeterent; hi ,, decem annis poſt trienii tempus, quo inter audientes erunt, proſternantur". Ecquis autem ſi duos ,, hoſce canones conferat, non viderit ad eamdem perſecutionem utrumque ſpectare? Atque ob levitatem ſolum non ob lapſum in ſuperſtitionem & gravem, & condemnandam, tantam pœnam fuiſſe militibus illis inflictam, nemo, ut arbitror, prudens crediderit. Conſule *Balſamonis* & *Zonaræ*, in hunc ipſum canonem commentarios, & interpretationes *Lupi*, Catalani virorum catholicorum, ac *Beveregii* hominis de ſecta Anglorum Epiſcopalium. *Pandect. Jur. Can. Ecc. Orient. tom.* II. *p.* 77. *ſeq.*

1 *Lib.* x. *c.* VIII. *p.* 40. *edit. Cantabr.*

2 Locus ille *Baſilii* confirmat noſtram de Canone XII. Synodi *Nicæna* ſententiam. Nam ſi ait, majores noſtros non numeraſſe in cædibus cædes in bello factas, neque pœnas ullas conſtituiſſe certantibus, indicio eſt iis militibus, qui grave aliquod ſcelus non perpetraſſent, canonem illum Nicænum non poſſe cadere. Alioqui iis, qui militaſſent, aut qui ad caſtra revertiſſent, & criminis datum id fuiſſe, & pœnam graviſſimam inflictam *Baſilius* dixiſſet. Sunt vero illius verba hujuſmodi *epiſt.* CLXXXVIII. *pag.* 275. *tom.* III *op. edit. Paris Monach. S. Mauri*. Τοὺς ἐν πολέμοις φόνους οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν τοῖς φόνοις οὐκ ἐλογίσαντο. Ἐμοὶ δοκεῖν συγγνώμην δόντες τοῖς ὑπὲρ σωφροσύνης, καὶ εὐσεβείας ἀμυνομένοις. Τάχα δὲ καλῶς ἔχει συμβουλεύειν, ὡς τὰς χεῖρας μὴ καθαρούς, τριῶν τῆς κοινωνίας μόνον ἀπέχεσθαι. ,, Cædes in bel- ,, la factas majores noſtri non numerant in cædibus, ignoſcentes, ut opinor, iis, qui pro temperantia & ,, pietate decertant: fortaſſe vero recte, ſi habuerit conſilium dare, ut qui puras manus non habent, ,, triennio ſola communione ſint abſtenti".

3 *Dionyſius Petavius loc. cit. num.* VII. *pag.* 283.

4 Confer *Titum Boſtrenſem lib.* II. *contra Manichæos pag.* 207. *ſeq. tom.* 1. *Antiquar. Lection Canis. edit. novæ Baſnagii.*

non decere ſtatuerit, diſquirendum eſt. Nam ſi eo ſenſu dixit, quo ſecundas nuptias non decere veteres aliquot Patres dixerunt, non video, cur eſſe *Titum* quiſquam reprehendendum putet. Quemadmodum enim illi, etſi criminis eſſe reum non dicebant, qui ſecundas nuptias celebraſſet, eumdem tamen indicium intemperantis animi dare arbitrabantur, ſic *Titus* non decere Chriſtianum arma gerere affirmavit, non quo Rempublicam defendendam ab hoſtibus vi, armiſque inficiaretur, ſed quo eum, qui ad bellum proficiſceretur, & inſtitutum militare amplecti vellet, non mitis, ſed ferocis animi ſpecimen dare, judicaret. Ferocem autem atque immitem eſſe Chriſtianum nemo eſt opinor, qui dicere arbitretur.

Ad *Lactantium* autem quod ſpectat, certum eſt loqui hominem de ſpectaculis, muneribuſque gladiatoriis in Epitome, in quibus homicidia fieri ſolerent. Abhorrere autem ab humana natura homicidium, ſi illud in bello committatur, exiſtimat, multoque magis, ſi neque premente bello, neque principis lege, cum id neceſſitas nulla Reipublicæ poſtulat. Trucidare autem hominem quis neget odioſam [1] rem eſſe. Ac ſolebant Romæ Magiſtratus capitis in reum ſententiam dicturi prætextam deponere, ac perverſam induere veſtem, ut mœrentes, atque invitos id ſe agere ſignificarent. Cujus quidem rei teſtem eſſe *Valerium Maximum*, recte eſt obſervatum a *Petavio* viro docto, & ſumma cum laude verſato in hoc genere ſtudiorum. At conſequens non eſt, nefas hoc apud *Romanos* habitum, capitali judicio reos afficere. Quare propterea quod execrabilia bella *Lactantius* eſſe dixerit, cum in eis ſanguis fundi humanus ſoleat, non ſequitur, ut permitti Chriſtiano bellum non oportere cenſuerit.

Locus alter *Lactantii* eſt hujuſmodi [2]. Vetus præceptum eſt non occidere; quod ſic accipi debet, non tamquam jubeamur ab homicidio tantum, quod etiam legibus publicis jubetur, manus abſtinere, ſed nec juſſione interpoſita nec verbo licebit periculum mortis inferre, nec infantem necare, aut exponere, nec ſe ipſum voluntaria morte damnare. Atque hunc locum, quo jure *Salmaſius* [3] ad bellum contorqueat, ne conjectura quidem aſſequi poſſum. Nam agit *Lactantius* de præcepto divinæ legis, quo vetamur occidere. Caveri tamen a Deo ſcribit, non ſolum nequis occidat ipſe per ſe alterum, ſed etiam ne miniſtro quopiam ad occidendum utatur. Non minus autem peccare eum, qui necem inferat, quam qui jubeat, ut inferatur, ſi privatus uterque ſit, vacetque publica poteſtate. Nam principem, ſi jubeat, non peccare. Jam vero in bello publica eſt Principis poteſtas. Quocirca is *Lactantii* locus nihil ad rem admittit.

Tertius denique ſic habet: „ Juſtus [4], ſi aut æquum ſaucio, aut tabulam nau- „ frago non ademerit, ut ipſe animam „ ſuam liberet, ſtultus eſt. " Hanc ſententiam ut ſibi appoſuit, reſpondit in eos caſus juſtum hominem nnnquam venturum, ut vel equum adimere ſaucio, vel tabulam naufrago neceſſe habeat, ut propriam tueatur vitam, quia neque bellis, neque navigationibus immiſcebit ſe, in quibus hæc evenire ſolent, atque „ cur „ naviget, *inquit*, aut quid petat ex alie- „ na terra, cui ſufficit ſua? Cur autem „ belligeret, ac ſe alicujus furoribus mi- „ ſceat, in cujus animo pax cum homi- „ nibus perpetua verſetur? Scilicet peregrinis mercibus, aut humano ſanguine „ delectabitur, qui nec lucrum ſciat ap- „ petere, cui ſufficit victus, & non mo- „ do ipſe cædem facere, ſed intereſſe fa- „ cientibus, ac ſpectare ducat nefas? Sed „ omitto iſta, quoniam fieri poteſt, ut „ vel invitus ad hæc ſubeunda cogatur. " Hæc ille. Quod ſi [5] univerſe bello Chriſtianis

[1] „ Inventa, *inquit ibid.* conſuetudo quatenus homicidium ſine bello, ac ſine legibus faciant, & hoc „ ſit voluptas, quod ut ſcelus vindicent. Quod ſi intereſſe homicidio ſceleris coſcientia eſt, & eodem „ facinore ſpectator obſtrictus eſt, quo & admiſſor. Ergo & his gladiatorum ſceleribus non minus cruo- „ re perfunditur qui ſpectat, quam ille, qui facit.

[2] *Lactantius* Epitom. *cap* LV. *pag.* 404. & *c.* XVIII. *p.* 406. *edit. Paris. an.* 1748. *tom.* II.

[3] *Salmaſiis de Fen. Trapezit. pag.* 785. *edit. an* 1740.

[4] *Lib. Divinar. Inſtit. qui eſt de Juſtitia cap.* XVII. *p.* 404. *ſeq. tom.* I. *op. edit. an.* 1748

[5] *Lactantius ibid. cap.* XVIII. *pag* 405. *ſeq.* Hujus locum modo deſcriptum ſic explicat, ut dixi, *Dionyſius Petavius lib.* II. *diſſert. Eccl. cap.* II. *num.* X. *ſeqq pag.* 183. *tom.* IV. *De Theologicis Dogmat edit. Venet. Salmaſius de Fen Trapezit. pag.* 786. & *not in Lactantium loc. cit. pag* 406. eos tantum excuſari a *Lactantio* cenſet, qui militare cogebantur. „ Nam illo ævo, *inquit*, non ſolum ſub Imperatoribus gen- „ tilibus,

ſtianis interdictum ſententia *Lactantii* quiſquam exiſtimet, is videat, ne, ejuſdem opinione, ſtatuendum arbitretur, nefas eſſe mercaturam facere Chriſtiano viro. Qua re non equidem intelligo, quid dici excogitarive poſſit obtuſius. Hoc igitur *Lactantii* decretum eſto: noſtris ſponte, ac lucri, vel quæſtus minime neceſſarii, vel ambitionis cauſſa, aut navigandum, aut militandum non eſſe. Fieri tamen interdum poſſe, ut Chriſtianus, ſive quia vitam aliter, quam ii ſartibus, tolerare nequeat, ſive quia Principis imperio cogitur invitus, & ad mercaturam, & ad militiam accedat. Nam quod ſpectat ad cædem, conſtringi eorum, qui navigent, quive militiæ nomen dederint, aliquem quandoque poſſe, ut gratia conſervandæ propriæ, adimat latroni, aut graſſatori vitam. At Gentiles mercaturam faciebant, animumque ad rem bellicam conferebant, ut facultates augere ſuas valerent, ſenſimque viam ſibi ad honores, ac dignitates pararent, quæ cauſſæ procul eſſe a Chriſtiano viro moribus inſtituto debent. Sed quoniam evenit perraro, ut quis aliam ob cauſſam miles, aut mercator ſit, quia id non futurum eſt, nec ut ſit oportet, negat *Lactantius* omnino futurum.

Ac de Lactantii quidem ſententia ſatis dictum eſt. Extremum eſt, ut eorum argumentum refellam, qui cum in Legatione *Athenagoræ*, atque in *Origenis*, aliorumque Patrum libris legerint, Chriſtianum virum non ſolum non perpetrare, ſed ne aſpicere quidem juſtam cædem poſſe concludunt, communi veterum Eccleſiæ Scriptorum conſenſione, nefas eſſe Chriſtiano militiæ nomen dare.

Nam etſi reſponſum breviter illis eſt in ſecundo hujuſce operis libro, cum de prodigio a Chriſtianis in exercitu *Marci Aurelii Antonini* Imperatoris facto diſſererem, paullo tamen copioſius eſſe hoc loco ſatisfaciendum puto. Igitur animadvertendum eſt, *Athenagoram*, *Minucium*, *Origenem*, alioſque veteres, dum hæc ſcribunt, aut de gladiatoriis ludis, aut de injuſta nece, deque nefario infanticidii ſcelere, quod noſtris Ethnici exprobrabant, agere, non de bello, quod a principe illatum hoſti ſit ad defendendam Rempublicam. Itaque illas quidem cædes damnant, hanc vero non item, cum hujus nullam fecerint mentionem. Atque ex iis ſane, quæ aliis in locis iidem ipſi Patres conſtituunt, plane colligitur, quam recta illorum fuerit de bello juſto ſententia. Laudent enim Imperatores, quod hoſtes a finibus arceant, quod graſſatores, fures, publicos denique Imperii inimicos aut puniant, aut bello perſequantur. Hoc *Juſtinus*[1], Hoc *Athenagoras*[2] hoc *Origenes*

„ tilibus, ſed etiam Chriſtianis, cum delectus tyronum ageretur, quibus militaris ætas ac ſtatura eſſet, & qui ejus erant conditionis, ut militiæ vocationem non haberent, ad militare ſacramentum „ adigebantur, nec illud deſerere poterant. Qui ſemel autem id Sacramentum dixiſſent, ante emenſa „ ſtipendia, & niſi ex juſta, ac merita cauſſa impetrata miſſione, diſcedere a ſignis non habuere fas: „ qui aliter militiam deſeruiſſent, capite plectebantur. Ergo illi ſunt, quos invitos ad militiam, ideſt „ trucidandorum hominum legitimam artem ſubeundam ex neceſſitate legum cogi dixit *Lactantius*, & „ quos propterea excuſandos tam ipſe inſinuat, quam Patres Concilii *Nicæni* can. xii. “ Hæc ille. At de his in Canonibus Synodi Nicænæ, ne verbum quidem aut veſtigium ullum eſt, ut paullo ante vidimus. De *Lactantii* loco, ut ſit explicandus, demonſtratum jam eſt. Quare ceſſo, ne actum agam. De iis, qui definitam ſtaturam, ætatemque haberent, cogerenturque militiæ nomen dare, confer Acta S. *Maximiliani* Martyris *apud Ruinartium pag. 263. ſeq. edit. Veron.*

1 *Juſtinus* Martyr *Apologia* 1. *num.* 8. *ſeq* jure ab iis, qui publica poteſtate præditi ſint, occidi maleſactores ſtatuit, rapique in extremum cruciatum. Quare ſi tales Chriſtiani eſſent, jure eos puniri, ſin minus, libere eos in civitate verſari permitterent; & *Apolog.* II. *num.* II. *pag.* 93. *ejuſd. edit. ann* 1747.

2 Hoc idem ſcribit *Athenagoras in Legatione num.* 2. *pag.* 298. *ſeq. edit. op. Juſtini* 1747. Juſtam autem cædem, qui nominat, nonne is inferri eam malefico jure poſſe oſtendit ab eo, qui publica polleat auctoritate? Quod ſi non decere, ut Chriſtianus privatus juſtam cædem aſpiciat, adjungit, is recte quidem adjungit, non quod juſtam reprobet cædem, ſed quod non eſſe hominem privatum ſævitiæ judicium dare, & hujuſmodi cædi intereſſe. Rurſum ipſe *Legat. num* xxxiv *pag.* 332. „ Quos ſciunt ne juſtæ quidem cædis aſpectum ſuſtinere, qui eos accuſaverit, vel occiſi hominis, vel vorati? Quis gladiatorum vel ferarum ludos, præſertim ſi a vobis dentur, non plurimi faciat? Nos autem eum homicidium ſpectare „ pene idem eſſe ac perpetrare arbitremur nuncium his ſpectaculis remiſimus. Cædem igitur quomodo „ perpetrare poſſumus, qui eam ne ſpectandam quidem ducimus, ne ſcelus & piaculum nobis impingamus “? *Epiſt Eccl. Galliæ ad Eccleſ. Aſiæ, & Phrigiæ de Bibliade Martyre* hæc habentur? „ Verum illa „ reſipuit inter cruciatus ac veluti ex altiſſimo ſomno excitata eſt, præſenti ſupplicio de æternæ gehennæ cruciatibus ipſam ſubmonente, & contradiceat impii, qui fieri poteſt, *inquit*, ut infantes comederant, quibus ne ſanguinem quidem animantium deguſtare liceat “? *Lib. v. Hiſt Eccleſ. apud Euſeb. cap.*

1. *pag.*

nes [1], hoc *Minucius* [2] *Felix*, uno verbo, hoc omnes ſtatuunt, niſi *Tertullianum*, & *Originem* fortaſſe de quibus ſupra dixi, exceperis. Sed de militibus haſtenus. (*a*) Sequitur, ut explicem, ulli ne Chriſtiani primis Eccleſiæ temporibus mercaturam facerent. Igitur qui in patria manerent, utque ſe, familiamque alerent, merces, quas ſibi pretio comparaverant, divendere ſolerent, aliquos; qui vero agendæ amplificandæque rei familiaris, magnarumque opum amplificandarum cauſſa, itinera longa ſuſciperent, vitamque ſuam multis gravibuſque periculis exponerent, aut nullos fuiſſe, aut ſane perpaucos arbitror. Cum enim mediocri victu plerique omnes, veſtituque ſatis modeſto uterentur, atque ab avaritia, luxu, faſtuque, ut paullo ante oſtendimus, diſtarent, haberentque magiſtros, qui dicerent [3] indicia animi cupidi pecuniæ dari ab iis, qui rebus ſuis minime contenti, naves conſcenderent, crebris commeatibus merces importarent, & in *Romana* & in remota ab *Romanorum* ditione loca, ac novam in patrias inferrent, iiſque incommodis, ſe, periculiſque objiceret, quæ fortaſſe aut ægre, religionis cauſſa, aut nullo modo ſubiiſſent; ab eo

1. *pag.* 203. *edit. Cantabrig.* At *Vetius Epagathus*, *ibid. pag.* 199 Merito puniendos fuiſſe Chriſtianos dixit, ſi rei eorum ſcelerum eſſent, qui eiidem attribuebantur.

1 *Origenes* lib. III. contra *Celſum num.* VII. *tom.* I. *op edit. Pariſ. Monach. S. Mauri*, nullius hominis cædem licitam eſſe Chriſtiano dicit. Nam publica auctoritate cum carerent, neque occidere ipſi per ſe jure quemquam, neque jubere ut occideretur, poterant. At recte bella inferri ab iis, qui reipublicæ præſint, docet alio loco, ut ſupra conſtitit.

2 *Minutius Felix* in *Octav. pag.* 399 *ſeq* „ Nobis homicidium nec videre fas, nec audire “. Confer etiam *Arnobium lib.* 1. *pag.* 5 *edit. an.* 1651. ubi „ Quamquam iſta, quæ dicitis, *inquit*, bella re„ ligionis noſtræ ob invidiam commovari, non ſit difficile comprobare, poſt auditum Chriſtum in mun„ do non tantum non aucta, verum etiam majori ex parte furiarum compreſſionibus imminuta. Nam „ cum hominum via tanta magiſteriis ejus acceperimus, ac legibus, malum malo rependi non oportere, „ injuriam perpeti, quam irrogare eſſe præſtantius, ſuum potius fundere, quam alieno polluere manus, „ & conſcientiam cruore, habet a Chriſto beneficium jamdudum orbis ingratus, per quem feritatis mol„ lita eſt rabies, atque hoſtiles manus exhibere a ſanguine cognati animantis accepit. Quod ſi omnes „ omnino, qui homines ſe eſſe non ſpecie corporum, ſed rationis intelligunt poteſtate, ſalutaribus ejus „ pacificiſque decretis aurem vellent accommodare pauliſper, & non faſtu, ac ſupercilio luminis ſui „ potius ſenſibus, quam illius comminationibus crederent, univerſus jamdudum orbis mitiora in opera „ converſis uſibus ferri, tranquillitate in molliſſima degeret, & in concordiam ſalutarem incorruptis fœ„ derum ſanctionibus conveniret “. At is non negat adverſus hoſtes arma, ſi pernicies reipublicæ im„ pendeat, eſſe ferenda. Militum autem Chriſtianorum inſcriptiones ſepulchrales extant apud *Aringhium*, *Boſium*, *Boldettum* &c. Nos unam alteramque ex *Boldetto pag.* 416. huc transferemus.

FELICISSIMUS MILES R. QUI HABUIT UXOREM
TECLAM IN PROVINCIA HISPANICA VIXIT
ANN. P. M. LXV. M. III. DEP. X. KAL.
OCT. IN P.

Et pag. 415.

SECUNDINO BENEMERENTI QUI VIXIT ANNOS XLII.
B N. F. PRAEF. PRAET. QUIESCIT IN PACE VI. ID. AUG.

Reperta hæc inſcriptio *Secundini* Beneficiarii Præfecti Præt. in Cœmeterio *Callisti* eſt. Atque hunc eum *Secundinum* eſſe putat *Boldettus*, cujus fit in Martyrologio *Hieronymiano* apud *Florentinum pag* 740. commemoratio, quod depoſitionis dies conveniat. Utcumque ſeſe res habeat, hoc certum eſt, Beneficiarios fuiſſe milites. Vide *Vegetium Lib* II. *de re militari cap.* VII. *pag.* 37. *edit. an* 1670. & edictum *Maximini* apud *Euſeb. Lib.* IX. *Hiſt. Eccl. cap.* IX. *pag.* 454. edit. *Cantabrig.* & Acta *SS. MM. Fructuoſi &c.* apud *Ruinartium p* 192. *edi. Veron.*

3 *Tertullianus lib. de Idololatria cap.* XI. *pag.* 91. *edit. Veneta an.* 1744. „ Negotiatio ſervo Dei apta „ eſt? Ceterum ſi cupiditas abſcedat, quæ eſt cauſa acquirendi, non erit neceſſitas negotiandi “. Paullo ante dixerat. „ De negotiationibus cetera delictorum recogitemus, & imprimis cupiditatem radicem „ omnium malorum, qua quidam irretiti, circa fidem naufragium ſunt paſſi ec. “ *Lactantius Lib.* V. *cap.* XVIII. *Divin. Inſtit. pag.* 405. *edit an.* 1748 Primum omnium nego ullo modo fieri poſſe, „ ut homini, qui quidem vere juſtus ſit, ejuſmodi caſus avenlat, quia juſtus, neque cuiquam nato ini„ micus eſt, neque quidquam omnino appetit alienum. Cur enim naviget, aut quid petat, ex aliena „ terra, cui ſufficit ſua “? Mitto ceteros Patres, ut *Clementem Alexandrinum*, ut *Origenem*, &c. ne ſim longior quam oportet.

(*a*) Sed de hac quæſtione vide etiam Sigiſmundi Jacobi Baumgarten *exam. ſententiæ Veterum Chriſtianorum de militia* Halæ editum an. 1742. recuſumque an. 1745. *Zach.*

eo genere mercaturæ deterrebantur. Atque hinc factum exiſtimo, ut maximo [1] numero Chriſtiani, quamvis, rebus omnibus abundarent, pauperes tamen dicerentur, & eſſent. Nam qui aut ſponte privabant, ut commodis Eccleſiarum conſulerent, facultatibus fuiſſe [2], aut iis, quas poſſidebant, etſi tenues eſſent contenti erant, abſtinebantque a mercatura, mutare ſtatum, augereque fortunam ſuam qui poterant?

Venio ad medicos. Horum ſive artem ſive facultatem, cum majores noſtri in pretio habendam putarent [3], propterea quod in ſacris litteris legiſſent, honorandum eſſe medicum propter neceſſitatem, numquam impedierunt, quin eam Chriſtianus profiteretur. Ac *Lucam* ſane medicum [4] fuiſſe, auctor eſt *Paulus Apoſtolus*; in iis litteris, quas ad *Coloſſenſes* ſcripſit. Sunt præterea qui *Coſmam*, & *Damianum* Martyres [5], in medicis numerandos putent; a quibus nulla eſt cauſſa, cur diſſentiam. Atque ut cetera monumenta prætercam, exſtant in *Roma ſubterranea* inſcriptiones ſepulcrales [6] aliquot iis poſitæ qui medicinam exercuiſſent. Eas autem, etſi quo tempore ſculptæ fuerint, non ſatis liquet, vetu-

---

1 *Juſtinus* Epiſtola ad *Diogetum n.* v *pag.* 249. *edit. op. an.* 1747. „ Mendici ſunt, *inquit*, *Chriſtia-* „ *ni*, & multos ditant, & rebus omnibus indigent, & omnia illis redundant “. Vide *Tatiani* locum ſupra deſcriptum *pag.* 277 *not.* 1. *hujus vol. Minucium Felicem Octav pag.* 335. *edit. an.* 1672. & *Lactantium lib.* VI. *cap* XII. *divin. Inſtit. pag.* 469 *T.* 1 *edit. Paris. an.* 1748. Nullos autem mercatores Chriſtianos, qui in regiones a patria longe diſtantes proficiſci ſolerent, memorari a majoribus noſtris dixi, non quo conjectura concludi non poſſe arbitrarer, horum aliquos olim vixiſſe, ſed quo nominatim, diſtincteque nullos indicatos viderem. Conjectura autem hæc eſt. Si Epiſcopi aliqui ſæculo III. in alias provincias contendere mercaturæ cauſſa audebant, quæ res cum eorum inſtituto, ac dignitate pugnabant, multo magis laicos, qui familiam alerent, idipſum facere cœpiſſe credibile eſt. Ac *Cyprianus* quidem in eo libro, qui de *Lapſis* inſcribitur *pag* 123. *edit. Oxon.* „ Derelicta, *inquit* (De Epiſcopis quibuſdam „ agens) Cathedra plebe deſerta, per alienas Provincias oberrantes, negotiationibus quæſtuoſæ nundi- „ nas aucupari *non dubitarunt*.

2 *Minut Octav. pag* 335.

3 Adeundus *Clemens* Alexandrinus *lib.* II. *Pædagogi cap.* VII. *pag.* 179 *edit. Paris. an.* 1641.

4 *Ad Coloſſ. cap.* IV. *v.* 15. *Salutat vos* Lucas *medicus cariſſimus*. Medico quæ diximus *Tom.* V. *Hiſt. litter. Ital. p.* 511. Confer de Luca *Zach.*

5 Confer *Leon. Allat. Syntagm. Hiſt p.* 3. 5. 9 24 *ſeq. edit. an* 1660.

6 *Arnobius lib.* II. *contra Gentes pag.* 44. *edit. ann.* 1651. „ Nulla jam natio eſt tam barbari moris & „ manſuetudinem neſciens, quæ non ejus amore verſa molliverit aſperitatem ſuam, & in placidos ſen- „ ſus, aſſumpta tranquillitate migraverit... Magnis ingeniis præditi Oratores, Grammatici, Rhetores, „ Conſulti juris Medici, Philoſophiæ etiam ſecreta rimantes, magiſteria hæc expetunt, ſpretis quibus „ paullo ante fidebant... Ab Dominis ſe ſervi cruciatibus affici, quibus ſtatuerint, malunt, ſolvi con- „ juges matrimoniis, exhæredari a parentibus liberi, quam fidem rumpere Chriſtianam, & ſalutaris mi- „ litiæ Sacramenta deponere... Cum genera pœnarum tanta ſint a vobis propoſita religionis hujus ſe- „ quentibus leges augetur res magis & contra omnes minas, atque interdicta formidinum animoſius po- „ pulus obnititur, & ad credendi ſtudium prohibitionis ipſius ſtimulis excitatur. An numquid hæc fieri „ paſſim, & inaniter creditis, fortuitis incurſibus adſumi has mentes? Ita ne iſtud non divinum, & „ ſactum eſt, aut ſine Deo eorum tantas animorum fieri converſiones, ut cum carnifices, unci, aliique „ innumeri cruciatus, quemadmodum diximus, impendeant crediturus, velut quadam dulcedine, atque „ omnium virtutum amore correpti cognitas accipiant rationes; atque mundi omnibus rebus præponant „ amicitias Chriſti „? Hunc ego locum *Arnobii*, etſi longiuſculum deſcripſi, ut ejus auctoritate qui extremo ſæculo III. atque ineunte IV. floruit, cognoſceretur, non ſolum jurecconſultos, grammaticos, rhetores, oratores, philoſophos, ac medicos, ſed etiam innumerabiles alios Chriſtianos fuiſſe factos, iiſque moribus vixiſſe, de quibus hactenus dictum eſt. Primum enim amore erga Chriſtum eos flagraſſe; deinde manſuetudinem, quum ante efferati, barbarique eſſent, coluiſſe; poſt patientes forteſque fuiſſe, ut ſtudio religionis minas ſuppliciaque contemnerent; omnes denique virtutum deſiderio convertiſſe eos ad ſacra Chriſtianæ religionis animum, iiſque fuiſſe initiatas plane oſtendit. Extant præterea inſcriptiones quædam ſepulcrales in Cœmeteriis veterum Chriſtianorum repertæ, ex quibus conſtat, medicam vel artem, vel facultatem probatam majoribus noſtris fuiſſe. In Cœmeterio *Gordiani* inventa hæc eſt, quam refert *Boldettus pag.* 416.

LIMENIO MEDICO FRATRI CA-
RISSIMO QVI VIXIT ANNOS XXXIII.
MNES III. DIE.

veruſtiſſimas tamen eſſe, nemo, ut opinor, negaverit. Jam vero medicus [1] Martyr, cujus eſt epitaphium a *Boldetto* deſcriptum prænomen ne an nomen Medici ſortitus ſit, an contra ei ſe facultati dediderit, mihi eſſe fateor incompertum. Quod ſi ſunt qui prænomen, aut nomen ejus viri proprium eſſe pugnant, eis, equidem non reſiſtam.

Libertos autem Cæſarum, Senatorumque *Romanorum* officiis, muneribuſque fuiſſe perfunctos, quæ propria eſſe eorum ſolerent, neminem eſſe arbitror poſſe, qui neget. Itaque horum aliqui ſcribæ [2] fuerunt, aut a cubiculo [3], aut arcarii [4], aut curatores earum rerum, quibus præfici liberti conſueverant.

Atque alios item in Palatio fuiſſe, qui ampliſſimis, vel mediocribus, infimiſve muneribus fungerentur, Chriſtianos veriſimile eſt. Quis enim prudens exiſtimet, nullum eorum, quos *Septimius Severus* norat, nobiliſſimorum virorum, ac matronarum [5] Chriſtianis partibus ſtudere, aut eorum, qui apud *Alexandrum* [6] *Severum* apud [7] Philippos, apud *Diocletianum* [8] initio

1 *Boldettus l. II. cap* xxx. *pag.* 387.

☧ Ω. HIC RE
Q. E S C I T M E
D I C U S M R X
C U M P L U R I B
I. P. C. Q. E. S.
T. B. A M.

Quod epitaphium ſic equidem interpretarer: *His requieſcit Medicus Martyr Chriſti cum pluribus in pace quieſcentibus aliis Martyribus* * Vereor tamen, ut *Medici* nomen medicam artem ſignificet: proprium enim Martyris fuiſſe nomen videtur, ut etiam monebam *hiſt. Litter. Ital Tom. V. pag.* 512. quem locum adi. * *Zach.*

2 His enim aliiſque muneribus functos plerumque libertas fuiſſe conſtat. Atque eos Chriſtianos, quos in domo *Cæſaris Neronis* fuiſſe ſcribit *Paulus* Epiſt. *ad Philipp.* 4. *v.* 22. nullum obiiſſe munus, quis credat? In his autem *Epaphroditus*, ut pleriſque volunt, *Neroni* Auguſto a libellis fuit, quem *Epaphroditum Domitianus* capitis condemnavit, ut eſt apud *Suetonium* in *Domitiano* cap xiv. De *Epaphrodito Neronis* liberto cæſo ſub *Domitiano* vide etiam *Dionem* lib. xxvii. p 766. Eumdem hunc fuiſſe atque *Epaphroditum Joſephi* Hiſtorici amicum exiſtimat *Pearſonus Annal. Prior. Episcop. p.* 172. Chriſtianum fuiſſe cenſent *Dambuzius*, aliique.

3 Inſcriptiones duas refert *Muratorius* Tom. iv. *Theſauri Inſcription. pag.* 1857. Sed cujus ſint ætatis neſcio. Prior quam accepit ex *Margarino*, ſic habet.

LOC. DECI. CVBICULARI. HY....
QUIESCIT CARO MEA NO...
P. M. CREDO RESUSC...
XV. KAL. IVN. ET ITER P...

Altera, quam ad eum miſit *Joſephus Blanchinius* vir eruditiſſimus, & amicus noſter, extabatque in S. Martini, & Silveſtri, eſt hujuſmodi. Sed eadem hæc mihi, atque ſuperior videtur.

DESIDERI. CUBICULARI AUG..,
REQUIESCIT CARO MEA NO...
PM. CREDO RESVSC...
V. KAL. IVN. ET IT RR. P.

4 Vide *Epiſt. ad Rom. cap.* xvi. *v.* 23. & Interpretes in eum locum.

5 Confer *Tertullianum lib. ad Scapulam cap.* iv. *pag.* 71. *edit. Veneta* 1744.

6 *Euſebius lib.* vi. *Hiſt. Eccl. cap.* xxviii. *pag.* 293. *edit Cantabrig.*

7 *Euſeb. lib.* vi. *cap.* xxiv *pag.* 298. *edit ejuſd.*

8 *Euſebius lib.* viii. *cap.* I. *pag.* 376. Etſi enim monumenta deſint, ex quibus efficiatur, quo quiſque munere functus ſit, tamen cum in domo Cæſaris eſſent, aliquod quidem eos obtinuiſſe, concedendum omnino eſt. Sæculo iv. & v. nullum eſt dubium, quin Chriſtiani imprimis hujuſmodi officia obirent. Ego vero ne ſim longus hoc unum exſcribam ex *Aringhio*, quod eſt de *veſtitore Honorii Tom.* 1. *Roma ſubterrana* pag. 417.

HIC POSITUS EST BENEMERITUS EL
VESTITOR IMPERATORIS QUI VIX
DEPOSITUS D. OCT. KAL. SEPTEMR.
DOMINI HONOR AUG. VI. COSS.

tio erant, Chriſtianorum, nihil in aula Cæſaris egiſſe? Ego autem facile mihi perſuadeo nullum fere officium Auguſtæ domus fuiſſe, quod non ſub aliquo Imperatore aliquando non obtinuerint quidam eorum, qui Chriſtianam religionem profiterentur; ſive ii nobiles fuerint, ſive cives, ſive etiam e numero libertorum.

Nutrices præterea egiſſe mulieres [1] Chriſtianas, viroſque munus interdum obiiſſe nutritorum, certa atque explorata res eſt. Erant etiam inter noſtras, atque ii quidem majore numero cenſebantur, qui labore manuum, ut dixi, victum acquirerent. In his argentarii [2], purpurarii [3], ſculptores [4] muſivi operis [5] artifices, pictores,

---

1 Vide locum *Tertulliani*, quem ex libro ad *Scapulam* deſcripſi ſupra Tom. II. pag. 476. In eo enim *Antoninum Caracallam* lacte Chriſtiano educatum ſcribit. Apud *Aringhum* Tom II. *Roma ſubterr.* pag. 263. inſcriptio eſt nutrioris, quæ ſic habet.

ΤΟΠΟΣ ΑΝΑΠΑΥCΑΙΩC
ΑΜΜΟΝΙΟΥ ΚΑΙ ΕΥΤΙΧΕΙΟΥ
ΘΡΕΠΤΟΥ

Locus quietis Ammonii, & Eutichii *nutricii*. Hanc accepit a *Boſio*, ut & alteram ibid. pag. 267. nutricis *Paulinæ* inſculptam ſacrophago, quæ eſt hujuſmodi.

ΕΝΘΑΔΕ ΠΑΥΛΕΙΝΑ
ΚΕΙΤΑΙ ΜΑΚΑΡΩΝ
ΕΝΙ ΧΩΡΩ
ΗΝ ΚΗΔΕΥΣΕ ΠΑΚΑΤΑ
ΕΙΝ ΘΡΕΠΤΕΙΡΑΝ
ΓΛΥΚΕΡΗΝ
ΑΓΙΑΝ ΕΝ ΧΡΙΣΤΩ

Hic Paulina *jacet beatorum in choro, quam ſepelivit* Pacata *ſuam nutricem dulcem ſanctam in Chriſto*. Mitto ceteras, ne ſim longus.

2 Confer *Euſebium lib. v. cap.* xxviii. H. E. *pag.* 253. *edit. Cantabrig.* Atque argentarios, ſeu trapezitas, vel nummularios egiſſe præterea aliquos noſtrum quiſpiam diceret, ſi Chriſtianorum eſſet vitrum cœmeteriale, quod *Boldettus* pag. 212. exhibet in quo figuræ nummulariorum duorum ſunt depictæ, & circumſcriptum epigramma BIS ANDRESCO ſupplet *Boldettus* ILYBISTAE: Duo viri nummularii. Sed Ethnicum eſſe, atque in cœmeterium illatum, neſcio quo caſu, a Chriſtianis, idem ipſe *Boldettus* animadvertit. Hoc nos vitrum æri incidi, & pag. 77. hujus vol. imprimi curavimus.

3 Vide Acta Apoſt. c. xvi. v. 14. ubi *Lydia πορφυρόπωλις purpuram vendens* nominatur.

4 Niſi enim ita ſe res haberet, non tot extarent in cœmeteriis Chriſtiana monumenta, neque tot ſarcophagi, quot videmus. Itaque *Tertullianus in libro de Idololatria c.* III. IV. & V. *pag.* 86. *edit. ann.* 1744. vixiſſe olim ſculptores Chriſtianos indicat, ut qui aliquos memoret ſeſe excuſantes, quod idola fingerent ejenteſque ſe aliunde non poſſe vivere. *Eutropius* autem, quem *Fabrettus pag.* 587. *Inſcript. domeſt.* Martyrio tandem coronatum ſcribit, ſculptor fuit Confer *Fabret. ibid. Boldett. Oſſerv. ſopra i Cimiterj de' SS. Martiri p* 316. ſapienter animadvertit qui ea ſepulcra, quibus inſculpta inſtrumenta alicujus artis ſunt, indicare quam homo ibidem conditus artem profiteretur. Atque hunc refert lapidem, cui inſcriptum eſſe malleum, & alia quædam inſtrumenta ſculptoris video, & inſcriptionem, quæ ſic habet.

MAETIO. APRILI. ARTIFICI SIGNARIO. QUI. VIXIT.
ANNIS. XXXVII. MESES. DUO. DIES. V. BENEMERENTI. IN.

Confer ceteras inſcriptiones, quas refert *pag. eadem ſeq.* Harum ſimiles extant apud *Aringhum*, *Georgium*, *Lupium* &c

5 Cum enim Ethnici has artes colerent, numquam crediderim fuiſſe omnino a Chriſtianis neglectas. Etſi enim, ut alio loco dixi, idololatriæ metu deterriti pleique omnes fuerint, quo minus iis ſeſe darent, tamen aliqui eaſdem coluerunt, qui in hoc genere non iam excellentes, ut gentiles ſolebant fuerunt. Ac de muſivis quidem operibus Chriſtianorum egit *Ciampinus*. Speramus autem fore, ut *Gorius* de eodem argumento longe copioſiorem librum edat. Quin etiam illuſtriſſimi, doctiſſimique Præſulis *Furietti* Sacræ Congregationi Concilii Secretii: De ſacris & profanis muſivis operibus egregium opus prope diem expectamus. Conſule interea *Boldettum* pag. 338. qui de monogrammate Chriſti agens „. Nel Cimiterio, „ inquit, di *Ciriaca*, e di *Priſcilla* più volte ho rinvenuto queſto ſegno lavorato a moſaico ſopra qualche tavola di terra cotta“. Et *pag.* 352. & 528. Et *Lupium de Monum. S. Severæ* pag. 29. Mitto *Aringhum* alioſque, qui ſimilia exhibent in Cœmeteriis Urbis reperta.

ctores [1], lapicidæ [2], fabri ferrarii [3], figuli [4], coriarii [5], ſcenofactores [6], ſcenatii, textores [7], carbonarii [8], agricolæ [9], ruſticæque totius rei [10] cultores, bajuli [11], cuſtodes carinarum [12], ſutores [13], ſectores [14], lignorum, piſcatores caupones &c.

---

1 Confer *Tertullianum* l. c. Ac Pictores Chriſtianos olim viguiſſe conſtat ex picturis, quæ extant in Cœmeteriis, quaſque referunt *Boſius*, *Severanus*, *Aringhius*, *Boldettus* aliique. Tam enim ſunt earum permultæ rectè delineatæ, ut vetuſtiſſimas ſeſe prodant. Sed de hac re alias opportune. De picturis in vitris expreſſis adi *Bonarotium Praef. operis inſcripti: Oſſervaz. ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro ornati di figure*.

2 Conſule *Aringhum tom.* II. *Rom. ſubterr. pag.* 168. *ſeq.* & *pag.* 684.

3 *Muratoris* tom. IV. *Inſcrip. pag.* 1868 *num.* 6. inſcriptionem in Cœmeterio *Gordiani* inventam refert, quæ eſt hujuſmodi.

EVTIGIO FABRO FERRIO
QUI BI QUIE
ANN XXII KAL. DICES
SIT SIT

Eutichio Fabro ferrario, qui vixit ann. 22. *quieſcit deceſſit Kal.* Vide *Theodoretum* ſerm. VIII. *Therapeu*

4 Confer *Boldettum pag.* 337. Non enim is ſum, qui lucernas fictiles, quibus eſſent ſymbola Chriſtiana impreſſa Ethnicis fuiſſe elaboratas putem. Earum nos aliquas ſupra dedimus, auctoreſque numeravimus, qui eaſdem ediderunt.

5 Conſule *Euſebium* libro V. *Hiſt. cap* XXVIII. pag. 255. *Act. Apoſt.* c. IX. X.

6 *Baronius ad ann.* 329. *num* XVIII. „ Ars ſcenofactoria, inquit, dicebatur, qua ex pellibus facienda „ conſueret tabernacula, quibus milites merentur in caſtris. Hanc artem profeſſum fuiſſe Aquilam apud „ quem manſit *Paulus*, auctor eſt *Lucas Act. Cap.* XVIII. Confer interpretes in eumdem Actor. locum. Hoc ſenſu intelligi inſcriptionem hunc oportere cenſet Aringhus tom. 2. Pag. 416.

HIC JACET NOMINE MATRONA C. F. IN PACE
VXOR CORNELII PRIMICERI CENARIORUM
FILIA PORFORI PRIMICERI MONETARIO
RVM QVE VIVIT P. M. ANNIS XXIII. QVE RECESSIT
DIE MERCVRIS HORA VIII. ET DEPOSITA DIE
IOVIS IDVVM MAIARVM IN CONTRA
COLOMNA VII. CONSFL HERCVLIANI V. C.

Nam pro Canariorum legendum eſſe Scenariorum putat. Sed parvi refert quoquo tandem modo legendum ſit cum inſcriptio ad quintum Eccleſiæ ſæculum ſpectet. Quare ad rem meam non pertinet.

7 Confer *Lupium Monum. S. Sever. pag.* 28.

8 *Gregorius* Miſſ. *In Vita S. Greg. Neocæſ. p.* 994. tom. II. *edit. ann.* 1625.

9 *Ruinart. Act. SS. M.M. Sincer. pag* 433. *edit. Veron.*

10 *Fabrettus Inſcription. domeſt. pag.* 574.

11 Hinc *Ammonius Saccus* eſt dictus, quod ſacculos ferret. Vide *Euſeb. l.* VI. XIX. *p.* 281.

12 Vide *Aringhum pag.* 605. *tom.* 1. *Rom. ſubterr.*

13 *Anianum* Epiſcopum *Alexandrinum* ſutorem calceamentorum fuiſſe aliqui putant. Vide apud *Baſnagium an.* 66. *num.* XVIII. Apoſtoli fuerunt piſcatores, ut conſtat. De Cauponibus vide *Acta S. Theodoti*.

14 *Aringh. tom.* II. *pag.* 168. Non me latet, aliis item artibus ſeſe Chriſtianos olim dediſſe, quibus victum ſibi, veſtitumque procurare poſſent ut qui magnam partem pauperes, atque ex plebe eſſent. Sed has ego numerandas cenſui. Nam omnes perſequi longum, & laboris plenum, & ab inſtituto meo, qui brevitatem conſector, alienum fuiſſet. *Mam.* * Adeat qui plura cupit, Tomum quintum hiſtoriæ litterariæ Italiæ *pag.* 523. *ſeq.* * *Zacb.*

Digitized by Google

A D C A P U T VI.
P. JOHANNIS CABASSUTII
ORATORII DOMINI JESU
De Veterum jejuniorum Eccleſiæ origine & ritibus.
D I S S E R T A T I O VIII.

I. OPeræ pretium haud exiguum fuerit originis, & legum jejunii Eccleſiaſtici tractationem inſtituere, cujus priſca ſeveritas temporum inſequentium decurſu admodum remiſſa laxataque eſt. Quod vero ad Quadrageſimam ſpectat, ejus origo altius quam ad Teleſphorum Romanum Epiſcopum referenda eſt, qui ſub Antonino Pio Cæſare, Martyr occubuit. Enim vero multis ante hunc annis Sanctus Martyr Ignatius ſic ſcribit ad Philippenſes: *Quadrageſimale jejunium ne ſpernatis, continet enim exemplum converſationis Dominicæ*. Imo jam inde a primordiis Eccleſiæ Apoſtolos inſtituiſſe comperta res eſt, atteſtante Hieronymo epiſt. ad Marcellam: *hos unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anno tempore nobis congruo jejunamus*. Deinde ſubtexit de Montaniſtis hæreticis: *Illi tres in anno Quadrageſimas faciunt, quaſi tres paſſi ſint ſalvatores, non quod ut per totum annum, excepta Pentecoſte, jejunare non liceat: ſed quia aliud ſit neceſſitate munus offerre, aliud voluntate*. Ex quo liquet, ſtatum quæſtionis olim inter Orthodoxos, & Montaniſtas in hoc extitiſſe, quod iſti præter Antepaſchalem Quadrageſimam, ab Apoſtolis inſtitutam, binas alias quaſi ex divino præcepto ſingulis annis obſervarent, quia ſcilicet Montanus, quem Paracletum credebant, ita juſſerat.

II. Sanctus præterea Pontifex Leo ſerm. 42. qui eſt 6. de Quadrageſima, *Ut Apoſtolica* (inquit) *inſtitutio quadraginta dierum jejuniis impleatur*. Idemque ſerm. qui eſt ſecundus de jejunio Pentecoſtes, & ſerm. 92. qui eſt nonus de jejunio decimi menſis, quatuor temporum jejunia decimi menſis Apoſtolicæ adſcribit. In profeſtis magnarum ſolemnitatum indixerat ſacra traditio jejunia ſimul cum vigiliis, ut fidem faciunt Clemens lib. 5. conſtitut. Apoſtol. cap. 19. Tertull. lib. 2. ad uxorem: Euſeb. lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 7. & plerique alii veteres. At poſterioribus ſæculis ob gravia offendicula, quæ occaſione nocturnorum in Oratoriis conventuum naſcebantur, ceſſatum demum fuit a vigiliis, & retenta ſunt ſola jejunia.

III. Jejuniorum diebus non a carnibus ſolum, ſed a vino quoque oleoque abſtinendum erat. Id pleriſque veterum teſtimoniis comprobatur. Laodicenæ Synodi can. 50. decernit ſervandam totam Quadrageſimam in Xerophagia: Δει πασαν τεσσαρακοςὴν νηςεύειν ξηροφαγοῦντας. *Oportet totam Quadrageſimam jejunare aridis veſcentes*. Quid ſit Xerophagia, ſeu aridorum victus exponit Tertull. lib. adverſus Pſychios dicens: *Xerophagiam obverſamus ſiccantes cibum ab omni carne, ab omni jurulentia, & uvidioribus quibuſcumque pomis, ne quid vinoſitatis, vel edamus, vel potemus*. Teſtantur inſuper S. Baſilius ſerm. 1. de jejunio, Theophilus Alexandrinus epiſt. paſchali 3., aliique veteres ſcriptores. Chriſtianos jejunantes abſtinuiſſe a vino, & eſu carnium. Carnis prohibitæ nomine piſces comprehendebantur; nomine quoque jurulentiæ, oleum, cæteraque conditione, præter ſal: omne quippe mactabile, ut ait Trullana Synodus, arcebatur a jejuniis *can. 56. Jejunium perficere oportet, & abſtinere quemadmodum ab omni mactabili, ſic & ab ovo & caſeo*. Quæ quidem obſervantia, ab antiquo deducta, in hanc uſque ætatem ad ſchiſmaticas Orientis Eccleſias defluxit. Græcos enim tota Quadrageſima piſcibus minime veſci, teſtis eſt Balſamon ad Apoſt. can. 69. imo etiam quartis & ſextis feriis per totum decurrentem annum, adeo ut nec ægrotis ipſis diſpenſetur circa piſcium eſum, in ipſo mortis confinio, ut

ut idem refert Balſamon. Et ſcribunt diverſi, qui utramque Armeniam peragrarunt, Armenos, qui fere omnes Euthychetis dogmata conſectantur, nec piſcibus jejuniorum diebus veſci, nec vinum bibere, nec oleum adhibere ad olera. Præterea S. Baſilius homil. 1. de jejunio: *Carnes* (ait) *non edis, vino abſtines, veſperam expectas, ut cibum capias*. Theophilus pariter Alexandrinus Epiſcopus, in epiſt. Paſchali ad diverſas Eccleſias Ægypti, ita ſcribit: Qui legum præcepta cuſtodiunt, ignorant vinum in jejuniis, & carnium uſum repudiant. Idemque Theophilus in interrogationibus, & reſponſionibus canonicis, ſic edicit: Decimo quæritur, an qui ex infirmitate contabuerit, poſſit veſci oleo, & vino tempore Quadrageſimæ? & reſpondemus poſſe. His aſtipulantur Cyrillus Jeroſol. catecheſi 4. Illuminatorum, ſcribens: *Jejunamus & a vino carnibuſque nos abſtinemus, non ea quaſi piacula abhorrentes, ſed mercedem expectantes, ut dum ſenſibus grata reſpuimus, ſpirituali cœleſtique menſa fruamur*. His ſanctus accedit Hieronymus in hæc verba Dan. 4. *Panem deſiderabilem non comedi, hoc enim docemur exemplo tempore jejunii a cibis delicatioribus abſtinere, nec vinum bibere, nec carnem comedere*. Sunt & alia propemodum innumerabilia priſcorum Patrum ad iſthæc confirmanda teſtimonia.

IV. Quadrageſimale jejunium, continuis duodecim ſæculis, non niſi veſpere, ac tribus poſt horam nonam horis, ſolvi licitum fuit. Reliqua vero per annum jejunia non niſi poſt horæ officium ſolvi conſuetum erat, id eſt poſt emenſas tres a meridie horas cum triente. Sane legenti homil. 1. Baſilii de jejunio, ubi dicit, *Veſperam expectas, ut cibum ſumas*, perſpicue conſtat ſermonem eſſe quadrageſimalem. Et Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtoch. hæc ait: Jejunium totius anni æquale eſt, excepta Quadrageſima, in qua ſola conceditur diſtrictius vivere. A Paſcha autem in Pentecoſten cœnæ mutantur in prandia. Quibus ſignificat in medio Paſchæ & Pentecoſtes interſtitio ceſſare omne jejunium. Hoc tamen intererat diſcrimen inter cœnobitas Ægypti (de quibus ibidem loquitur Hieronymus) & reliquos de populo Chriſtianos; quia iſti a jejunio immunibus diebus duplicem adhibere ſolebant ſectionem prandii & cœnæ quacunque luberet hora; ſed Ægyptii tum Cœnobitæ tum Anachoretæ unico prandio reficiebantur, ſolutis jejunii diebus, nec niſi poſt Nonam præveniſſet, minus ipſis tolerabilis fuiſſet unica refectio in cœnam dilata, eoque pertingunt hæc Hieronymi verba: *Cœnæ mutantur in prandia, quo & traditioni Eccleſiaſticæ ſatisfiat, & ventrem cibo non onerent duplicato*. Et utique ſecundum communem loquendi uſum, dies prandii apud veteres ſanctos Patres diebus jejuniorum quadrageſimalium opponi ſolent, ut paſſim loquitur Auguſtinus epiſt. ad Clauſulanum, in qua loquitur de jejuniis extra Quadrageſimam occurrentibus, quibus poſt horam refectio promiſcue fiebat. Quod idem hiſce Pauli verbis vitam Ambroſii contexentis confirmatur: *Ipſe autem venerabilis Epiſcopus erat multæ abſtinentiæ, & vigiliarum, & laborum, quotidiano jejunio macerans corpus, cui prandendi nunquam conſuetudo fuit niſi die Dominico, & Sabbato*. Quin etiam ſic ait ipſemet Ambroſius ſermone 33. *Illud etiam fratres ad perfectionem jejunii tacendum non eſt; ut qui abſtinemus, & minime prandemus hoc tempore, prandia noſtra pauperibus erogemus*. Atque idem ſerm. 39. *Homines*, quorum animus ſemper in prandio eſt, prandendi ſibi cauſas inquirunt, dum ſe a jejuniis excuſant.

V. Porro de jejuniis Sabbatorum, & quantum Orientales Eccleſiæ hac in re ab Occidentalibus diſcrepabant, ſatis ſuperque diſſerui hoc in opere ad can. 50. Synodi Laodicenæ, ubi notas noſtras inferius conſule.

VI. Ad poſtremum Sæculo XIII. invaluit conſuetudo refrigeſcente devotione, ut quadrageſimali quoque jejunio ſtatim a Nona corporibus cibus indulgeretur, ut ex S. Thoma colligitur 2. 2. quæſt. 147. tit. 7. noviſſimiſque demum ſæculis, nullo ſuffragante canone, ſuperaddita eſt ſub *collationis* nomine refectio veſpertina, quam etiam ad aliquam moderationem vix ulla repagula coercere queunt, uſque adeo natura humana in deteriora proclivis eſt: ſimilis aquæ in caldaria olim bullienti, quæ niſi continue fomenta ignis ſubjiciantur, ſuum ſenſim reſumit priſtinum, & naturale frigus; ſic animæ noſtræ, ſi non in malum proclivitati fervor charitatis & continuus labor obnitatur, in deteriora paulatim dilabuntur: quod al-

altera ſimilitudine vetus Poeta egregie exprimit.

Adverſo veluti qui flumine lembum
Remigiis ſubigit, ſi brachia forte remittat,
Tunc illum in præceps prono rapit alveus amne.

Certe perſpicuum eſt Sæculo duodecimo non niſi poſt veſpertinam horam licuiſſe jejunium quadrageſimale ſolvere refectiunculis quas vocant, & commeſſationibus longe remotis. Ut enim vetuſtiora tempora, ipſamque Benedectinam regulam omittam ex uſu totius Eccleſiæ ſic ſtatuentem cap. 41. Ab initio Quadrageſimæ uſque ad Paſcham ad veſperam reficiant. Veſpertinum autem officium veteri ritu computabatur, & perſolvebatur tribus a Nona horis, Nonaque ipſa tribus aliis a meridie horis: perſolutoque veſperarum officio diſcedebatur ex choro ad cœnam. Theodulſus Aurelianenſium Præſul in ſuo Capitulari cap. 39. ſubditum ſibi populum ſic admonet. *Solent plures, qui ſe jejunare in quadrageſima putant, mox ut ſignum audierint ad horam nonam comedere; qui nullatenus jejunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint quam veſpertinum celebretur officium*. Canon iſte falſo ab Ivone, & a Gratiano diſt. 1. de conſecr. cap. ſolent, Concilio Cabilonenſi adſcribitur: a Burcardo autem, Sylverio Papæ. Sanctus denique Bernardus, quem conſtat ſæculo floruiſſe duodecimo, ſic prædicat ſer. 5. de Quadrageſima: *Hactenus uſque ad nonam jejunavimus ſoli e nunc uſque ad veſperum jejunabunt nobiſcum ſimul univerſi Reges & Principes, Clerus & populus, nobiles & ignobiles, ſimul in unum dives & pauper*. Et Micrologus de rebus Eccleſiaſticis cap. 49. hoc dicit: *In hoc quadrageſimale jejunium a cæteris differt jejuniorum diebus, quod in aliis poſt nonam, & in hoc poſt veſperam refici debemus*. Atque idipſum eſt quod Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium ait: *Jejunium totius anni æquale eſt excepta Quadrageſima, in qua ſola conceditur diſtrictius vivere*. Baſilius pariter loquens de quadrageſimali diſtrictione ſerm. 2. de jejunio, Veſperam (inquit) *expectas ut cibum ſumas*.

GABRIELIS ALBASPINÆI AURELIANENSIS EPISCOPI

De jejuniis & Stationibus Obſervationes.

DISSERTATIO IX.

De celebritate & jejuniis Sabbatorum.

OBSERVATIO PRIMA.

I. Quod ad Sabbata attinet, Græci & Orientales eandem pene rationem ſequuti ſunt. Nam ut ex antiquioribus Authoribus conſtat, feſta celebrata colebantur, Jejuniumque interdicebatur. Latinorum autem varius in ea re uſus fuit. Ea enim alias perinde ac Græci celebrarunt, ſed ſenſim inductus eſt ille mos ut jejunaretur & triſtitiæ dies haberentur. Porro apud Orientales & Græcos celebrata fuiſſe, feſtaque habita Sabbata, vel ex Cano. 5. Laodic. efficitur, ubi cavetur ne aliis quadrageſimæ diebus quam Dominicis & Sabbatis natalitia Martyrum celebrentur. Ex quo facile eſt animadvertere, eos dies ſolemnes, ipſis feſtoſque fuiſſe, quandoquidem publicæ Chriſtianorum lætitiæ, ſolemnioribuſque feſtis, perinde ac Dominici conſecrati erant, & ab aliis diebus diſtincti. Confirmatur iſtud præterea ex cap. 33. lib. 8. Conſtitutionum, quæ vulgo Divo Clementi attribuuntur, ubi expreſſe Chriſtiani jubentur diebus Sabbati, atque Dominicis feriari a labore. *Ut ſervi quinque dierum opus faciant, Sabbato autem & Dominica die vacent in Eccleſia* 13. item reſponſione Timothæi Alexandrini Patriarchæ, quæ maritis uxorum uſum Sabbatis & Dominicis diebus interdicit, quo majori cum pietate & reverenti communicare poſſint. Denique nullum luculentius feſti diei argumentum eſſe poteſt, quamſi communicabantur. Ex his Gregorii Nyſſeni verbis, *quibus oculis vides diem Dominicum, qui deſpicatus es Sabbatum*; his item Anaſtaſii Nicæni,

ni, *Sabbatum & dies Dominicus ſunt dies ſancti & feſti*. Denique innumeris aliis locis, quos apud Annaliſtam videre eſt anno Chriſti 57. n. 205. 6. & 7. id etiam ex plurium Sanctorum vitis apud Palladium & alios efficitur, qui diebus Sabbati perinde ac Dominicis ad ſacram ſynaxim accedebant. Huc accedit Orientalium cautio, ne diebus illis jejunaretur quod in feſtos tantum ac celebres cadere poteſt. Sed objici contra poſſunt verba cano. 29. Laod. Quod non oportet Chriſtianos judaiſare, & in Sabbato otiari. Quæ ſtatuta a nobis de Sabbatorum celebritate evertere funditus videntur. Sed duo reſponderi poſſunt. Primum eſt canonem in eos eſſe factum, qui non tantum celebrare Sabbata contenti erant, ſed ea more Judæorum obſervabant, hoc eſt ſacrificabant, & ea qua Judæi religione ab omni opere vacabant. Itaque non prohibet canon eo more celebrari Sabbata, quo dies dominicos Chriſtiani obſervabant, ipſumque inſertum canoni verbum *Judaiſare* ſatis probat eos tantum peti ac notari qui Judæos imitarentur. Alterum eſt feſtorum obſervationem apud Chriſtianos in eo ſitam non fuiſſe, ut ab omni prorſus abſtinerent, quod ex eodem canone ſatis patet, ubi non ſimpliciter jubentur Chriſtiani feriari ab omni opere diebus dominicis, ſed quantum commode fieri poteſt idque adeo multo manifeſtiſſimum eſt ex quinquaginta illis diebus, qui a Paſchate ad Pentecoſtem maxime ſolemnes erant, quamquam nemo illos unquam feriatos dicat; ſed objici præterea poteſt Epiphanius, qui cum exacte catalogum texuerit eorum dierum, quibus Chriſtiani communicabant, ſolemneſque habebant nunquam tamen Sabbati meminit, quod utique homo Græcus nunquam prætermiſiſſet, ſi ſolemne & feſtum in Græcia fuiſſet, ſed reſponderi poteſt Cyprios Alexandrinorum vicinorum, apud quos neque in Sabbatis, authoribus Socrate & Sozomeno, communiones fiebant, neque ut ſolemnia, feſtaque habebantur, æmulos fuiſſe. Verum nutare poteſt iſta reſponſio, nam ut verum ſit horum hiſtoricorum tempore celebrata Alexandriæ non fuiſſe Sabbata, non continuo efficitur, eundem morem Epiphanii temporibus, qui Socrate & Sozomeno octoginta aut circiter annis antiquior fuit, obſervatum; præſertim cum conſtet primis ſæculis cum Alexandriæ, tum apud Orientales Sabbata feſta fuiſſe in iiſque jejunia interdicta. Commodius igitur veriuſque reſpondebimus ſi dicamus commemorari tantum ab Epiphanio generales conſuetudines & Apoſtolorum traditionibus conſtitutionibusque obſervatas, cum ſemetipſum his verbis interpretetur; *ordinata ſunt ab Apoſtolo*, item, *& tradiderunt Apoſtoli* itaque cum hanc conſuetudinem ſciret non eſſe univerſam, ut quæ ſuo tempore in Eccleſia Latina non obſervaretur, noluit eos meminiſſe. Quod autem Socrates ait Sabbatis Alexandriæ, auguſtiſſima myſteria celebrata non fuiſſe, vereor ut ſatis locuples author eſſe poſſit, tam multa enim in eodem illo capite parum fide digna ſunt ut juſti etiamnum rei abrogent. Verum ut ut ſit, tam multi ſunt loci qui id dicant, ut ſi attente conſiderentur, nemini dubium eſſe poſſit, quin Orientalibus Sabbata omnia, præter Sanctum feſta fuerint.

II. Jejunium autem Sabbatis in Oriente interdictum faciliimum eſt probare, nam ut una eſſet antiqua conſuetudo, quæ feſtos dies eſuriales eſſe prohibetur, id ſatis conſtaret. Verum innumeri ſunt loci qui id evincant, cujuſmodi eſt 66. canonum, qui Apoſtolorum dicuntur 24. Caput lib. 3. conſt. D. Clem. textus Ignatii 4. epiſtola 55. Canon Concilii in Trull. & quæ paſſim in Annalibus Eccleſiaſticis habentur. Sunt tamen qui hæc in dubium vocent, quod Canones illos, & conſtitutiones Apoſtolorum eſſe negent, de quibus quando ſe commoda dederit occaſio, pauca dicam, ut omnes intelligant quænam in ipſis ineſſe authoritas, ponduſque debeat, & ſi quod rem noſtram attinet, ſatis multa ſint, quamquam ille Apoſtol. canon & D. Clem. conſtitutio rejiciatur, quæ ipſam confirment.

III. Certe ſi quis eſſet qui canones Apoſtolorum & D. Clem. conſtitutiones Apoſtolorum authoritate ſancitas, publicataſque certo affirmaret, imperitus cenſeretur, nam qui antiquarum conſuetudinum gnari, quo quidque tempore, aut loco obſervari, deſitum ſit, aut mutari cæptum norunt, de iis ne dubitare quidem poſſunt. Et vero quæ mox dicam ita clara ſunt ea, ut revinci a nullo poſſint. Multa ſunt in iis adeo clare, dilucideque explicata & conſtituta, ut de eorum

rum ſenſu dubitari non poſſint, quæ tamen tertio, quartoque ſæculo ſumma contentione diſputata ſunt. Hujuſmodi Sabbatorum jejunia, pœnitentium, hoc eſt adulterorum, ſicariorum, & idolatrarum receptio. De Baptiſmo hæreticorum. Si canones iſti, conſtitutioneſque ab Apoſtolis probatæ, ſancitæque fuiſſent, quis exiſtimet ea in dubium fuiſſe revocanda, quæ ab Apoſtolis decreta ſancitaque fuiſſent. An adeo ignorantes erant illius ætatis Patres, ut ſi extitiſſent illi Apoſtolorum canones, eos continuo non produxiſſent. Sunt tamen illi canones conſtitutioneſque antiquiſſimæ, multaque in illis excellentiſſima & magni ponderis continentur. Nec dubito, quin olim Græcæ Eccleſiæ pro legibus, manuali, Pontificali, rituali ut vocant, ac codice fuerint, ſatis enim conſtat, nihil quicquam in iis reperiri quod Eccleſiaſticæ 4. primorum ſæculorum diſciplinæ conſentaneum non ſit. Quod attinet ad canones exiſtimo eos ita appellatos eſſe ab antiquitate, nam cum eorum aliquot ab Apoſtolorum ſucceſſoribus, qui teſte Tertulliano de præſcriptionibus, Apoſtolici viri nominabantur; facti eſſent, Apoſtolicorum primos canones, deinde nonnullorum Latinorum ignorantia, aliquot literarum detractione, Apoſtolorum dicti ſunt. Et apud Græcos quoque res ita proceſſiſſe videtur. Aucti ſunt poſtea cum illis adjuncti eſſent & eodem volumine comprehenſi Græcæ Eccleſiæ canones. Quod quidem confirmari duabus maxime rationibus poteſt: primum quod iis, quæ eorum meminerunt, authoribus, non unus aliquis conſtans canonum numerus ſit, ſed 50. nonnumquam, plures alias, aut pauciores cenſeantur. Altera ratio eſt, quod ex toto canonum corpore, manifeſte appareat alios aliis ſæculis factos eſſe, quod controverſias dirimant eas, quæ variis ſæculis contigere. Cujuſmodi eſt canon, qui de admittendis ad pœnitentiam lapſis factus eſt, qui certe ante Cyprianum ſancitus eſſe non potuit, cum alius eſſet Eccleſiæ uſus & illa demum tempeſtate admittendos eſſe lapſos decretum ſit. Hinc igitur manifeſto conſtat canones eos, tempore auctos eſſe, idque ita factum cum una colligarentur, unoque veluti codice continerentur privatarum Eccleſiarum ſtatuta, quæ ab aliis poſt modum Eccleſiis obſervarentur. Hæc autem conjectura eo probabilior redditur quo certius eſt Græcos ſolitos fuiſſe uno eodemque; quaſi titulo & volumine complecti cum antiquos canones, tum recentes, nulla concilii temporis, authorumque mentione facta, quique præcedentibus addebantur, tacito ordine numeroque, quem in conciliis unde deprecabantur, habebant, ab iis ordinem numerumque accipiebant, quibus in illa collectione adjiciebantur, quare ſi jam centum canones præpoſiti fuiſſent, qui de novo addebatur centeſimus primus, quæ ratio par fuit in cæteris, cenſebatur. Idque addo, certum eſt ut jam a plurimis ſit adnotatum puta Baronio anno 341. num. 34. Antonio Auguſtino libro primo de emendatione Gratiani cap. 11. facit alia conjectura ut affirmem canones iſtos Apoſtolorum, de quo dixi modo decurſu temporum, non autem ſimul collectos & compactos, nempe quod ſi & aliquot conſequentes ex Concilio Gangr. deſumpti ſunt, ut vel ipſa lectione conſtabit. Quod efficit ut credam id eſſe veriſſimum, quod ante dixi canones iſtos nihil eſſe aliud quam Breviarium & Epitomem privatorem Conciliorum, & rerum ab Epiſcopis privatis ſancitarum, qui Eccleſias Græcas ante Concilium Nicænum adminiſtrarunt. Num & poſtrema verba, quibus cavetur ne octo libri conſtitutionum Apoſtolicarum publicentur, aperte indicant eas primis ſæculis factas non eſſe, cum primi ſæculi Chriſtiani ſua lubentes myſteria, ut vel ex Juſtino conſtat, enunciarent.

IV. De conſtitutionibus porro iſtis nemini dubium eſſe debet, quin probus juxta & antiquus liber ſit, certoque affirmare poſſum trecentis primis annis eo Eccleſiam Græcam, tanquam rituali, & Pontificali uſam eſſe, quique eas attentius legerit, eadem de illis quæ de canonibus judicabit additas videlicet decurſu templorum primis novas, quemadmodum & novæ leges ac conſtitutiones in regimine Eccleſiæ, novis occaſionibus enatis, factæ ſunt.

V. Sed ad Sabbata noſtra videamus, & inquiramus porro, quæ rationes majores noſtros inducere potuerint, ea ut feſta ſolemniaque obſervarent. Exiſtimant antiquiores ideo factum eſſe, cum ut creationis mundi memoria coleretur, tum quod ſeptimo die Deus ab omni opere conquieverat. Baronius anno Chriſti 57. num.

num. 105. vetiti in Oriente Sabbatis Jejunii eam putat eſſe cauſam, quod in authoris mundi deteſtationem, quem malum Deum appellabant, Hæretici Sabbatis jejunarent, quales fuerunt Saturninus, Baſilides, & ante Marcionem plurimi. Verum iſtæ rationes non uſquequaque legitimæ videntur, nam quod ad poſteriorem attinet, ea 2. tantum ſæculo valere potuit, at ipſorum etiam Apoſtolorum temporibus, Sabbata uti feſta colebantur: exiſtimo igitur eam veram, ac germanam fuiſſe cauſam, quod cum primum inter fratres ac Judæos Evangelium diſſeminari cœpiſſet, nollent aut certe non auderent cæremonias ſtatim omnes Judaicas reſcindere. Eam igitur quæ ad Sabbatum attinebat, quæque magnos motus, ſi ſublata fuiſſet excitatura videbatur, ne eos a Chriſtianis ſacris amplectendis avocarent, retinuerunt. Nonne ex ipſis Apoſtolorum Actibus diſcimus magnum omnino tumultum contentionemque excitatam, quod cæremonias omnes legemque Moyſi deſtruere Paulus diceretur, eundemque a Sancto Jacobo cum Jeroſolymam veniſſet, perſuaſum eſſe ut eam e mentibus hominum opinionem tolleret, contrariumque palam prædicaret; imo eam fuiſſe cauſam ſcimus, quamobrem Paulus in carcerem datus ſit: non audebant igitur primum cæremonias omnes legis, ne Judæos in ſe provocarent, abolere, ſed earum præcipuas, & quæ ſacris Chriſtianis minus adverſari videbantur, ſervaverunt. Ea igitur mea ſententia ratio fuit, quamobrem apud Chriſtianos Sabbata feſta fuerint.

VI. In Eccleſia autem Latina varius, ut dixi, uſus fuit, cum alias eos dies feſtos habuerit, alias Eſuriales, id autem ſuſe & multis probare convenit quod plerique omnes quaſi certum & conteſtatum ponunt Sabbatis Romæ jejunatum ſemper eſſe, id ego tanquam maxime dubium incertumque habeo: nam ſi efficitur primis ſæculis in Eccleſia Latina feſta fuiſſe, veriſimillimum eſt, Romæ pariter feſta ſolemniaque extitiſſe, nam ex omnium ſæculorum memoria conſtat, ea, quæ Romæ obſervata, aut mutata fuiſſe, atque adeo in hac ipſa, de qua ſermo eſt, materia cum Romæ in Sabbatis jejunari cæptum eſt, ea conſuetudo in univerſam Eccleſiam Latinam, quamvis paulatim ſparſa eſt. Sic Tertullianus Orthodoxos libro de Jejuniis alloquens, notat eos Sabbatos, excepto Sancto non jejunare. *Et jejuniis paraſcevem quanquam vos etiam Sabbatum ſi quando continuatis, nunquam niſi in Paſcha jejunandum, ſecundum rationem alibi redditam.* Quibus ex verbis manifeſtiſſimum eſt, Tertulliani tempore Chriſtianos ne Romæ quidem, Sabbatis jejunaſſe, nam ſi quæ varietas fuiſſet, eam nunquam Tertullianus, ut quæ maxime cauſæ favebat, omiſiſſet, quippe inde oſtenſurus erat in obſervatione Jejuniorum variam eſſe Eccleſiam & diverſam, cum aliqua Romæ obſervarentur, quæ alibi repudiarentur. Quandoquidem eos notat quaſi plura Jejunia obſervantes, quam aut Scripturam, aut Apoſtolorum traditionibus imperata eſſent. Et vero cum ibi ageretur de novitatibus, quas Montani inducerent, ſi quid diverſum fuiſſet in Eccleſia quod ad Jejunia attinebat, num id omiſſurum fuiſſe Tertullianum exiſtimamus hominem acutum, & qui eo, quod appellant ad hominem argumento, tam ſæpe utebatur? præterea cum Orthodoxos notat Romanam maxime Eccleſiam, quæ Orthodoxorum caput eſt, petit, quare ſuperiora verba, minime tam in Romanam Eccleſiam, quam in ullam aliam dicuntur. Certe in omnibus aliis libris, quos de dogmatibus ſuis ſcripſit, unam præcipue Romanam Eccleſiam, ſummoſque Pontifices aggreditur, quippe Romanos ritus Africanæ Eccleſiæ ſequebantur, & ſi quæ in Eccleſia Africana conſuetudo obſervabatur, ea a Romana Eccleſia profluxerat, ſed præter locupletiſſimum illud teſtimonium, de non obſervatis in Sabbato jejuniis, primis temporibus, author eſt Auguſtinus epiſtola 86. variam in ea re fuiſſe Occidentalis Eccleſiæ conſuetudinem, imo etiam ævo ſuo aſſerit, non ſolum Mediolani, & in aliquibus Africæ Eccleſiis, Sabbatis non jejunari, ſed in eadem Eccleſia, in ipſa Africa varium fuiſſe uſum ac diverſum. Eo ſpectant etiam canones 26. Concil. Eliber. hæc verba, *Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbati die, jejuniorum ſuperpoſitiones celebrentur*: quibus manifeſtum eſt, novam aliquam legem fuiſſe inductam, ea enim verbi *ſuperponere* vis eſt, uti & canone 23. probatur. Sed præterquam quod verbo ipſo *imponere* ſatis conſtat novam aliquam obligationem, & quaſi arctiorem diſci-

diſciplinam intelligi, & aliquid additum eſſe, cum de jejuniis agitur, Eccleſia antiquioreſque ſcriptores, cum illa his vocibus utuntur, *Jugum imponere*, Actorum 15. *ut imponatur jugum*. Tertullianus cap. 2. de jejuniis, ſic & Apoſtolos obſervaſſe nullum aliud imponentes jugum pati ſenſu Concil. Elib. *ſuperponere* non autem imponere dixit, quo manifeſtius ſignificaret, novum aliquod onus imponi, & quaſi ſuperaddi, cum in Sabbatis jejunia imperaret, quibus antea non jejunabatur. Nec alia ſignificatio vocis hujus eſt, falluntur que, qui volunt idem eſſe, atque Græcis ὑπερτίθεσθαι, hoc eſt cibum differre. Ex quo facile eſt colligere Sabbati jejunia in Hiſpaniis hujus Concilii tempore, tum primum celebrata fuiſſe. Ad hæc Sanctus Innocentius in Sabbatis jejunandum eſſe docet 4. cap. 1. ep. ejuſque diſciplinæ, propter variam illius obſervationem ſuper ea re conſultus, rationem reddit. Unde apparet nihil adhuc certum, & determinatum fuiſſe, neque ubique obſervatum quod, & ipſum ut dicebam, confirmat Auguſtinus ejus æqualis. Notandum porro, ſimul ac Sabbatis jejunari cœptum eſt, apud Latinos diei Mercurii jejunium deſiiſſe, & in Sabbatum tranſmiſſum eſſe.

VII. Ceterum cum apud Latinos in Sabbatis non jejunaretur, probabile admodum eſt, ea etiam feſta, ſolemniaque fuiſſe, cum jejunia & feſta ſimul eſſe non poſſent: facileque adducor, ut credam primis ſæculis, æque atque Orientales Latinos in Sabbatis communicaſſe. Neque quicquam facit quod neque Juſtinus, neque Epiphanius meminerunt, cum ille non locutus ſit de communionibus ſtationum, quas æque ac Sabbatorum obmiſit: iſtius autem tempore, jam in Eccleſia Latina Sabbatis jejunaretur. Tertullianus ſane adverſus Judæos negare videtur celebranda eſſe Sabbata, ſed intelligendus eſt more modoque Judæorum. Itaque una cæremonias, Sacrificia ſeveritatemque quæ apud Judæos obſervantur, attigit. Nonnulli ex his D. Innocentii verbis. *Quid utique non dubium eſt, in tantum eos jejunaſſe biduo memorato, ut traditio Eccleſiæ habeat iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari*. Confirmare voluerunt Innocentii tempore, Sabbatis myſteria communioneſque celebratas non fuiſſe, iiſque obſervandis, Eccleſiam Latinam omni tempore abſtinuiſſe. Sed a vero longiſſime aberrarunt, hæc enim verba D. Innocentii dies omnes Veneris Sabbatique non complectuntur, ſed de ſanctioris duntaxat hebdomadæ diebus intelligenda ſunt, & hæc verba *biduo iſto*, pro ſingularibus tantum duobus illis diebus, apud D. Innocentium cupienda ſunt.

Primis Sæculis Tempore Jejunii nemini licuiſſe Euchariſtiam Sumere.

OBSERVATIO II.

I. PRimis ſæculis Chriſtianos, injecta quadam religione, metuque propoſito, videmus prohibitos tangere, videre, ſumere, atque adeo ſacroſanctum Domini noſtri corpus conſecrare, quo tempore jejunium celebrarent: propterea: planum eſt diebus illis, quibus jejunia integra exercebantur hoc eſt quibus abſtinebant, *uſque ad auctoritatem demorantis ſtellæ* ut loquitur Tertull. numquam miſſas celebraſſe, neque Euchariſtiam præbuiſſe manducandam, conſuetudinemque, ac moram illum miſſas celebrandi, diebus jejuniorum non uſurpari ſolitum, niſi cum dimidiato die, non autem pleno, atque integro jejunium ita obſervandum judicarunt.

II. Quo autem ſolertius, probabiliuſque rationes allatæ perpendantur, duo fuiſſe jejuniorum genera ignorandum non eſt, jejunia integra, & dimidiata: hæc ſtationes appellabantur, quas curabant diebus Mercurii & Veneris, cum ad nonam uſque, cibum non ſumerent: illa autem dicebantur cum ad noctem uſque proferebantur. In jejuniis integris, nec interruptis, rei divinæ, ſeu Miſſæ Sacrificio non operabantur, quod jejunium ad noctem protraherent: idque ex Concilio Laodiceni cognoſci poteſt, quod Quadrageſima offerri Sacrificium vetat, ſi excipias dominicum diem, & Sabbati, quia in Græcia totum *quadragintale* tempus ad noctem jejunantes prætermiſſis diebus Dominicæ, & Sabbati tranſigebant. Canon interponendus 49. Non oportet in Quadrageſima panem offerri niſi Sabbato in Dominica tantum. Id autem anni conſequentes conteſtantur, qui paulatim (conſeneſcente, & intermoriente priſtina illa ſeveritate, quæ tum erat) cum ſe aliquantulum ad mitiorem diſciplinam deflexiſ-

ſent; ſed ita tamen, ut antiquam illam diſciplinæ durioris vim, non omnino imminuerunt, imo veſtigiis ejus propius inſiſterent, ſemper Miſſæ Sacrificii horam, tempuſque cum ea hora, & tempore quo jejunium dividi interrumpique poſſet, conjunxit. Quamobrem quæſo 4. 5. 6. & 7. ſæculis celebratur Miſſa, hora nona veſperique jejunii temporibus, niſi quod ſacrificium offerri, neque ſumi Euchariſtia potuit, quandiu jejunium perſeveranter obſervabatur.

III. Quod autem iis ſæculis Miſſa fieret veſpertino tempore, quibus jejunium colebatur, non deſunt infinita, & prope innumerabilia, ad id probandum teſtimonia. Paulinus tempore D. Auguſtini.

Et ſero libatis veſpere ſacris,
Quiſque ſuas remeare domos, tunc ergo ſalutis.
Cœtibus, a templo Domini.

Canon Concilii primi Bracarenſis, quod ex eorum imputatione, ac recenſione habitum, & indictum eſt, æra 599. qui eſt annus Domini 561. *Si quis quinta feria paſchali, quæ eſt Cœna Domini hora legitima poſt nonam jejunus in Eccleſia Miſſas non tenet; ſed ſecundum ſectam Priſcilliani, feſtivitatem ipſius diei, ab hora tertia per Miſſas, defunctorum ſoluto jejunio colit, anathema ſit* 9. & 10. ſecundi Concilii Bracarenſis, *tertio autem die, celebratis hora nona, ſive decima Miſſis*, Gelaſius & Gregorius ſecundus decreverunt, *Sabbati jejunio, circa veſperam noverint celebrandas*, item veſpera Sabbati, *noverint celebrandas*. Micrologus de ecc. ob. ca. 49. *Eſt Eccleſiaſtica conſuetudo, ut ad nonam reficiamur, cum ad ſextam Miſſam celebramus, ad veſperam autem cum ad nonam ſacrificamus*. Theodulphus ad Presbyteros Aurelianenſes de jejuniis diſſerens, *auditis Miſſarum ſolemnibus, ſive veſpertinis officiis, largitis eleemoſinis ad cibum accedendum eſt*, ſupra dixerat, *mox ut ſignum audiunt ad nonam*, & Concilio Gerund. c. 3. *Et in Sabbati veſpere Miſſa facta finiatur, quibus tamen diebus a carnibus & vino decrevimus abſtinendum*. Quodam capite Concilii Catalaunenſis ſcriptum, non niſi veſperi ſacro Miſſæ Sacrificio, veſpertiniſque precibus ſolemni religione peractis, jejunium ſolvendum. Ex his omnibus quæ authoritate temporum nituntur, concludendum omnino, & colligendum eſt, temporibus illis Miſſæ ſacrificium peragi ſolitum circa veſperam diebus jejunii: cujus rei atque facti alia ſubeſſe cauſa, aut ratio non poteſt, quam quod id inſtitutum ex antiqua diſciplina hauſtum & delibatum eſſet, quæ contingendi, videndi, & adorandi corpus Chriſti copiam non faceret jejunii tempore, & cum a primis illis temporibus, quantum fieri poſſet, non diſcreparent, rejeciſſe Miſſam in diebus jejuniorum cum adveſperaſceret; quod ad eam temporis horam jejunium produxiſſent & ad noctem protraxiſſent continuaſſentque, non minus Miſſæ auditione, quam primis ſæculis caruiſſent.

IV. Quod quo probabilius reddatur quod ſupra dictum eſt, noſtræ hujuſce tempeſtatis, & diſciplinæ ratio ſpectanda maxime: nonne ex illo vetere, & antiquo ritu, ad nos quodammodo id translatum dimanavit, ut publica, & ſolemnia in Eccleſiis cathedralibus precum aut orationum myſteria, non niſi circa meridiem, jejuniorum diebus peragantur; quod ea maxime hora, jejunium ſuo quodam termino ac fine definiatur.

V. Id eſt iis, quæ de ſtationibus & dimidiatis jejuniis ſupra commemorata ſunt, planiſſime probabitur: Dies quippe *Mercurii, & Veneris*, qui deſtinati, aſſignatique erant ſtationibus, non niſi circa nonam Miſſam celebrari patiebantur: quo tempore ciborum abſtinentia præfiniebatur, teſte Epiphanio in Ancorato, *communiones autem ſive ſinaxes fieri ordinatæ ſunt ab Apoſtolo quarta & pro Sabbato & Dominica*: & infra, *ceterum pro communionibus, quæ quarta, & pro Sabbato ad horam nonam ſiunt, in Die Dominica matutinis horis ſiunt communiones*. Quæ verba clariſſime patefaciunt diebus Mercurii & Veneris, (uti in obſervatione de ſtationibus docuimus) preces illas ſolemnes recitari, & communionem præberi ad nonam tantum: Dominicis autem diebus, matutinis eadem præſtari. Cedo rationem aliquam hujuſce diſcriminis ſeu diverſitatis diſciplinæ, aliam ab ea quæ a nobis commemorata eſt. Communionem ſcilicet, neque Sacrificium diebus Mercurii & Veneris offerri maturius potuiſſe, quam circa nonam, propter jejunium. Et quanquam Epiphanius non id ſatis diſerte, & perſpicue explicat, tamen videtur eam non obſcure afferre & tange-

re,

Digitized by Google

re , cum eodem in loco dicat , duos illos dies fuiſſe ſtationum jejuniis præſtitutos . *Quarta vero & pro Sabbato jejunium ſtatutum eſt uſque ad horam nonam* . Tertullianus qui ætate & tempore Epiphanium anteibat , ab eo nullo modo diſſentit , ſtationum tempore Miſſam nonniſi circa nonam fuiſſe procuratam: increpita namque graviter, & accuſata quorumdam nimium feſtinatione , libro de oratione , qui e templo Eccleſiaque proſilirent paulo ante alios ; ſtationeſque interrumperent , ſumptaque quam primum Euchariſtia necdum peracta recitataque ſacrificii quadam precum orationumque formula , quæ ſupererant , quæque poſt communionem , & ſacrificium pronunciabantur : declarat non ſolum omnes , qui in ſtationum excubiis erant , exire ſolitos , paulo poſt communionem & ſacrificium , ſed etiam Miſſam eo tempore , quo jejunii & ſtationis modus finiſque appetebat , celebrari ſolitam , id eſt ut ait in libro de jejuniis , ad horam nonam . Nam cum ait paucas ſupereſſe preces Sacrificii , quæ eſſent a Sacerdote dicendæ , innuit non longius a fine & termino ſtationum , Sacrificium fieri ſolitum illis diebus , quam eæ preces durarent ; ſed ea clarius , in obſervatione de ſtationibus .

VI. Ceterum cum ex variis Patrum locis animadverterent nonnulli , uti ex D. Baſilio Epiſtola ad Corſariam , *nos quater in quaque hebdomada communicamus , Dominica , feria quarta , Paraſceve , Sabbato ; ſed & Diebus ceteris , in quos memoria Martyris alicujus incidit* . Et ex Tertulliano libro de Oratione , hiſce ſtationum diebus Sacrificia , & communiones celebrari ſolitas , quod de jejunio dictum quoque , ſæpius apud antiquos occurrit , nulla in eo peracta fuiſſe myſteria , Chriſtianoſque dum jejunarent ab Euchariſtia abſtinuiſſe , id de ſolo quadrageſimali jejunio intelligendum eſſe arbitrati ſunt , verum egregie hallucinantur. Nam quamvis quarta & ſexta feria , quæ ſtationum erant dies , Euchariſtia antiquitus ſumeretur , tamen certum eſt eos nunquam ipſiſmet diebus participaſſe corpori Dominico , aut Sacrificiis operatos eſſe , niſi hora nona , & cum ſtationis , & jejunii exitus immineret , quapropter nuſquam reperient , neque ullo teſte , aut Patrum loco oſtendent , religionem illam, qua tempore jejunii a ſacris & myſteriis abſtinebant , violaram antiquitus fuiſſe . Hic ego cauſam aliam aut rationem lubens audierim , quam quæ a me allata eſt , quamobrem ſtationum tempore non niſi circa nonam Miſſæ Sacrificium procuraretur , fuiſſe opinor omnino hanc , quod cum jejunium ſibi indixiſſent , eo tempore durante jejunio , religione quadam , & triſtitia impediti conſtrictique , non facile auderent , vellentque ad Euchariſtiam accedere . Hujus autem antiqui inſtituti ac conſuetudinis , hæc veluti apud nos impreſſa , conſignataque ſunt veſtigia , quod Die Veneris Sancto , neque Miſſam dici , neque ſacrificari , neque quemquam de Euchariſtia ſumenda cogitamus : cujus rei quidem non alia aſferri , aut ſubjici poteſt ratio verior aut probabilior , quam quod id ad nos e vetere primorum temporum memoria tranſmiſſum & deportatum eſt , & quia nos , aut ſaltem plerique eodem ipſo die imponimus nobis hanc legem , & conditionem vitæ indicimus , ut auſtero quodam more ad conſpectum uſque veſpertinarum ſtellarum , aut noctis adventum jejunemus : aut quia exiſtimamus illius diei jejunium ſeverius ducendum eſſe . Ideo retenta & hæc , & quaſi corroborata tempore conſuetudo , ut neque Miſſam dicere neque communicare liceat .

VII. Hujus antiqui ritus ſeu moris Zonaras & Balſamon has rationes proferunt. *Sacrificare Deo feſtivæ celebritatis eſt , ea vero celebritas hilaritatis atque lætitiæ , at quo pacto mœrori quiſpiam ac lacrymis indulgere , idemque ſimul exultare lætitia ac triumphare gaudio queat* , minus honeſtum , decorumque & tempori conſentaneum judicabant , tempore jejunii celebrare Miſſam , & ſacro ſe Euchariſtiæ pabulo reficere : propterea jejuniorum tam integrorum , quam dimidiatorum diebus quibus ſtationes decernebantur , nemini fas erat ulla ratione Chriſti Domini corpus contrectare , ſive ut offerretur ſacrificium , ſive ut ſumeretur Sacramentum.

VIII. Quod quo commodius quod a Zonara prolatum eſt intelligatur , & quamobrem jejunium non committeret , ut Euchariſtiæ Sacramentum palam repræſentaretur , aut offerretur : conſiderandum qua in re antiquorum jejunium verteretur , hodierno autem die , aut noſtra hac ætate tolerabilia iſta ſunt , & apud nos invaluit , ut cum jejunio ſit , & Euchari-

ſtiæ

ſtiæ frequentatio & uſurpatio. Jejunium igitur veterum, non in ciborum, aut eduliorum quorumdam abſtinentia, temperantiaque, diminutione aut mutatione quadam poſitum erat, quemadmodum hoc tempore nos ex acceptione ſumimus, ſed eorum publica jejunia non alia erant, quam coitio, ac veluti conjuratio totius Eccleſiæ contra Deum, ut ita loquar ſanćte inita: qua communi quodam conflato ac conſpirante conſenſu, ad Eccleſiam ſummo mane omnes confluerent. horrido, inculto, cinereque conſperſo ſacco ſqualidi, tećtique ſe ſe ad Chriſti Domini conſpećtum proſternebant, ac omni genere precum, orationum, jejuniorum armati, manantibus ubertim ex oculis lacrymis magno cum ejulatu cælum ipſum laceſſentes oppugnabant, *& quaſi manu facta*, ut ait Tertullianus, eo Deum perpellebant adigebantque, ad id quod obnixe peterent concedendum: atque ita dies noćteſque, hoc eo ſqualore ſituque prope perditi ac profligati traducebant: eo pertinent illa Tertulliani, eoque graviſſimus Author reſpexit cum, ait, *invidia cælum tundimus, Deum tangimus*. Hac ratione atque via freti quadam fideles nihil non a cælo extorquebant, ſic ut cælum ipſum ex condićto, atque pacto quodam ultro quod exigeretur, impenſe & prolixe effunderet, hinc tam multa portenta, atque miracula divinitus facta produntur, ut ipſi primi Chriſtiani non diffidenter, neque titubanter pollicerentur, ſe e cælo pluviam imbreſque neceſſarios, cum vellent & ſalutares expreſſuros: adeo ut Imperatores fama, atque celebritate harum rerum commemorabilium compulſi, quo ſitis ardentiſſima, qua conficiebantur armatorum hominum copiæ reſtinguerentur, ad id a Deo ſuo poſtulandum beneficium illos invitarent & ſollicitarent, *quando geniculationibus, & jejunationibus noſtris*, ait Tertull. *depulſæ non ſunt ſiccitates*, quid quod avertendæ aut depellendæ peſtis, famis, atque belli cauſa, non alio armorum genere fulfulti Chriſtiani utebantur. Hi ſunt fletus clamoreſque in cælum emiſſi converſique, quibus venti, procellæ, tempeſtateſque obſecundabant, tam prompte & obedienter, ut ad eorum petitiones, obſecrationeſque exaudiendas omnia quodammodo elementa conſpirarent, hæc ſunt, quæ appellabantur antiquorum Jejunia.

IX. Ideoque cum lućtu Lacrymiſque quodammodo contubeſcebant: Euchariſtiam locum inter lamentationes, & afflićtati corporis cruciatus dare nefas ducebant. Quod Euchariſtiam apud majores noſtros, & quodammodo proſeminatores, jam inde ab Apoſtolis tanto in honore & pretio fuiſſe deprehendimus, ut cum ejus aſpiciendæ, contrećtandæ, aut ſacrificandæ facultas daretur incredibili quodam gaudio primorum Chriſtianorum mentes perfuſæ triumpharent: omnem animi mœrorem, triſtitiamque funditus deponerent, hæc erat illis fœderis arca, ad cujus jucundiſſimum conſpećtum exultantes, ac tripudiantes voces gaudii quo complerentur indices continere non poterant; ſimul inquam atque Euchariſtia oculis obſervabatur, illico omni dulcedine voluptatis delibuti, ſtantes erećto corporis ſtatu, omnem qui requirebatur cultum, ut lætitiam teſtarentur præſeferebant, quod ſe mentis oculis intueri dicerent Deum illum, quem ſuæ ſalutis vindicem, & aſſertorem, communis & ſempiterni exitii depulſorem æternæ vitæ, ſeu felicitatis authorem ac parentem, bonorum omnium fontem in ex hauſtum & perennem aſſeverarent.

Sexcentas prætereo rationes, quas enumerare longum eſſet, quibus adducebantur Chriſtiani, ut ad lætitiam potius quam ad ullam triſtitiam animum applicarent, cum iis Euchariſtiam ipſam aſpicere liberet. Quamobrem mirari deſine, ſi primis illis temporibus, inter illa ſolemnia jejunia Euchariſtiam cernere, pulchrum ſibi & decorum non ducerent. Neque toto illo temporis intervallo, quo jejunii vis omnium animas, & mentes occuparat, Miſſæ Sacrificium ullum eſſe vellent, neque ullius communionis, ſeu cœleſtis pabuli uſuram. Quo pertinet & illud, quod tempora illa, quæ a primis propius aberant, (uti diximus) non niſi circa veſperam rem divinam ſeu Sacrum fieri oportere contenderent, eo nomine maxime, quod ad veſpertinum tempus jejunium proveheretur, hodieque Eccleſiarum Cathedralium divinum officium ut ſic loquar, tum tantum ſolemni religione decantatur cum jejunii ceſſatio finiſque contigerit.

X. Quod autem hilaritas, & alacritas illa ſumma animorum, quam Chriſtianis ſacræ ſinaxis frequentatio, uſurpatioque

parie-

pariebat, non ferret, neque committeret, ut cum jejunio Euchariſtia conjungeretur; præter ea quæ ſupra a nobis fuſe ſatis ac copioſe tractata ſunt, Tertullianum locupletem teſtem habemus. Nam cum gravi quodam pondere verborum oppreſſiſſet, & inſimulaſſet eos, qui ceteris in æde Sacra, ſeu Eccleſia commorantibus, confeſtim ex ea ſumpto Euchariſtiæ Sacramento, properanterque egrederentur, exemploque propoſito militarium ſtationum, non eſſe facile, aut omnino quæcumque tandem lætitiæ, aut mœroris cauſa, ratioque ſe ſe obtuliſſet, e templo diſcedendum, ſatis clare, vel etiamnum tacitus demonſtrat non alia fuiſſe cauſa commotos illos fideles, ut tam feſtinanter ſe ex Eccleſia proriperent, ſtationeſque infringerent, quam quod tanta lætitia afferrentur poſt Euchariſtiam ore delibatam, hauſtamque ut indignum plane judicarent angoribus, quos in ſtationibus perferebant, mœſtitiæque ſe dedere: verba hujus ſunt *utique nulla lætitia ſine triſtitia obveniens caſtris ſtationes militum reſcindit. Nam lætitia libentius, triſtitia ſollicitus adminiſtrabit diſciplinam*: Et quanquam id tanquam quid inſolens, abſurdumque carpat, non ideo tamen illos ab eo reprehenſos putes, quod poſt Euchariſtiam populo adminiſtratam tanto gaudio afficerentur, ut geſtu motuque corporis incluſam animo voluptatem indicarent: ſed quod paulo maturius exirent ex Eccleſia, nec tantiſper procraſtinarent, dum precum & orationum formula quædam, quæ poſt Euchariſtiam datam fieret, abſolveretur, neque vero id obſtat quod illo tempore & ſimilitudine militarium ſtationum, non ſecus de triſtitia, quam de lætitia verba faciat; unde quiſpiam ambigere poſſet, non minus utrumque videri, dicique cauſam egreſſus, ſeu diſceſſus illius: neque enim niſi caſu, aut ex accidenti, ut ita dicam de triſtitia loquitur, quemadmodum verbum illud, *ſive*, deſignat, poſitaque primum illa voce *lætitia*, manifeſto indicat, totam illam ſuæ comparationis vim ex ea voce pendere. Ad hæc idem Author lib. de Baptiſmo vocat gaudium, quod ex Euchariſtia concipere debent fideles, *neceſſarium gaudium, quid impedit*, inquit, *niſi neceſſitas gaudii*, quibus docet non ſolum Chriſtianos olim ſumma lætitia ex Euchariſtia affectos, verum etiam eamdem obſtare lætitiam, quominus a Paſchate ad Pentecoſtem jejunaretur.

XI. Verum ad hæc quæ diximus reſponderi, aut opponi illa poſſunt contrectatam ab iis fuiſſe Euchariſtiam, quo tempore jejuniis conflictarentur, cum ex Concilio Laodicenſi, & ſexto in Trullo, & ordine Romano Miſſam facerent in *præſanctificatis*, in quadrageſima, & die Veneris & Sabbati ſancto. Reſpondeo, primo duobus illis primis ſæculis exiſtimare me non fuiſſe Miſſæ Sacrificium oblatum in *præſanctificatis*. Secundo diminuta, aut magna ex parte jejunii ſeveritate relaxata, id ſolatii aut allevamenti fuiſſe Chriſtianis conceſſum, ut ſaltem iis Euchariſtiæ videndæ copia fieret, cum ipſum jejunium finiendum eſſet. Tertio longe maximum communionis & Miſſæ faciendæ in præſanctificatis, diſcrimen vel offerendi Sacrificii, & conſecrandi, quemadmodum uſu & conſuetudine receptum eſſe videmus.

Ab oſculo Pacis abſtinebant diebus Jejunii.

OBSERVATIO III.

I. Moris erat apud Chriſtianos primis illis temporibus oſculo ſe ſe invicem ſalutare, quod genus officii non ſolum certo quodam & præſtituto Miſſæ tempore, verum etiam domi intra privatos parietes, ſed & vicis uſurpabant: a qua tamen conſuetudine abſtinebant diebus illis, quibus indictum, & promulgatum eſſet plenum, atque integrum jejunium, quemadmodum de die Veneris magnæ Septimanæ teſtatur Tertullianus lib. de Oratione his verbis. *Sic & die Paſcha, quo communis & quaſi publica jejunii religio eſt, merito deponimus oſculum, nihil curantes de oſculando, quod cum omnibus faciamus*, idem etiam colligitur ex ordine Romano & aliis Scriptoribus de Divinis officiis, qui omnes plane, & aperte declarant, feria ſexta in Paraſceve & Sabbato proxime inſequenti, & pronunciatione illorum verborum, *Pax Domini*, abſtinuiſſe Eccleſiam, quod dicatur inter fideles, oſculum eſſe illo tempore intermiſſum.

II. Cujus quidem conſuetudinis non ſum neſcius a Patribus unam præſertim afferri rationem, quod Judæ oſculum refugeret & execraretur Eccleſia, memoriam-

riamque radicitus ex animis hominum evelli cum vellet propterea illis diebus Oſculi intermiſſionem fuiſſe factam: ſed illius moris aliæ atque aliæ rationes proponi poſſunt, quarum nonnullæ concionibus ad populum inferuntur: aliæ omnino veræ, & quæ intimam rei naturam, ejuſque conſuetudinis cauſam germanam indicant, qualis illa eſt, quam Tertullia. eodem in loco profert non fuiſſe oſculum uſurpatum, quod publicum populo jejunium die Veneris Sancto celebrandum indiceretur: unde vides jejunium in cauſa fuiſſe, cur die Veneris Sancto, oſculo parcerent Chriſtiani. Qui autem errorem illorum quem Tertullianus carpit perpenderit accuratius (nolebant quippe aliqui, quibus diebus ſua ſponte, non alio quodam Eccleſiæ præcepto coacte jejunabant, oſculari fideles) itemque rationes ejuſdem Auctoris, quas contra objicit: diſcuſſerit ſimul & quod dico probabit, & Tertullianum vero ſcopum attigiſſe non negabit videlicet hujus conſuetudinis cauſam, & rationem attigiſſe: ait enim ab imitatione quadam illus conſuetudinis publicæ, errorem hunc derivatum, & quod illam communem ſeu popularem conſuetudinem æmulari vellent, iſtos quoſdam particulares homines, jejuniorum voluntariorum tempore noluiſſe oſculo quodam ſuos fratres ſalutare, qua ex re concludas oportet, Eccleſiæ conſuetudinem hoc uno quaſi fundamento jejuniorum nixam fuiſſe: quandoquidem qui illum morem quodammodo adumbrabant; ab Oſculo Pacis cum privatis ſe ſe jejuniis exercerent, caput averterent, & verbum hoc, conſuetudini domi ſatisfacerent, referri aut traduci debet ad Eccleſiæ conſuetudinem generalem: non autem ad privatum quoddam eorum inſtitutum quos reprehendit, intelligique vult, cum privatis in ædibus amicos ſuos & domeſticos jejuniorum, quæ ſibi imperaſſent, diebus, non oſculo impreſſo ſalutarent, communi Eccleſiæ conſuetudini ſatisfeciſſe: indeque planum fieri a jejunio id profectum, ut cum jejunii tempus obtigiſſet, intermiſſio oſculi conſequeretur.

III. Supereſt, ut rationes ſuggerantur; cur jejuniorum integrorum temporibus Oſculum Pacis excluderetur, neque enim, quo hujus antiquæ diſciplinæ ratio penitus cognoſcatur, ſatis fuerit dicere, die Veneris ſancto, oſculum quodammodo vetitum, quod jejunium eo die non interruptum, ſed integrum eſſet: Sed præterea demonſtrandum eſt, cur diebus jejuniorum integrorum minus honeſtum decorumque oſculum putaretur, qua de re obſcure neque ſatis plane, & perſpicue Patres loquuntur: neque quid ſentiendum ſit, niſi conjectura aſſequi potes, cujus quidem conjecturæ ratio ſola, non ea eſt meo judicio, oſculum lætitiæ & gaudii publici teſtimonium quoddam, & indicium fuiſſe certiſſimum, quod animi lætantis, & geſtientis argumentum die jejunii præſertim in lucem quodammodo proferre nefas ducerent, ſed hoc unum vere, appoſite, & proprie dici poteſt, cum jejunia illa integra inducerentur primis illis temporibus, neque Sacrificii, neque communionis uſum ullum extitiſſe: ex eoque conſectarium illud nullum ut oſculum multas ob cauſas libaretur: primo, cum neque Sacrificii, neque communionis ulla mentio fieret: neque Miſſa, neque Sacrificium ullum ſolemne uſurparetur, oſculum ideo fuiſſe quaſi neglectum, & omiſſum: ſecundo prætermiſſo Miſſæ Sacrificio, ſacerdotem pacem domini populo non impertiri conſueviſſe: propterea Chriſtianos non mutuo inter ſe circumlato oſculo uſos fuiſſe: Tertio verba illa ſancti Chryſoſtomi afferri poſſunt, homilia de proditione Judæ: *Sanctum oſculum teneamus, quod animas ſociat, reconciliat mentes, & unum corpus oſtendit, quia unum corpus videmur eſſe ſortiter, & ideo miſceamus nos in corpore uno, non in mixtione, ſed animorum charitate devincti, ut ſic divinæ menſæ poſſimus fructibus ſatiari*. Oculum inſtar pignoris ac Symboli communionis, ac prope fœderis omnium Chriſtianorum in uno eodemque corpore, ſumpta ad cibum Euchariſtia, præbebatur: eamque ob cauſam, quibus diebus a Chriſti corpore ſumendo abſtinerent, ejus Symboli intermiſſio fiebat, adde quod oſculum ante Euchariſtiæ ſacram communionem, ſeu participationem porrigebatur, ut ante Chriſtianorum inter ſe concordia ac reconciliatio gratiæ iniretur, quam Deo, illi, ſuo paſcerentur, quo ſi non reficiebantur, reconciliationis ejus omnino nulla componendæ memoria refricabatur: Ad extremum Tertullianus, Oſculo Pacis in partem meriti & gratiæ, quæ tempore Miſſæ ſacrificii comparabatur, unumquemque a fratribus coopta-

cooptari, & aſciſci: cujus ſacrificii ceſſatione ejus quoque fruendi cauſa nulla erat, ut ipſi de noſtra operatione participent, quam auderent de ſua pace tranſigere fratri: uno verbo, ut paucis perſtringam, quid aliud his verbis innuit, quale ſacrificium eſt, a quo ſine pace receditur, quam oſculum dari omnino conſueviſſe propter Sacrificium. Sed objicitur Divus Ambroſius ſermone 34. cujus expreſſa ſunt verba, quæ confirment, etiam in Quadrageſimis jejuniis oſculum datum eſſe, quemadmodum pacem Epiſcopo porrigentis, ne forte ipſo ſpiritu oſculi veſtri vos reprobet: poſſunt & ſtationum dies proferri, quibus & ſi hora tantum tertia pomeridiana jejunium ſolveretur: Pacis tamen Oſculum intercederet ſed reſpondeo, vera illa eſſe, tantumque a nobis aſſeri jejuniorum integrorum diebus oſculum vetitum: jejuniis, inquam iis, quæ ſub veſperam tantum ſolverentur: quibus quia ſacrum nullumque ſacrificium offerebatur, ita etiam nullum Pacis Oſculum interponeretur: ſicuti neque feria ſexta majoris hebdomadæ Sabbatoque Sancto, extraordinariiſque jejuniis, quæ graviori aliqua de cauſa ab Eccleſia imperarentur. Sed quibus diebus ad nonam tantum, aut etiam ad meridiem jejunium protrahebatur, cum in iis etiam Sacrum fieret, Oſculum etiam porrigebatur. Quare cum in Quadrageſimæ Stationumque diebus primum hora tertia pomeridiana, & deinde remittente ſe non nihil ſeniore diſciplina, meridie ſacrum procuraretur, Oſculi etiam erat conceſſa uſurpatio, atque eam eſſe cauſam illius conſuetudinis arbitror, non autem in Judæ oſculum quaſi deteſtandum referendam: ſed enim tantum in feriam ſextam ſanctioris hebdomadæ: non item in Sabbatum ſanctum cadere poteſt. Deinde conſtat ex Tertulliano, eos qui libenter, & extraordinarie quoque anni die jejunarent, voluiſſe etiam oſculo parcere, imitantes in quo quidem, ſed male Eccleſiam, quæ integris jejuniis Oſculo interdiceret.

IV. Addendum item ceſſari ab Oſculo in ſacrificiis, & ſacris, quæ pro mortuis offeruntur, quod ut Author eſt Almianus lib. 3. cap. 44. ea Chriſti mortem referant & repræſentent: diebus autem qui ei recolendæ celebrandæque conſecrati ſunt, cum nullum ſit Oſculum, neque in ſacris, quæ pro mortuis offeruntur eſſe debet. Sed cum omiſſi in morte Chriſti recolenda Oſculi, cauſam in Judæ proditoris Oſculum referat: non video qui convenire mortuorum ſacris poſſit. Exiſtimo itaque probabilius eſſe, ideo in mortuorum ſacris oſculum non perſolutum eſſe, quod olim privata eſſent illa ſacra, non autem ſolemnia, hoc eſt, non eſſent inſtituta, ut in eis publice fideles omnes communicarent, perinde atque Dominicis, feſtiſque diebus fieret, ſed autem apparet ex Canone 4. Concilii 2. Vaſenſis, ubi diſcrimen ponitur inter ſolemnia mortuorumque ſacra. Itaque cum in iis ſacris non communicaretur, nullum etiam Oſculum dabatur, quod quidem Symbolum quoddam, & argumentam erat communionis fidelium, eoque tantum nomine permittebatur, ut ad communionem fideles præpararentur & ad mutuam benevolentiam excitarentur. Eadem ratio facit pro Monachorum Sacris, in quibus præter oſculum parcebatur, non quidem ut nonnulli authores de divinis officiis volunt, quod mortui mundo cenſerentur, quaſi mortuos inter & vivos nulla intercederet communio: & cum iis communicandum non eſſet, qui uno eodemque cum vivis Eccleſiæ corpore comprehenduntur: quare ſi cum mortuis communicandum eſt, non eſt in eorum ſacris prohibendum oſculum: quando quidem communionis ſignum eſt, coarguitque & convincit Chriſtianos, ut ſimul oſculo conjunguntur, ita & eodem Eccleſiæ corpore ſimul omnes conſociari. Vera igitur ac germana ratio inde reſumenda eſt, quod Monachorum Miſſæ, ſacrificia privata eſſent, & in iis nulla generalis communio fieret. Quare oſculum quod ad ſolas pertinebat generales communiones, omittebatur. Huc accidit ratio admodum Monachos Euchariſtiam percepiſſe, quod laici eſſent, perpetuoque pœnitentiæ, & aſperitatibus vitæ conficerentur, quo in ſtatu, ſeu tempore vix ad Euchariſtiam participandam, ac ne vix quidem accedere ſolerent.

De Stationibus Chriſtianorum.

OBSERVATIO IV.

I. QUid ſit Statio, quidve apud antiquos Eccleſiæ ſcriptores, hoc vocabulo ſignificetur, quoque ritu celebraretur, non tam facile eſt explanare, quam Pamelium qui de ea ſcripſit in notis ad Tertullianum, qui eam a jejuniis minime diſcrepare exiſtimat, refellere. Nam ex ipſis locis & verbis Patrum quæ ad ſententiam ſuam confirmandam affert, liquido conſtat magnum inter utrumque diſcrimen eſſe, ut paulo poſt dicemus: Interea non erit alienum a propoſito ejus rationes diſcutere, ut tota res, & controverſia clarior evadat. Ea potiſſimum ratione nititur Pamelius ut Stationes Chriſtianorum a jejuniis nihil differre perſuadeat, quod antiquitus moris erat abſtinere a jejuniis diebus Dominicis ut probatur ex Tertulliano lib. de Corona militis ***die Dominico jejunium nefas ducimus*** quo die idem author eodem libro, ait, non licere Chriſtianis ſtationes facere, ***jam ſtationes aut alii magis faciet quam Chriſto, aut & Dominico die quando nec Chriſto***: unde colligit jejunium & ſtationem pro uno eodemque accipi debere, quoniam neutrum diebus dominicis fieret: quæ ſane ratio parum firma eſt, quandoquidem nec multæ aliæ cæremoniæ, diebus ſolis haberentur, quibus tamen nihil commune cum jejunio: quemadmodum *de geniculis Deum adorare*: ait enim ipſe Tertullianus non licere diebus Dominicis de geniculis preces fundere. Meminiſſe debuit atque animadvertere unam eandemque cauſam omnibus his ritibus, qui mœrorem aliquem inferrent, impedimento fuiſſe; hoc eſt, Chriſtianos jejunii ſimul & ſtationum earumque rerum quæ hilaritatem turbarent, diebus Dominicis uſum remiſiſſe: nec tamen inde ſequi ex Tertulliano ſolis tanquam reſurrectionis Domini noſtri honoratum & ejus æternæ memoriæ conſecratum, omni alacritate & exultatione celebrarent, ut ex ejus Apologetico cap. 16. licet intelligere, ***æque ſi diem ſolis indulgeamus alia longe ratione quam religione Solis***: & ex Minutio Fœlice & Beato Juſtino: unde factum eſt, ut Ethnicis perſuaſum eſſet Chriſtianos adorare Solem. Ne itaque lætitiæ atque alacritati publicæ aliquid detraherent, immunes illis diebus agebant ab omni auſteritate, & corporis vexatione, atque adeo ab omnibus auſteris rebus, ut ſunt jejunium, ſtatio & de geniculis adorare.

Altera Pamelii conjectura hæc eſt, quod ſtationem nonnulli Patrum jejunium vocent ut Hermas, lib. 3. ſimili. V. ***Quid eſt***, inquit, *ſtatio? & dixi* jejunium? Divus Ambroſius ſermone 39. *Stationes vocantur jejunia, quod ſtantes & commorantes in eis, inimicos inſidiantes repellamus*. Rhabanus Maurus lib. 11. de inſtitutione clericorum, cap. 1°. *Jejunium eſt cujuslibet diei abſtinentia. Non per legem? ſed ſecundum propriam voluntatem: Stat Obſervatio ſtatutorum dierum*, ***ut quartæ & ſextæ feriæ vel quadrageſimæ***: quibus ſibi perſuaſit inter jejunia & ſtationes, id diſcriminis tantum eſſe, ut illa ex arbitrio, ſtationes vero ex præſcripto Eccleſiæ fierent: ſed facile eſt reſpondere, ſtationes a Patribus propterea vocari jejunia, quod durante ſtatione, cumque in ea Chriſtiani morarentur, jejunarent, ut explicabitur, poſtea, ideo fieri, ut ſtationem dicant eſſe jejunium Chriſtianorum: Sed ex multis aliis Patrum locis oſtenditur, eas a jejuniis differre, vel ſaltem multa in eis, fieri, & præſtari a Chriſtianis præter jejunia.

II. Quod autem ſtationes differant a jejuniis, verba Tertulliani lib. 2. ad uxorem clare demonſtrant ***ut ſi ſtatio facienda ſit, maritus de die condicat ad balneas, ſi jejunia obſervanda ſunt, Maritus eadem die convivium exerceat***. Primum enim manifeſto jejunium a ſtatione diſtinguit, deinde utrique opponit res diverſas, ſtationi balneum, jejunio epulum: deinde ſi ſtatio nihil aliud fuiſſet quam jejunium, quid in hæc mulier utrique ſatisfeciſſet, & jejunaſſet, & ad balneas iviſſet? ſed quoniam diebus ſtationum manendum erat in Eccleſia uſque ad horam nonam, ideo dicit huic mulieri fore ut maritus Ethnicus eam impediat balneis, quo minus Eccleſiis intereſſe & ſtationes obire poſſit.

III. Nunc vero quid ſit ſtatio, & quo ritu potiſſimum expleatur, hoc loco diligentius inquirendum eſt, ne cum aliorum ſententiam refutaverimus, meliorem non ſubſtituamus: Omnes igitur Chriſtiani prioribus illis ſæculis diebus Mercurii, & Veneris, ſummo mane in Eccleſias con-

Digitized by Google

conveniebant, ibique ad horam nonam morabantur & precibus; & rerum divinarum contemplationibus vacabant, corporaque jejuniis adgeniculantibus lachrymis pœnis, & laboribus exercebant, denique hora nona ſacris peractis, Euchariſtiaque accepta (nam numquam a Statione, niſi ea accepta recedebant) ſtationem ſolvebant, domumque revertebantur. Hoc religioſum officium, & moram illam, quam in Eccleſia illis diebus ducebant vocabatur inter eos ſtatio, nomenque ſumpſiſſe videtur a militari ſtatione. Nam quemadmodum excubiæ militum & eorum pro foribus palatii ſtandi, excubandive functio, ſtatio vocabatur, ita veriſimile eſt Chriſtianos moram illam atque officium illud quod pro tutela Eccleſiæ, atque ut Dei miſericordiam, & gratiam ſibi conciliarent, in Eccleſia uſurpabant, excubias & ſtationem vocaſſe, ut inſinuat Tertul. lib. de Oratione, *ſi ſtatio de Militari exemplo nomen accepit*.

IV. Supereſt ut ſingula quæque, quæ in ejuſmodi ſtationibus fieri diximus, diſcutiamus & probemus, tum demum liquido conſtabit, ſtationes jejunia dumtaxat non eſſe, eoſque qui eas a jejunio non fecerunt veteres Eccleſiæ ritus, & officia, ob eorum certe eximiam pietatem digna ſtudio, & quæ ab omnibus intelligantur non ſatis explicaſſe & commendaſſe.

Primum occurrit probandum eos ſummo mane in Eccleſia conveniſſe, quod ex verbis Plinii ſecundi in Epiſt. ad Trajanum colligere licet, qui de Chriſtianorum conventibus loquens, eos antelucanos vocat: deinde ex his verbis Tertulliani ad uxorem, *ſi ſtatio facienda ſit, Maritus de die condicat ad Balneas*: nam ait Balneis ſtationem ejuſmodi mulieris, quæ Gentili nupta eſſet, impediri poſſe, at vero, ait alibi, Gentiles ſummo mane lavari, in Apoſtolo cap. 42. *Non lavor diluculo*, ut Gentiles ſcilicet ſaturnaliorum diebus *ſed lavor honeſta hora*. Igitur cum eadem hora, eodem diei tempore, eundum eſſet ad Balneas, & ad ſtationes, uterenturque balneis tempore matutino, liquido conſtat incipiendis, & convocandis ſtationibus idem tempus conſtitutum fuiſſe.

V. Verum an diuturniores in Eccleſia moras agerent, partemque illam diei a matutina ad nonam integram & ſolidam in eadem Eccleſia conſumerent, ad rem pertinet inquirere, ex hujus enim illuſtratione quæcumque apud authores de ſtationibus reperiuntur, plana, & perſpicua neque deſunt argumenta quæ ſuadeant eos a ſtatione, & ab Eccleſia ante nonam non receſſiſſe, functionemque illam tres illas diei partes integras duraſſe: ſi enim ſecundum ſtationis vocabulum de hac re diſſerendum ſit, quemadmodum de Oratione de corona militis & adverſus Pſychicos diſſerit Tertullianus, in ſtationibus & excubiis certum eſt milites diem integrum & ſolidum permanſiſſe: Præterea ſi ad exempla, quibus eodem libro utitur, rem deferas, diuturnam aliquam moram, & ſtationem omnia inducere videntur. *In Exodo habitus ille Moyſi adverſus Amalech orationibus præliantis uſque in occaſum perſeverans, nonne ſtatio fuit ſera*. Item, *quæ ipſis elementis ſtationem imperavit*, item, *ſtetit ſub medio cælo*. Item, *inſtantem tandiu in officio ſtationem etiam ſera longiorem*. Denique quænam potuiſſet eſſe horum dierum ſolemnitas, aut pietatis officium, niſi in ipſa aſſiſtendi commorandique functione: denique cum ſtationes eſſent jejunia, eaque non domi, ſed in Eccleſiis olim tranſacta fuiſſe conſtet, credibile ſit Chriſtianos, ab Eccleſia hiſce ſtationum diebus, ante nonam non receſſiſſe: unde a vera horum verborum Epiphanii ſententia, *Cæterum pro ſynaxibus quæ quarta & pro Sabbato ad horam nonam fiunt, in die Dominica Matutinis horis ſynaxes fiunt*; eos aberrare certum eſt, qui pro hac voce *ſynaxis*, conventus reddunt: exiſtimantque de Euchariſtia illic mentionem non eſſe, ſed de conventibus Chriſtianorum, quos docet Epiphanii ſummo mane diebus Dominicis, quarta vero, & ſexta feria, hora nona incepiſſe. Nam qua ratione id tueri poſſint non video. Si enim pro ſynaxi hoc loco conventus ſubſtituunt, neceſſe eſt fateantur diebus ſtationum eos ipſos conventus hora nona inchoatos. Cum hoc ipſo loco dicat Epiphanius ſynaxes quarta & ſexta fieri hora: aliunde vero certiſſimum eſt ut poſtea probabitur ex Tertulliano, & aliis Patrum locis, Chriſtianos ſtationes, & conventus quartæ & ſextæ, eadem hora nona diremiſſe, neque ultra hoc tempus productos: quapropter doceant quæſo, quomodo eadem hora eodemque temporis puncto conventus ejuſmodi potuiſſent, & celerari, & dirimi, & qua ratione Tertulliani & Epi-

phanii verba, quæ inter ſe pugnare videntur conciliari poſſint: quæ ſi in eodem Epiphanii loco pro ſynaxi ut vulgaris fert explicatio, communionem & Euchariſtiam ponas, nulla erit inter Epiphanium & alios authores pugnantia, cum enim accepta Euchariſtia ſolverentur Stationes, & conventus quartæ & ſextæ feriæ: una eademque hora nona Chriſtiani poterant communiones facere, id eſt Euchariſtiam ſumere, & a ſtationibus recedere. Quapropter retinenda eſt prior explicatio, quam vir ille doctus non mutaſſet, ſi rem ipſam potius quam Caſauboni verba conſideraſſet.

VI. An vero omnes tenerentur aliqua pœna aut peccato Stationes facere ex verbis Tertulliani adverſus Pſychicos, quibus eorum rationes proponit & ſibi objicit, conſtat id munus unius cujuſque arbitrio permiſſum fuiſſe: *paſſive tamen currant, neque ſub lege præcepti*, item, *hoc quoque munus & ex arbitrio obeundum eſſe dicentes*.

VII. Quod hiſce Stationum diebus Chriſtiani jejuniaque ſua ad nonam uſque & pari menſura cum ſuis precibus continuarent, nullo negotio obtinere poteſt. Nam quæ a Pamelio afferuntur, ſufficerent ad id probandum, ſi aliis careremus argumentis: quorſum enim Hermas, & Divus Ambroſius ipſas Stationes vocarent jejunia, ſi Stationum tempore non jejunaretur? Præterea Tertullianus vocat Jejunia Stationum ſemijejunare, quod argumento eſt eos in Stationibus a cibis abſtinuiſſe, quin etiam hæc verba eodem inclinant; *poſſum æque feræ Stationis ex eodem rei ordine ſtatum figere, ut jejunemus ad ſerum:* item omnia omnino exempla quæ ex veteri teſtamento profert, ut perſuadeat Stationes ad veſperam, & ultra nonam producendas eſſe: omnia inquam ea exempla de jejunio mentionem faciunt, & ex jejuniis aut jejunantibus deſumpta ſunt. Quod ſi autem, cur a Tertulliano jejunia Stationum, dicantur ſemijejunia, facile eſt concipere, ut enim res ſuas & Montaniſtarum ſententiam & mores extollat, qui ad veſperam Stationes producebantur, eaſque hora nona, ut Orthodoxi dimittere nolebant, per contemptum vocat ea jejunia quibus Orthodoxi diebus Stationum ſe ſe exercebant ſemijejunia, quia ea non continuabant ultra horam nonam, qua hora jejunia, æque ac ipſas Stationes, dirimebant.

VIII. De geniculis eos adoraſſe hiſce Stationum diebus, id eſt in genua provolutos, non autem ſtantes, preces concepiſſe veriſimile eſt: nam quoties a Deo aliquid impetratum vellent, aut imminentem ab Ethnicis procellam, ac tempeſtatem evertere cuperent, toto corpore jacentes ac cernui, non autem ſtantes precabantur. Stationes autem fuiſſe luctum publicum, & preſſuram publicam, & eas inſtitutas, ut Dei iram mitigarent, idem ipſe Tertullianus oſtendit in eodem libro de jejuniis: quapropter dubium non eſt, quin procumbentes orarent illis diebus: deinde erat apud antiquos & naſcentes Eccleſiæ Chriſtianos, quædam immunitas, & quoddam genus gaudii de geniculis non adorare, ut ait idem Tertullianus de corona militis. *Die Dominica nefas ducimus de geniculis adorare, eadem immunitate a die Paſchæ in Pentecoſtem uſque gaudemus*. Quare cum hunc morem & precandi habitum, diebus duntaxat lætitiæ uſurparent, contrarium omnino veriſimile eſt, eos uſurpaſſe diebus illis, quibus mœrorem & ſquallorem ſuum Deo objiciebant. Præterea quoties de Jejuniis loquitur Tertullianus, ad geniculationes adjungit, tanquam jejunii partem: *Quando non geniculationibus, & jejunationibus noſtris etiam ſiccitates ſunt depulſæ*. Neque obſtat, quod a ſtando vocabulum illud Stationis deducitur; nam verbum illud, ſtare, eaque quæ ab eodem derivantur in pedes ſtare, & manere non ſemper ſignificant, quin imo ſtatio militaris, quæ ab eodem verbo nomen accepit, eum uſum, ac notionem non habuit, militeſque, qui excubabant, quovis modo hanc functionem obire poterant, ita hic ſtatione nihil aliud deſignatur, quam mora, ac præſentia Chriſtianorum in templis, dum preces, & alia pietatis exercitamenta facerent.

IX. In publicis jejuniis aut Pœnitentiis lachrymas non cohibuiſſe Chriſtianos ſatis liquet ex Patrum ſcriptis; in his ideo pietatis officiis, & ſtationibus, quibus ut cœlum moverent, & miſericordiam Dei extorquerent, fungebantur, par eſt credere eaſdem eos lacrymas Deo obtuliſſe & oſtendiſſe. Quid autem præter ea quæ diximus, toto hoc ſtationum tempore, a matutina videlicet ad nonam agerent, qui-

quibuſve operam darent, non alienum erit oſtendere. Primum orationibus vocabant aliquantulum, hoc eſt Tertulliano dignoſcitur lib. adverſus Pſychicos cap. 10. ubi cum de Stationibus fiat mentio hæc habentur, *ad horam nonam orationis templum introgreſſi leguntur*. Item, *ubique & omni tempore orandum*. Item, *tertio orantem ſupremæ orationis munere*. Item cap. 11. *Quando & orationes fere hora nona concludebat de Petri exemplo*. Ceterum argumenta quæ ex veteris Teſtamenti hiſtoriis obtrudit, ut feras Stationes ſuas confirmet, pene omnia de precibus & orationibus, Danieli, Moyſi, Jonathan, aut aliorum mentionem faciunt. Pſalmos quoque & Hymnos in ejuſmodi excubiis & Stationibus Chriſtianos ceciniſſe, ex his verbis Tertulliani confirmatur, quibus de eiſdem Stationibus legens, ait, *Hoc tu pſallere non facile noſtri, niſi quo tempore cum pluribus cœnas*. Locus hic obſcurus ſatis, quem ut intelligas opus eſt ut ad authoris ingenium & argutias reſpicias: vult enim dicere Montaniſtas, diebus Stationum non cœnaſſe eadem hora, qua Orthodoxi cænabant, ſed eadem ipſa Montaniſtas in Eccleſia ſtetiſſe, & pſalmis & orationibus Stationes ſuas continuaſſe. Nam cum hora nona, jejunia ſua dirimerent Orthodoxi, & cibos ſtatim ſumerent, Montaniſtæ vero ea continuarent uſque ad Veſperam eadem hora, qua hi pſallebant in Eccleſia, & cantabant, *vide quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*. Eadem, inquam, Orthodoxi ſimul cœnabant & manducabant, & eundem pſalmum ad cœnam ſuam recreandam poterant canere: uno verbo arguit Orthodoxos, quod illis melius, atque jucundius videatur habitare fratres in unum in cœna, quam in Eccleſia, quia hora veſpertina vel ante eam cœnarent diebus Mercurii & Veneris, qua hora Montaniſtæ hunc pſalmum in Eccleſia canerent. Sed quicumque tandem horum verborum ſenſus eſſe poſſit, ex his ſemper elicitur in Stationibus Chriſtianos pſalmos decantaſſe.

X. Quibus autem diebus Stationes fierent, non eſt ambiguum: nam omnes antiqui ſcriptores Mercurii & Veneris dies, hiſce officiis ſeponunt, Tertullianus, *cur Stationibus quartam & Sextam Sabbati dicamus*, item *cui & quarta Sabbati & Sexta plurimum fungimur*, item, *proinde nec Stationum quæ & ipſos ſuos quidem habeant quartæ feriæ & ſextæ*. Epiphanius in compendio doctrinæ Chriſtianæ. *Quarta vero & pro Sabbato jejunium ſtatutum eſt uſque ad horam nonam*. Idem adverſus Ærium, *a quo vero non eſt aſſenſum in omnibus orbis regionibus, quod quarta, & pro Sabbato jejunium eſt in Eccleſia decretum, idem, deinde vero ſi non de eodem argumento quartarum, & pro Sabbatorum iidem Apoſtoli in conſtitutione dixiſſent*. Petrus Alexandrinus, *non reprehendet nos quiſpiam quartam & ſextam feriam obſervantes in quibus nobis jejunare ſecundum traditionem præceptum eſt*: hos vero dies ejuſmodi Stationibus adſignarat Eccleſia, quia ut eſt in conſtitutionibus Clementis deliberatum eſt a Judæis de interficiendo Chriſto, aut ut docet Petrus Alexandrinus, quia *quarta initium de proditione Domini a Judæis factum eſt, ſexta autem quod ipſe paſſus ſit pro nobis*. Ex iiſdem veterum teſtimoniis, ni conſtaret Stationes ultra nonam non duraſſe multa ad id probandum ex Tertulliano afferrem, qui reprehenſus ab Orthodoxis quod ea Montaniſtæ ad veſperam producerent, nititur oſtendere, adverſus Pſychicos, ſolemniores eas fore, ſi ad noctem producantur, & nona non ſolvantur: Ex Prudentio in Agone fructuoſi eadem hora finiendis Stationibus notatur.

Jejunamus, ait, recuſo potum,
Nondum nona diem reſignat hora.

Nam die Veneris, ut in actis ejus martyrii legitur, morte & ſanguine ſuo Chriſti nomen & fidem confeſſus eſt: quid ſit cur Stationes nona potius quam ſexta, aut recedente ſole, finirent, Stationumque jejunia minus ſevera brevioraque eſſent quam ea quæ ab Epiſcopis jubebantur, aut ea quæ ex more & inſtituto Eccleſiæ, obſervabantur in Quadrageſima; nihil reperio quod magis ſatisfaciat, placatum reddere, quæ cum eſſent viſitata, & ſæpius in unaquaque hebdomada uſurparentur, ſatis gravia & oneroſa viſa ſunt, ſi ultra nonam non detinerentur: Alia vero quæ mandabantur ob aliquam Eccleſiæ ſollicitudinem, ut ait Tertullianus, non niſi ob gravem aliquam cauſam mandabantur, ideo in ſerum producebantur.

XI. Cæterum in hac obſervatione nihil difficilius occurrit nihil in his Stationibus plus negotii viris eruditis exhibuit, quam inveſtigare,

gare,

gare, qua horum Stationum diebus ſacra & Euchariſtiæ ſacrificia offerrentur: quave hora fideles qui iiſdem Stationibus intererant, ipſa communione donarentur. Denique an ipſæ Stationes ipſius Euchariſtiæ ſumptione finirentur, an vero poſt communionem aliquantulum etiam durarent, ſed quia in alia obſervatione de ſacrificio & communione dierum jejunii multa dicerentur, hoc loco eadem adſeribere ſuperſedi, ſatiſque viſum eſt de ultima difficultate diſſerere: qui negant Stationes illas antiquas accepto Corpore Chriſti ſolutas fuiſſe, hoc uno Tertulliani loco nituntur libri de Oratione: *Similiter de Stationum diebus, non putant plerique ſacrificiorum Orationibus interveniendum, quod Statio ſolvenda ſit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obſequium Euchariſtia reſolvit, an magis Deo obligat, nonne ſolemnior erit Statio tua ſi ad aram Dei ſteterit accepto corpore Domini, & reſervato utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & executio officii.* Quibus verbis Tertullianus innuere videretur Chriſtianos poſt acceptam Euchariſtiam in eadem Statione manſiſſe eamque poſt communionem duraſſe. Cum enim caſtiget quoſdam, qui ea accepta volebant diſcedere, dicatque orationes ſacrificii ſupereſſe, quibus non intererant qui diſcedebant poſt communionem, ſatis demonſtrare videtur, nequaquam ſolvi Stationes ſumptione corporis Chriſti, ſed ſingula quæque horum verborum explicentur, ſeorſimque exponantur, ex his conſtabit Stationes miſſas & ſolutas fuiſſe Euchariſtiæ acceptione: *Sacrificiorum orationibus interveniendum*, hoc loco ſacrificia, aut pro corporis Chriſti ſacrificio, aut pro oblationibus quas fideles peractis ſacris, offerebant, accipi poſſunt: Quod de ſacrificiis in plurali locutus ſit, ſenſum ad oblationes torquere non nihil videtur, nihilominus de ſacrificio corporis Chriſti hæc accipienda eſſe ſuadet, quod hæ oblationes diebus Dominicis potius quam quovis alio die, ex ritu antiquo, & moribus Eccleſiæ, offerrentur, ſed quidquid hujus ſit, nemo eſt qui velit ejuſmodi orationes, quæ pro oblationibus, aut poſt ſacrificium Euchariſtiæ fierent in altari paulo longiores fuiſſe. Nam cum ex Juſtino manifeſtum ſit, & ex conſtitutionibus Clementis, atque ex Canone 19. Laodiceni Concilii, fideles accepta Euchariſtia ſtatim ab Eccleſia receſſiſſe, vel etiam diebus Dominicis Euchariſtiam ſub fine Miſſæ porrigi ſolitam Tertullianuſque loquatur de orationibus, quæ poſt ſacrificium fierent, non eſt quod eas multum duraſſe exiſtimemus.

XII. *Quod Statio ſolvenda ſit*, multum intereſt ſcire quorſum hi, quos Tertullianus caſtigat, vellent recedere a Statione, accepto corpore Domini, cujus nulla alia poteſt eſſe cauſa, quam quod lætitia, quam ex ſumptione Euchariſtiæ conceperant, non patiebatur eos diutius in Stationibus quæ erant preſſura & luctus publicus remanere: Quam cauſam ipſe Tertullianus indicat his verbis, *nulla lætitia a capite, ergo devotum Deo obſequium*, ideſt Stationum: *Si ad aram Dei ſteteris*, ſtare, ni fallor, hoc loco ſignificat in pedes ſtare, nam accepta Euchariſtia, non licebat ex eorum inſtitutis, & ex veteri diſciplina, de geniculis orare. Quare cum eis ſuadeat ſtare ad aram accepta Euchariſtia, hoc verbum, *ſtare*, ea ſignificatione accipiendum eſſe videtur, quamvis in notis ad hunc de oratione libellum vocem illam non ita acceperim.

XIII. *Accepto corpore Domini & reſervato* olim in manus cujuſque Fidelium, Euchariſtia a Diacono tradebatur, eamque poſtea manducabant: Tertullianus igitur his verbis docet, qua ratione fideles poſſint utrique ſatisfacere, ideſt qua ratione poſſint remanere in Eccleſia, & intereſſe precibus Sacrificiorum, Stationeſque uſque ad exitum producere & nihilominus poſſint ſalvam facere conſuetudinem illam, qua viſo aut accepto corpore Chriſti, in omnem lætitiam ſe ſe effundebant. Hi enim quos redarguit, non videbant ſe poſſe triſtes & alacres ſimul vultus ſumere. Quapropter potius ducebant, Euchariſtiæ reddere, quod ex veteri religione illi debere ſciebant & a Statione ſtatim diſcedere ea accepta, & ejuſmodi excubias mœroris, & triſtitiæ plenas diſrumpere, ut lætitiæ indulgerent modum quo poterunt officio & ſacrificio ſatisfacere, ideſt, quo poterunt Stationes integras facere, & nihil detrahere ex lætitia, quæ Euchariſtiæ debebatur: ſi nimirum tantiſper reſervent in manibus ſuis Euchariſtiam, eamque non manducent quin hæ exiguæ orationes, quæ poſt Sacrificium, atque ut id Deo commendarent, habebantur, dictæ eſſent.

Is ni fallor, horum ſenſus, neque alium ſingere quiſpiam poterit, qui ad ritus Eccleſiæ antiquæ reſpexerit.

Ex his igitur licet colligere eos Stationes ſuas ſumptione Corporis Chriſti finiiſſe, neque quidquam in contrarium ab illo authore dictum, nam cum utrumque ſalvum vult fieri, id eſt Stationes & lætitiæ publicæ conſuetudinem, ſatis demonſtrat communionem cum Stationibus conſiſtere nequaquam poſſe, eaſque finiendas eſſe Euchariſtiæ manducatione.

XIV. Quæ de beato Fructuoſo martyre leguntur ad idem comprobandum, & quod Stationes Euchariſtiæ ſumptione, & manducatione ſolverentur, ſi integre incorrupteque explicentur, magnopere conferunt. *Cumque multi ex fraterna charitate eis offerrent condimentum uti permixtum poculum ſumerent, ait, nondum eſt hora ſolvendi jejunii, agebatur enim hora diei quarta, ſiquidem in carcere quarta feria Stationem ſolemniter celebraverunt. Igitur ſexta feria lætus atque ſecurus feſtinabat, uti cum martyribus & prophetis in Paradiſo, quem Dominus præparavit amantibus ſe, perſolveret Stationem.* Ex his ut ſenſum aliquem qui ad propoſitum faciat, eliciamus, ſingula quæque ſunt conſideranda. Primum, non aliam eum ob cauſam poculum recuſaſſe certum eſt, niſi quod Stationis erat dies, ejuſque ſolvendæ nondum adeſſet hora, nam quarta ad ſupplicium ducebatur, ut ex Prudentio apparet.

Quoſdam de populo vidit ſacerdos,
Libandum ſibi poculum offerentes.
Jejunamus, inquit, recuſo potum,
Nondum nona diem reſolvit hora,
Nunquam conviolabo jus dicatum,
Nec mors ipſa meum ſacrum reſolvet.

Nam per jejunium, jus dicatum, & ſacrum, Statio intelligenda eſt, cujus erat dies & tempus cum hæc verba pene moriens proferebat, ſed hæc in ejus vita obſcura videntur, *ſiquidem in carcere quarta feria ſtationem ſolemniter celebraverunt*. Nam quæ ratio hac die poculum aſpernandi potuit, quod eſſe quarta feria ſtationem perſolviſſet? nonne potuit de illo poculo deguſtare, & illud ebibere, quamvis quarta feria jejunium & Stationem præſtaſſet? niſi quod Stationem & excubias ſuas, piamque illam erga Deum functionem perſectam & integram, & ſatis rite eas ſeſe defunctos eſſe non exiſtimarent, ni duobus illis diebus eiſdem officiis vacarent, atque de ratione ſtationis eſſet, utroſque diei quartæ, & ſextæ feriæ, in ejuſmodi officiis conſumere. Quapropter cum ſtationem, & officium illud quarta exorſus eſſet, ne ſexta illud corrumperet, a poculo abſtinuit, & hoc verbum, *igitur*, hanc notionem & explicationem offerre videtur, nam refertur ad ea quæ ante leguntur: & innuit & ſanctificat Fructuoſum non minus Stationem eo ipſo die ſe velle facere, quam die Mercurii.

XV. Præterea verbum illud, *ſolemniter*, alicujus eſt momenti in hac hiſtoria, nam vix reperies quemquam antiquitus eo uſum fuiſſe, niſi ad Euchariſtiam ſignificandam. Quare hoc loco ſignificat, Fructuoſum quarta Stationem ſuam ſolemnem Euchariſtiæ ſumptione feciſſe. His itaque explicatis, ſæpius mecum ipſe cogitavi, quæ vis hujuſce ſermonis, quænam in eo poſſet eſſe gratia, qua denique ratione in Paradiſo potuerit beatus ille martyr Stationem ſuam quam hic inter humanos inchoaret, perficere & perſolvere: verum hanc tandem eſſe reperi, quod expleverat, & ſolemniter perfecerat, ita illius diei Stationem ſperare ſe poſſe in cœlis terminare & implere ejuſdem corporis fruitione, ſed nudi, aperti, & omni ſpecie & velo purgati: quamobrem autem haſce Stationes inſtituerant, non alia commodior ratio apparet, quam eos has excubias & officia pietatis & mœroris plena uſurpaſſe, ut Deum ejuſque iram demulcerent: uti enim videmus oborta aliqua nova perſecutione, ad jejunia, preces, lacrymas, & adgeniculationes ſolitos olim Chriſtianos confugere, ita veriſimile eſt primis illis ſæculis quibus miſeris & perſecutoribus undique, & quaſi perpetuis ſtiparentur, has functiones & pia officia inſtituiſſe, ut peccata ſua expiarent, Deumque Eccleſiæ, & fidelibus pacatiorem redderent.

XVI. Ut nihil in hac obſervatione deſideretur, nihilque relinquatur, quod non illuſtratum ſit, animadvertendum eſt haſce Stationes a die Reſurrectionis ad Pentecoſtes remiſſa fuiſſe: nam quemadmodum omnia omnino jejunia, vigiliæ, & alia ejuſmodi officia toto hoc tempore remitterentur, ita Stationes eodem tempore non habebantur, & ſi in eoſdem dies Veneris & Mercurii Nativitatis Chriſti dies, & ſolemnitas incidiſſet, Statio quo-

que

que quæ eodem die erat facienda, differebatur, Epiphanius. *Inſuper vero in quinquaginta diebus Pentecoſtes, de quibus dixi, non eſt Jejunium, neque in die Epiphaniarum, hoc eſt apparitionis, & adventus quando natus eſt in carne dominus, jejunare licet etiam ſi contingat ut ſit quarta aut pro Sabbatum*. In fine hujuſce obſervationis duo ſunt explicandi Tertulliani loci, qui ad Stationes pertinent. Primus de corona militis: *jam & Stationes aut alii magis faciet, quam Chriſto?* Quibus ait, ſi Chriſtianus miles fiat, fore ut Stationes magis faciat imperatori, quam Chriſto, quia cum Stationes Chriſtianorum nona finirentur, militiæ vero excubiæ noctem diemque integrum, & ſolidum durarent, Stationes Chriſtianus miles majores faceret imperatori quam Chriſto. Secundus a viris doctiſſimis obſcuriſſimis videtur, is legitur in capite decimo quarto libri adverſus Pſychicos: *cur Stationibus quartam & ſextam Sabbati dicamus & jejuniis Paraſceves*: cum enim jejunia Stationum ultra nonam non producerentur, jejunia vero integra ad noctem uſque obſervarentur, quomodo fieri poteſt, ut eoſdem dies Veneris Stationibus ſimul & jejuniis dicatos eſſe dicat Tertullianus? Bonus noſter Pamelius ut ex hac difficultate ſe ſe explicet, ait *Paraſceves*, hoc loco accipi debere pro Sabbato, quo nihil amente Tertulliani magis alienum fingi potuit ut recte monet Dionyſius Petavius in ſuis ad Epiphanium notis. Alii exiſtimant, rem ita illuſtrari, & componi poſſe, nimirum ut quarta & feria ſexta Stationes fierent, ambæque ad nonam uſque procederentur, ſed feria quarta ſtatim poſt Stationis exitum, horamque nonam jejunium ſolvere licitum eſſet, ſexta vero feria expleto Stationis tempore, non ſtatim fas fuiſſe cibis uti, ſed ad veſperam tantum: unde feria quarta ſemijejunium, ut Tertullianus vocat, obſervatum eſt, ſexta jejunium integrum: ſed hæc explicatio non magis conſentanea videtur hiſce Stationum ritibus: nam omnes conſtanter affirmant Stationes & jejunia Stationum, ſolvi poſſe hora nona, quare nulla authoritate aut ratione hanc explicationem defendere poſſunt. Præterea cum tota quæſtio & controverſia, quæ hoc loco inter Orthodoxos, & Montanum agitatur, in eo potiſſimum verſetur, quo tempore, & hora ſolvendum ſit Stationum jejunium & abſtinentia, & hi ad veſperam, illi non ultra nonam cenſerent eam eſſe obſervandam, ſi vera & legitima ea eſſet explicatio, quæ inter eos potuiſſet eſſe diſſentio? aut quamobrem quæſo Tertullianus, cujus acre ingenium nihil potuit effugere, mirum ſibi videri non clamaſſet in hoc libello, quod Orthodoxi ſeras Montaniſtarum Stationes culparent & reprehenderent, cum ipſis diebus Veneris ſuas vel ſaltem earum jejunia ad noctem continuarent? unde planum fit hanc vocem *Paraſceve* non eſſe de ſingulis aliis diebus Veneris, accipiendam.

XVII. Ego vero exiſtimo hoc loco *Paraſceve*, poni a Tertulliano pro diebus majoris hebdomadæ, quibus jejunium ſtrictius multo, quam tota Quadrageſima obſervabatur, & id facile eſt credere ex ejus loquendi more; ut enim Paſchatis voce non ſolum ad diem Paſchæ, ſed etiam ut totos illos dies ſeptimanæ Sanctæ ſignificet, utitur ad uxorem lib. 2. *Quis denique ſolemnibus Paſchæ abnoctantem*, ſecurus ſuſtinebit, aliquando etiam pro Paſſione Domini, & die Veneris eandem ipſam vocem uſurpat: uti libro adverſus Judæos, ita etiam hac voce Paraſceve, cum uſum eſſe fas eſt credere, ut dies ejuſdem ſeptimanæ indicaret, præſertim cum præparatio quædam ea ſignificetur, & totam illam hebdomadam jejuniis & orationibus conſecrarent, ut gratioſiores reſurrectionis Chriſti memoriam & diem celebrarent; qui ſenſus & ſignificatio ſi admittatur nihil in hoc loco ſupererit difficultas, nam in illa majori hebdomada Stationes non fiebant ordinariæ, quia ſeverius erat jejunandum, ideo dicit Eccleſiam dicaſſe quartam, & ſextam Feriam Stationibus dies vero illius hebdomadæ jejuniis.

JOHAN-

JOHANNIS CIAMPINI ROMANI

De Cruce Stationali Inveſtigatio hiſtorica, ſeu

DISSERTATIO X.

I. VAria non raro mutuis ex Literatorum colloquiis moventur dubia, variæ inſurgunt quæſtiones, indeque ſucceſſive deciſiones enaſcuntur: id ipſe pluries ſum expertus, ut in meis jam editis oſtendi operibus, Tibique etiam id pluries accidiſſe minime dubito. Nondum enim ſecundus eſt elapſus annus, ex quo veteris admodum Cycli Paſchalis exemplar (qui Ravennæ marmore inciſus adhuc cernitur, mihique a R. P. Cæſare Pronti ſua humanitate illinc tranſmiſſus fuerat) Tibi communicandum duxi, ut tanquam ad antiquarum eruditionum fontem accedens, inde aliquid libare valerem; cum ſucceſſive accepi, jam de Paſchali Veterum Latinorum Cyclo Te exaraſſe Diſſertationem. Quamobrem rogavi Te, ut iterum ad hunc explicandum Cyclum manum admoveres, pro certo habens, meliorem na-ćturum fortunam, ſi e tuo potius, quam e meo excideret calamo. Nec mea me fefellit opinio, nam Tu meis indulgendo precibus, abſtruſam mirum in modum illius explicationem, pro more tuo, adeo claram, patentemque feciſti, ut Te talem Eruditiſſimum Virum, qualem literaria Te laudat Reſpublica, aperte demonſtraveris. Tibi igitur me ſummopere devinctum eſſe teſtor, cum me ab illius Cycli enodatione publicanda liberaveris, nec non ejuſdem a Te factam explicationem ſub meo nuncupare nomine volueris. Tibi propterea innumeras rependo grates, certioremque nunc Te facere volo, me in aliud explicandum incidiſſe dubium, nempe: Quænam antiquitus Cruces Stationales eſſent. Examen hoc mihi injunxit R. P. D. Joſephus Maria Thomaſius Reipublicæ literariæ ſatis notus, cui etiam plurima debeo, cum enim de ſecunda Veterum Monimentorum Parte, quam præ manibus habeo, ſecum colloquium haberem, ſuaſit mihi, ut aliquid *de Crucibus Stationalibus* in ea infererem. Tanti Amici voluì obtemperare monitis. Quamobrem ea, quæ colligi, quæque in his paginis exaravi, tuæ eruditioni ſubmittere duxi, ut dijudicare valeas, an ad optatam ego pervenerim metam.

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget Crucis myſterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

II. Hæc canit Eccleſia de hoc Dominicæ Crucis myſterio, ſacroque ſymbolo, de quo fere omnes Chriſtiani Scriptores aliquid exararunt. Inter recentiores Jacobus Gretſerus, ac Jacobus Boſius de hac Sanctiſſima Cruce peculiares edidere tractatus. Et merito, quoniam Hyponenſis ille Antiſtes, Latinæque Eccleſiæ lumen S. Auguſtinus, ſeu quivis alius ſit Auctor in Sermone 101. de Tempore, quem Neoterici Operum S. Auguſtini Editores in Appendice ſub num. 32. rejecerunt, ſic de Cruce fatur: *De B. Crucis myſterio diutius loqui, & dulce eſt, & ſalubre*. Et paulo poſt: *Quid enim dulcius, quid ſuavius, vel excogitari, vel dici poteſt, quam S. Crucis myſterium, per quam non ſolum ab inferis revocari, ſed etiam in Cœlis elevari meruimus. Myſterium*, ait Apoſt. ad Coloſſ. 1. 26. *Quod abſconditum fuit a ſæculis, & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt Sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in Gentibus:* & in prima ad Corinth. c. 1. 23. addit: *Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*. De hoc igitur Signo, quando ex ignominia, in venerationem publicam devenerit, primitus inquiro, ut Amici quæſito magis ſatisfacere valeam.

III. Et quidem illud præmittendum judico, quod notum pene omnibus eſt, quod cum Magnus ille Chriſtianorum Imperator Conſtantinus in conſiliis haberet, Romam a Maxentii tyrannide vindicare, ad Chriſtianorum unicum Deum, quem Conſtantius ejus Pater coluerat, confugiendum eſſe arbitratus fuit. Itaque eundem humiliter deprecatus, ut quid in tam ardua re peragere deberet indicare dignaretur. Nec irritæ, neque inanes ejus fuere pre-

preces, neque in ſomnis, ſed in ipſo meridie claro, ſerenoque Cœlo, Crux, ſplendorem Sole clariorem emittens, in aere apparuit, in qua hæc inſcripta Græcis legebantur literis ΤΟΥΤΩ, ΝΙΚΑ, nempe *hac vince*. Interea anxius quid hæc denotare vellent, ſuperveniente nocte quievit, eique in ſomnis, Chriſtus cum eodem Signo, quod in Cœlo fuerat oſtenſum, apparuit, præcepitque eidem, ut militare ſignum, ad ſimilitudinem ejus, quod in Cœlo viderat, fabricaret, eoque tanquam ſalutari præſidio in præliis uteretur. Cumque primum dies illuxit Auguſtus noſter, præſtantiſſimis accerſitis Artificibus, Crucem ad illius cœleſtis ſimilitudinem, intexto auro, gemmiſque inſertis,fieri juſſit. Hoc ſymbolum exprimebat haſta longior, quæ auro contecta, tranſverſam habebat antennam; in ejus haſtæ ſummitate corona affixa erat gemmis, auroque ditata, binæque inſuper literæ X. P. hac ratione expreſſæ ☧· ſalutare Chriſti nomen deſignabant. Quas quidem literas Imperator in galea poſt hæc etiam geſtare conſuevit. Ex antenna autem, quæ obliqua per haſtam trajecta erat, velum quoddam dependebat; textum videlicet purpureum pretioſis lapidibus inter ſe junctis, & luminis ſui fulgore oculos perſtringentibus, coopertum, multoque intertexto auro inexplicabilem quandam pulchritudinis ſpeciem intuentibus præbebat. Hæc breviter ex Euſebio in ejuſdem Imperatoris Vita.

IV. Ex hac narratione tria deduco.

1 Quando Crucem publice Chriſtifideles incœperint venerari.

2 Quando ea in militiæ agminibus deferri conſueverit.

3 Quod auro pretioſiſque lapillis ornata fuerit.

Ex hiſce tribus animadverſionibus aliam elicio nempe Chriſtifideles pretioſis lapillis, auroque ornatam Crucem expreſſiſſe, Conſtantini fortaſſe exemplo adductos ut ad Fidem venientes, Crucem non opprobrii, ſed honoris, non ſupplicii, ſed victoriæ, non pœnæ, ſed præmii ſignum eſſe intelligerent. Cruces ditandi mos ex quamplurimis Veterum monimentis elicitur, nec Tibi ingratum fore puto ſi fictilis lucernæ exemplar hic exponam, in qua Crux gemmata conſpicitur. Hanc lucernam mihi communicavit communis Amicus noſter Franciſcus Blanchinus a Bibliotheca Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalis Otthoboni, tuuſque Concivis.

V. Cum igitur ſemper laudandus Imperator publice Crucem deferret, eamque venerari juſſiſſet, hanc libentiſſime ipſi Fideles nacti occaſionem, eandem Crucem etiam in Lætaniis, ſive Litaniis, quas nunc Proceſſiones, ſeu publicas Supplicationes denominamus, tanquam Chriſtianæ Religionis vexillum palam deferre cœperunt. Cumque Litaniæ ante celebrationem indicerentur, ut Populus ad ſtatutam diem, ſtatutumque locum conveniret, ipſe Populi actus ſtandi, ſive permanendi in deſignato loco, Statio appellatus fuit, a militum Statione deſumpta metaphora, Fidelium enim cætus Militans Eccleſia dicitur, & vita Hominum Militia ſuper ter-

terram. Quare ſicut ipſe ſtandi actus, Statio denominatus fuit; ipſa etiam Crux idem Stationalis nomen ſortita eſt. Pretioſorum autem lapidum ornatum vivificæ Crucis Signo a Conſtantino additum (ut innuimus) Chriſtifideles imitati deinde ſunt, quem morem in ſubſequentia perduraſſe tempora comperimus. Nam Carolus itidem Magnus poſtquam Imperii coronam, e manibus Beatiſſimi Pontificis Leonis III. in inclyta Vaticana Baſilica accepiſſet, ipſe Religioſiſſimus Imperator, Urbis Eccleſiis varia obtulit dona, inter quæ magna fuit Crux gemmis ornata, quæ deinde Stationalis evaſit, ut Bibliothecarius in ipſius Pontificis Vita narrat, ubi ſic: *In Baſilica Salvatoris Domini Noſtri Jeſu, quam Conſtantinianam vocant, obtulit Crucem cum gemmis hyacinthinis, quam almificus Pontifex in Lætania præcedere conſtituit ſecundum petitionem ipſius piiſſimi Imperatoris.*

VI. Crux hæc ob ejus pretioſitatem a latronibus furata fuit. Quamobrem Leo IV. etiam Sanctiſſimus Pontifex, aliam non abſimilem refecit, ut laudatus ſcribit Bibliothecarius in iſtius Pontificis Vita, ubi: *Necnon & Crucem ex auro puriſſimo gemmis ornatam, quam Carolus piæ memoriæ Imperator Francorum, & Romanorum in Baſilica Salvatoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quæ Conſtantiniana nuncupatur, temporibus Domni Leonis ſanctæ recordationis III. Papæ obtulerat, quæ mos erat, ut in Lætaniis ante Sacratiſſimum Pontificem ipſa præcederet, & ſic permanſit uſque ad tempus ſanctæ recordationis Domni Paſchalis Papæ, unde diabolica ſuggeſtione, atque inſtigatione a malis extorta eſt, & a latronibus nocte furtim ablata. Et nullus Prædeceſſorum Pontificum, tam Domnus Paſchalis, quam Domnus Eugenius, ſive Domnus Valentinus, ſive Domnus Gregorius, nec non & Domnus Sergius recordatus fuit, ut eam reſtauraret, & ad uſum Sanctæ Dei Romanæ Eccleſiæ pararet, ſed iſdem præfatus, & magnificus Præſul fecit ex auro puriſſimo, & miræ magnitudinis, margaritis, & gemmis hyacinthinis, & praſinis utiliter ornavit, & ad uſum priſtinum Sanctæ Dei Genitricis Romanæ Eccleſiæ mirifice decoravit.*

VII. Crucem, quæ in Proceſſionibus præcedebat Stationalem appellatam fuiſſe apertius arguitur ex auctoritatibus, quas hic ſubjicimus. Communis Amicus noſter R. P. D. Joannes Mabillon ſatis Tibi, Reipublicæque literariæ notus, ob varia edita opera, in ſuo Muſæo Italico tom.2. Ordinem Romanum refert, Auctore Benedicto Vaticanæ Eccleſiæ Canonico, qui floruit in principio duodecimi ſæculi, ubi ſub num. 10. hæc leguntur. *Primicerius cum ſchola, & Subdiaconi Regionarii, & Acolythi cum Cruce Stationali S. Petri, levant inde Crucem cum Collecta proceſſionali, cantando uſque ad S. Mariam Majorem.* Et infra n. 29. *Deinde vadit ad S. Hadrianum, ubi eſt Crux Stationalis. Archidiaconus annuit ut cantet ſchola.* Et paulo poſt: *Tunc Subdiaconus Ragionarius levat Crucem Stationalem de Altari plane portans eam in manibus uſque ad Eccleſiam. Cum venerit foras levat eam ſurſum, quam fert ante Pontificem in Proceſſione uſque ad S. Mariam Majorem.* Ac num. 57. *Subdiaconus vero Regionarius elevat Crucem Stationalem de Altari, quam plene portat in brachio, ut oſculetur ab omnibus, in Proceſſione ante Pontificem, uſque in exitu Eccleſiæ; deinde levat eam erectam.* Petrus Mallius, qui ſub nomine Canonici Romani circumfertur, ac Alexandri III. tempore floruit circa ſæculi duodecimi medium; in Vaticanæ Baſilicæ deſcriptione, quam publici juris fecit Paulus de Angelis, ſub num. 36. hæc refert: *Hoc quoque non eſt parvum, quod inſtitutione Sanctorum Patrum quædam prærogativa ſumitur de Sanctiſſimo Altari B. Petri, Crux Dominica, quæ præcedat Populum pœnitentem per totam Quadrageſimam ad Stationes euntem. Quæ nimirum Crux Stationalis ad Chriſti, & ejus Apoſtoli reverentiam in tanta veneratione a cunctis eſt habita, quod ſicut Cantores, & Regionarii aſſerunt, hac Cruce non delata immunes a Statione ſæpe recedant.* Et ſub num. 54. de diurnis Stationibus S. Petri hæc narrat: *Innocentius Papa II. ad ornatum Altaris B. Petri fecit fieri magnam Crucem argenteam penſantem centum libras, & deauratam poſuit juxta Altare B. Petri manu, dextera. Renovavit & Crucem Stationalem quæ vadit per Stationes.*

VIII. Hujus Crucis pretioſæ jacturam fecit Vaticana Baſilica, cum tempore Clementis VII. Borbonio Duce Urbs Roma a militibus occupata, impietatis ſimul, & avaritiæ ſtrages, & direptiones, non ſolum publicis in viis, ac domibus, ſed ſacris quoque in Templis deploravit.

IX. In Liberiana Baſilica ſimilem fuiſſe Statio-

Digitized by Google

tionalem Crucem, colligo ex laudato Paulo de Angelis in deſcriptione Baſilicæ S. Mariæ Majoris, ubi lib. 8. cap. 1. agit de Crucibus, aliiſque rebus Sacris ex auro, & argento, quæ olim in Baſilica aderant, ac aliis Crucibus ibi extantibus. Prima ſic exprimitur: *Crux una magna de ligno cooperta argento, quæ portatur per Litanias, in medio ipſius ab uno latere eſt imago Virginis Mariæ, ab alio latere eſt Crucifixus, & cum nonnullis reliquiis in pede, & quibuſdam imaginibus in capite, pede & lateribus*. Ac paulo poſt: *Una Crux argentea cum Crucifixo elevato ad uſum Mortuorum, & cum canuno argenteo unciarum viginti duarum cum dimidia*. Ex hac igitur narratione, ni fallor, diſcrimen inter Cruces deduci poſſe arbitror, quibus Chriſtifideles in Sacris actionibus utebantur; nam Cruces Stationales erant magnæ, ac ſumptuoſæ; aliæ vero ad uſum Mortuorum parvæ, ut adhuc obſervamus. Sententiam meam confirmo, ex cap. 3. ejuſdem libri, ubi de rebus argenteis, aureis, atque orichalchis, quæ adhuc in eadem Baſilica reperiuntur, inter alias Cruces hæ duæ deſcribuntur: *Alia Crux Argentea, quæ in Proceſſionibus adbibetur, cujus pondus lib. ſexdecim, & unciarum novem.*

Alia Crux argentea parva pro Proceſſionibus librar. 3. unc. 10.

X. Quare argui valet, quod in Proceſſionibus ſolennibus, ſcilicet in Stationalibus, Crux magna deferebatur; in aliis vero Proceſſionibus Crux parva: qui ritus uſque ad præſentem diem obſervatur.

XI. De hujuſmodi Crucibus Stationalibus etiam Concivis tuus, Literatorum decus, Panvinius meminit. Is in ſuo erudito tractatu de Septem Urbis Eccleſiis pag. 51. ſic fatur: *Rogationes Minores triduanæ ultimæ, Rogationes Majores in die S. Marci, Litaniæ aliæ, ſupplicationes in caſibus urgentiſſimis, perpetuo ad S. Petrum celebratæ. Cleri ordines cuncti in ſupplicationibus ſequebantur ejuſdem Baſilicæ Crucem, quæ Stationalis vocabatur.*

XII. Itidem Severanus de Septem Urbis Eccleſiis, de Crucibus Stationalibus mentionem facit, quando agit de Cœmeterio S. Anaſtaſii, ac S. Zenonis pag. 417. ubi refert, feria IV. poſt IV. Dominicam Quadragesimæ (in qua eſt Statio ad S. Paulum) Lateranenſem Clerum iviſſe proceſſionaliter cum ſua *Cruce Stationali* ad eadem Cœmeteria.

XIII. Aringhus quoque aliqua attigit de Crucibus Stationalibus in lib. 6. cap. 14. num. 7. ſuæ Romæ ſubterraneæ, ac omnibus his luculentius narrationem texuit Auguſtinus Fivizanius, Palatii Apoſtolici Sacriſta in ſuo erudito tractatu de Ritu Sanctiſſimæ Crucis Romano Pontifici præferendæ lib. 2. cap. 6. ubi ſic: *Omnis denique de Cruce in ſupplicationibus præferenda dubitandi locus (ſi quis in re tam aperta reliquus eſſe poſſit, de medio tolletur, ſi, quæ de Cruci Stationali in Romana Eccleſia uſu a Majoribus noſtris accepimus, in memoriam revocabimus. Appellabatur autem Stationalis, propterea quod Summo Pontifici, Clero, & Populo ad Stationes ſolemni ritu procedentibus, illam præferri ſolitum erat; qualis profecto eſt, quæ Clariſſimum Lateranenſem Clerum ad Supplicationes publice prodeuntem de more hodie præcedit: illam dico prægrandem argenteis inſculptam thecis, diverſas Domini Salvatoris Noſtri, & Sanctorum actiones, repræſentantibus undique tectam, & ornatam; quæ ob ponderis magnitudinem ab iis, qui viribus corporis, & robore maxime præſtant geſtari ſolet. Qualem etiam ad illum ipſum fere modum ad noſtra uſque tempora in Apoſtolorum Principis de Urbe Baſilica fuiſſe, qui ſe eam vidiſſe aſſerebant, mihi aliquando teſtati ſunt. De qua Stationali Cruce, ſive illa, quam diximus, ſive conſimilis forma alia, Petrus Mallius, Maphæus Vegius, & Benedictus ...... ejus Baſilicæ inſignes Canonici in ſuis ipſorum ſcriptis, quorum major pars in S. Petri Bibliotheca aſſervatur, nonnulla notatu digna retulerunt. Petrus quidem, quem primo loco nominavimus, quæ ad rem noſtram faciunt hæc habet: Non modica quoque B. Petri Baſilica lætari debet prærogativa, quod in Majori Litania, tanquam navis prora, & aliarum Vexillifera, omnes de navi præcedit, Domino Papa, tanquam principali, & præcipuo Gubernatore ex puppe veniente: in quo nimirum facto ſignificatur, Beatum Petrum Vexilliferum, & totius Eccleſiæ eſſe Præductorem, & Chriſti Reſurrectionis primum Prædicatorem: ſicut enim in Paſchali proceſſione Cruces, & Sanctorum Reliquias ad vitæ præparationem, & munimenta contra hoſtes inviſibiles præmittimus, ita in hac generali proceſſione B. Petri Baſilica, ut ductrix, & rectrix*

ctrix cæterarum præambula invenitur. Et hinc eſt, quod Crux Dominica, Quadrageſimali videlicet tempore, ſumitur de Sanctiſs. S. Petri Altari, quæ præcedat populum pœnitentem per totam Quadrageſimam ad Stationes euntem de inſtitutione Sanctorum Patrum. Quæ nimirum Crux Stationalis ob Chriſti, & Apoſtolorum ejus reverentiam, in tanta veneratione a cunctis eſt habita, quod, ſicut Cantores Regionarii aſſerunt, hac Cruce non delata, immunes a Statione recedant. Maphæi vero de illa teſtimonium ejuſmodi eſt: Beatus Gregorius Papa, cum per totam Quadrageſimam ordinaſſet Stationes propter pœnitentes, quas cum Primicerio, & Cantoribus, & Regionariis, & Acolythis devotiſſime faciebat: illud etiam, quod maximo honori, & prærogativæ Baſilicæ S. Petri habitum eſt, ſtatuit, ut de Majori Altari ejus Crux Dominica ſumeretur, quæ Populum pœnitentem ad Stationes ipſas procedentem ſemper præcederet. Cujus tanta fuit apud omnes veneratio, ut ſi forte non deferri eam aliquando contingeret, diſcederent, paſſim exiſtimantes, non ita ſine ea acceptas Deo Stationes ullas fuiſſe.

Benedictus vero de eadem inter cætera, ne omnia repetam, hæc ſcripſit: In Exaltatione S. Crucis, Statio Lateranis, ſit Collecta ad Sanctam Mariam Majorem, ubi Crux Stationalis, & Schola, & Regionarii, & Acolythi coadunantur, cum Cruce Sancti Joannis, & Canonicis. Primicerius cum Schola cantat Collectam. Subdiaconus Regionarius portat Crucem Stationalem in Proceſſione ante Cantores, & proceſſionaliter procedit uſque ad Lateranum. Hæc ille.

Hujus poſtremi ritus geſtandæ Crucis in Proceſſionibus meminit Guillelmus Durantes Cæremoniarum Eccleſiaſticarum peritiſſimus: Crux (inquit) quaſi regale Vexillum, & triumphale ſignum in Proceſſionibus præmittitur. Primo, ut fugiant, qui oderunt eum a facie ejus: eſt enim ſignum victoriæ Chriſti juxta illud, Vexilla Regis prodeunt. Secundo, quia ſicut ait Apoſtolus ad Galatas: Abſit nobis gloriari, niſi in Cruce Domini Noſtri Jeſu Chriſti, per quem Mundus nobis, & nos Mundo crucifigi debemus. In quam ſententiam ampliſſimus quoque Cardinalis Varmienſis: Hæc, inquit, eſt cauſa, quare in ſupplicationibus Crux præfertur, ut in illa gloriari nos, in illa ſpem noſtram omnem defixam habere, illius fiducia nihil a Deo petentes impetrare poſſe, palam omnibus faciamus. At quia de cauſis, propter quas Signum Crucis præfertur diffuſe a nobis in tertio libro agendum eſt; ideo quæ de illis modo dicenda occurrunt, in illum locum rejicimus, ut ad alia procedamus. Hæc Fivizanius.

XIV. Ex ſupradictis ſatis ſuperque exiſtimo, me probaſſe Stationales Cruces illas eſſe, quæ ante omnia, ſcilicet in Proceſſionum initio deferebantur. Has Cruces inſignioribus in Eccleſiis aliquam ſpecioſitatem in ſe habuiſſe judico, ducto argumento ab illis duabus Crucibus argenteis, quæ a Capitulo inclytæ Eccleſiæ Lateranenſis in ſolemnibus deferuntur Proceſſionibus, quas antiquiſſimas eſſe puto, ideo illas delineari curavi, illarumque exemplaria Tuis ſub oculis pono, ut earundem venerandam antiquitatem, ac hiſtorias, aliaque in ſe continentes, uti Eruditiſſimus dignoſcere valeas.

XV. Primam exhibeo Crucem in Tab. I. & II. Tab. I. anteriorem, II. vero poſteriorem Crucis faciem oſtendunt.

Crux hæc antiquiſſima eſt, multaque redolet ſæcula, argenteis laminis obducta renidet, in hiſce laminis anaglyphico opere variæ ſculptæ ſunt figuræ, Sacram continentes Hiſtoriam, non levi, ſed gravi manu elaboratæ, quas ſi hic declaravero, grave Tibi minime futurum puto, cum ab illarum attenta inſpectione Te liberem, quoniam nonnullæ quadam artificis ſimplicitate expreſſæ ſunt. In his igitur referendis potius hiſtoriarum ordinem, quam locum ſequar.

1. Cum a dignioribus ſemper inchoandum ſit, a Crucis centro Tab. I. initium ſumo. In hoc igitur Crucis medio ſub num. 1. ejuſdem I. Tab. viſitur circulus, & in eo notiſſimum noſtræ Redemptionis myſterium, nempe Chriſtus Cruci affixus; ad dexteram Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, ad ſiniſtram S. Joannis Evangeliſtæ effigies cælatæ aſpiciuntur. Omnes hæ imagines in Chriſtianorum Vexillo appingi ſolent, quod veluti trophæum de profligato diabolo, ac humano genere ab æterna damnatione erepto, ubique defertur. Jure igitur in medio, ubi virtus conſiſtit, nempe humani generis redemptio, hoc expreſſum fuit myſterium. Modo ad alias explicandas figuras procedo.

2. In Crucis ſummitate Æternus Pater, ni fallor mundum creans expreſſus eſt,

Digitized by Google

eſt, nam aquæ cernuntur, in quarum medio aliquid ſolidum; itidem ad dexteram quædam figura ab aquis veluti emergens, ad ſiniſtram alia ſimilis figura, veluti in aquam ſe immergens expreſſæ ſunt; inter ambas has figuras Spiritus Sanctus in Columbæ forma adumbratus eſt. Quid Pictor per haſce figuras denotare voluerit, autumo, quod primum Mundi creationis diem per eaſdem figuras exprimere intelleverit: in Sacra enim Geneſi cap. 1. ſic hujuſmodi deſcribitur creatio: *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram. Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus: fiat lux. Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona, & diviſit lucem a tenebris. Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem. Factumque eſt veſpere, & mane dies unus.* In ſummitate ergo ſtat Antiquus dierum, & ſequitur Spiritus in Columbæ ſpecie, qui in aquas tendit, ad demonſtrandum, quod ferebatur ſuper aquas, ad dexteram eſt dies, qui ab aquis exurgit, ad ſiniſtram nox, quæ in aquas ſe immergit, ad ſimilitudinem Solis e mare orientis, & in mare occidentis. In medio aquarum illud, quod viſitur ſolidum, ſcopulum in mare, ſcilicet Firmamentum denotare puto, ut Sacra docet Scriptura in eodem cap. num. 6. *Dixit quoque Deus fiat Firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* Apprime igitur ſolidum ipſum ad denotandum Firmamentum Artiſex ita expreſſit, ut quodammodo aquas ab aquis dividat. Et hæc de hoc ſecundo emblemate, modo ad tertium.

3. Adami creationem demonſtrat, de qua ſic eadem Sacra loquitur Scriptura cap. 1. num. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit Piſcibus maris, & Volatilibus Cœli, & Beſtiis, univerſæque terræ omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam.*

4. In hoc orbiculo Evæ Mortalium Matris creatio adumbratur, ſic idem Sacer Textus cap. 2. n. 18. *Dixit quoque Dominus Deus non eſt bonum eſſe hominem ſolum; faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus Cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: omne enim, quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & univerſa volatilia Cœli, & omnes beſtias terræ: Adæ vero non inveniebatur adjutor ſimilis ejus. Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.*

5 Sacræ Hiſtoriæ continuationem denotare arbitror, ubi de traditione mulieris Adæ narratur, nempe: *Et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quoniam de Viro ſumpta eſt.* Si attente obſerventur figuræ, conſpicietur Adam erga mulierem diſſerens.

6. Arborem, nempe lignum ſcientiæ boni, & mali per duos illos ramos adumbrari autumo.

7. A Domino præceptum Adamo factum, illiuſque tranſgreſſionem deſignat. Ita in Sacro legitur Textu cap. 3. num. 9. *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, ubi es? Qui ait, vocem tuam audivi in Paradiſo, & timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me. Cui dixit: Quis enim indicavit Tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno de quo præceperam Tibi, ne comederes comediſti? Dixitque Adam: mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc feciſti? Quæ reſpondit: Serpens decepit me, & comedi.*

8. 9. 10. 11. Per hos quatuor numeros denotari puto Paradiſi januam, Adami, & Evæ e Paradiſo ejectionem, ac Cherubin cum flammeo gladio ad Paradiſi cuſtodiam poſitum, & Adami cum Eva iter ad operandam terram. Ita Sacra Geneſis eodem cap. 3. num. 23. *Et emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis, ut operaretur terram, de qua ſumptus eſt. Ejecitque Adam: & collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.*

12. Sequendo temporis, hiſtoriæque ordinem, hac in Areola Noe exprimitur, cui Dominus, quem manus e Cœlo erumpens deſignat, mandavit, ut Arcam fabricaret, in qua ipſe, & cunctorum animantium genera ſervarentur. Sic Sacra Gen. cap. 6. num. 12. *Cumque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam, dixit ad Noe: Finis*

uni-

univerſæ carnis venit coram me: repleta eſt terra iniquitate a facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra. Fac tibi Arcam de lignis levigatis; manſiunculas in Arca facies, & bitumine linies intrinſecus, & extrinſecus. Vel ipſum ſignificat Deum cum eodem Noe poſt diluvium colloquentem, ut in laudata Sacra Geneſi cap. 9. num. 1. *Benedixit Deus Noe, & filiis ejus.* Et infra num. 11. *Statuam pactum meum vobiſcum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium diſſipans terram. Dixitque Deus: hoc ſignum fœderis, quod do inter me, & vos, & ad omnem animam viventem, quæ eſt vobiſcum in generationes ſempiternas: Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis, inter me, & inter terram.* Ambiguum valde redditur emblema iſtud, nam ultra ſupra relatas expoſitiones tertia addi poteſt; nempe quando Deus Abrahæ de poſteritate deſperanti filium promiſit, ut in ſæpe citata Sacra Geneſi cap. 15. num. 5. legitur: *Eduxit eum foras*, (nempe Deus) *& ait illi*: (ſcilicet Abraham) *ſuſpice Cœlum, & numera Stellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum.*

13. Hoc in loco ipſa Arca oſtenditur, Noe in Arcæ janua, gradusque per quos ſuperius aſcendebatur. Nonnullæ etiam figuræ intus Arcam viſuntur, quas ejuſdem Noe uxorem, ac filios denotare judico. Sic Sacra Geneſis cap. citato, num. 18. *Et ingredieris Arcam tu, & filii tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum.*

14. Numerus iſte Jacob ferentem cibos Iſaac Patri ſuo, juxta conſilium Rebeccæ Matris, repræſentat; de qua hiſtoria videndum cap. 27. Sacræ Geneſis: hic brevitatis gratia tantum refero numerum 25. ejuſdem capits: *Affer mihi, inquit*, (nempe Iſaac) *cibos de venatione tua fili mi, ut benedicat tibi anima mea: quos cum oblatos comediſſet, obtulit ei etiam vinum.* In hoc emblemate, ni fallor, obſervo Iſaac ſedentem, ac Jacob ferentem lancem; huic proxima ſtat Rebecca.

15. Eſau e venatione redeuntem oſtendit, de quo idem Sacer Textus num. 30. *Vix Iſaac ſermonem impleverat, & egreſſo Jacob foras, venit Eſau, coctoſque de venatione cibos intulit Patri, dicens: ſurge Pater mi, & comede de venatione filii tui, ut benedicat mihi anima tua, dixitque illi Iſaac: Quis enim es tu? Qui reſpondit: Ego ſum filius tuus primogenitus Eſau.*

16. Jacob cum Angelo allocutionem deſignat, de qua allocutione Sacra Geneſis cap. 32. num. 1. *Jacob quoque abiit itinere, quo cœperat: fuerunt ei obviam Angeli Dei. Quos cum vidiſſet, ait Caſtra Dei ſunt hæc.*

XVI. Hæc ſunt, quæ exprimere tentavi, ſi metam attigerim, Tu videris; modo ad alteram ejuſdem Crucis faciem, quam Tab. II. demonſtrat, indagandam procedo.

In medio Crucis ubi num. 1. Adam, & Eva, cum arbore, & Serpente expreſſi cernuntur, de qua hiſtoria Sacra Geneſis cap. 3. num 1. ibi: *Sed & Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradiſi? Cui reſpondit mulier: De fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo veſcimur: de fructu vero ligni, quod eſt in medio Paradiſi. præcepit Nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem Serpens ad mulierem: nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum. Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque Viro ſuo, qui comedit, & aperti ſunt oculi amborum.*

2. Orbiculi figura continet Abel, & Cain ſacrificium, nam in medio viſitur Ara, ad dexteram Abel, Agnum Deo offerens, e nubibus manus erumpens, & tendens Agnum verſus, qua manu ipſe Deus, ut nuper dixi, denotatur, qui Sacrificium acceptat; ad ſiniſtram ſtat Cain frumenti ſpicas dextera elevans. Sic idem Sacer Textus cap. 4. num. 1. hanc narrat hiſtoriam: *Adam vero cognovit uxorem ſuam Evam; quæ concepit, & peperit Cain, dicens: poſſedi hominem per Deum. Rurſumque peperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel paſtor ovium, & Cain agricola. Factum eſt autem poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Ad Cain vero, & ad munera illius non reſpexit.*

3. Iratum hic tertius numerus exprimit Cain,

Digitized by Google

Cain, qui Abel fratrem ſuum occidit, ut eadem Sacra Scriptura, illius ſequendo ordinem exprimit. *Ad Cain vero, & ad munera illius non reſpexit: iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus ejus. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? Et cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius. Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras. Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.*

4 Eadem Sacra continuatur Hiſtoria, Dominus enim exprimitur Cain alloquens, ut denotat manus e Cœlo deſcendens, ſic in eodem Sacræ Scripturæ loco deſcribitur. *Et ait Dominus ad Cain: Ubi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit: neſcio: Num cuſtos fratris mei ſum ego? Dixitque ad eum: Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra: Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit fructus ſuos: vagus, & profugus eris ſuper terram. Dixitque Cain ad Dominum: Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear: Ecce ejicis me hodie a facie terræ, & a facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me. Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet: ſed omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. Poſuitque Dominus Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum.*

Sub numero 5. notiſſimum Abrahæ Sacrificium ejuſque fides, & obedientia, de proprio immolando filio, demonſtratur: ſic hæc hiſtoria cap. 22. Geneſis deſcribitur: *Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham Abraham. At ille reſpondit: Adſum. Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero Tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens ſtravit aſinum ſuum: ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: cumque concidiſſet ligna in holocauſtum, abiit ad locum, quem præceperat ei Deus. Die autem tertio, elevatis oculis vidit locum procul: dixitque ad pueros ſuos: Expectate hic cum aſino: Ego & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos. Tulit quoque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum: ipſe vero portabat in manibus ignem, & gladium. Cumque duo pergerent ſimul, dixit Iſaac Patri ſuo: Pater mi: At ille reſpondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna: ubi eſt victima holocauſti? Dixit autem Abraham: Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi. Pergebant ergo pariter, & venerunt ad locum, quem oſtenderat ei Deus, in quo ædificavit Altare, & deſuper ligna compoſuit: cumque alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in Altare ſuper ſtruem lignorum. Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum. Et ecce Angelus Domini de Cœlo clamavit, dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit: Adſum. Dixitque ei: Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi quod times Deum, & non peperciſti unigenito filio tuo propter me. Levavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum Arietem inter vepres hærentem cornibus.*

6. Hac in areola duæ ſunt expreſſæ figuræ, nempe Iſaac lecto decumbens, qui Jacob benedictionem impartitur, ut Sacra Geneſis narrat cap. 27; ac de quibus jam mentio facta eſt ſupra num. 14. ubi Sacri Textus verba retulimus. Hic tantum innuo ea, quæ ad benedictionem ſpectant: *Accede ad me*, (inquit Iſaac num. 26.) *& da mihi oſculum fili mi. Acceſſit, & oſculatus eſt eum. Statimque ut ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Dominus de rore Cœli, &c.*

7. Oſtendit ſcalam viſam a Jacob quieſcente in itinere Meſopotamiæ ſuſcepto ob Iſaac Patris juſſionem, cui ſcalæ innitebatur Dominus, qui in præſenti emblemate itidem per manum e nubibus erumpentem, deſignatur, quam viſionem ſic eadem Sacra Geneſis retulit cap. 28. n. 10. *Igitur egreſſus Jacob de Betbſabee, pergebat Haran. Cumque veniſſet ad quemdam locum, & vellet in eo requieſcere poſt ſolis occubitum, tulit de lapidibus, qui jacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormivit in eodem loco. Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Deus Abraham Patris tui, & Iſaac: Terram, in*

que

qua dormis, tibi dabo, & ſemini tuo. Eritque ſemen tuum quaſi pulvis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem: & benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero cuſtos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam, niſi complevero univerſa, quæ dixi.

8. Ejuſdem Jacob cum Angelo luctationem exprimit, quam Sacer Textus cap. 32. n. 23. ſic refert: *Traductiſque omnibus, quæ ad ſe pertinebant, manſit ſolus:* (ſcilicet Jacob) *& ecce Vir luctabatur cum eo uſque mane. Qui cum videret, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit. Dixitque ad eum: Dimitte me, jam enim aſcendit aurora. Reſpondit: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod nomen eſt tibi? Reſpondit, Jacob. At ille, nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael; quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis.*

9. Ex Jacob hiſtoria gradum facimus ad illam Joſephi, qui in ſomnis aliqua vidit, ut in cap. 37. num. 7. enarratur: *Putabam nos ligare manipulos in agro: & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum. Reſponderunt fratres ejus: Numquid Rex noſter eris? Aut ſubjiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo cauſa ſomniorum, atque ſermonum, invidiæ, & odii fomitem miniſtravit. Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus, ait: vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & Stellas undecim adorare me.*

10. Eadem continuatur hiſtoria in hac 10. areola, ubi, ni fallor, eſt Iſrael, ſcilicet Jacob Pater ſedens, Mater vero in janua ſtans audiens ſermonem Jacob, qui repræſentatur prima figura, alloquens Patrem; alii vero retro ſtantes ſunt Joſephi fratres, quæ hiſtoria ſic in eodem capite deſcribitur: *Quod cum Patri ſuo, & fratribus retuliſſet, increpavit eum Pater ſuus; & dixit: Quid ſibi vult hoc ſomnium, quod vidiſti? Num ego, & Mater tua, & Fratres tui adorabimus te ſuper terram? Invidebant ei igitur fratres ſui; Pater vero rem tacitus conſiderabat.*

11. Eundem Joſephum quærentem fratres repræſentant hæ duæ figuræ, de quo hæc Sacra ſubdit Hiſtoria: *Miſſus* (idem Joſeph) *de Valle Hebron venit in Sichem, invenitque eum vir errantem in agro, & interrogavit quid quæreret? At ille reſpondit: Fratres meos quæro, indica mihi ubi paſcant greges. Dixitque ei vir: Receſſerunt de loco iſto: audivi autem eos dicentes: Eamus in Dothain.*

12. Joſephum deſignat, qui fratres paſcentes oves invenit: *Perrexit ergo Joſeph poſt fratres ſuos,* (refert Scriptura) *& invenit eos in Dothain: Qui cum vidiſſent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere, & mutuo loquebantur: Ecce ſomniator venit: Venite occidamus eum, & mittamus in ciſternam veterem: dicemuſque fera peſſima devoravit eum: & tunc apparebit, quid illi proſint ſomnia ſua. Audiens autem hoc Ruben nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: Non interficiatis animam ejus, nec effundatis ſanguinem, ſed projicite eum in ciſternam hanc, quæ eſt in ſolitudine, manuſque veſtras ſervate innoxias: hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere Patri ſuo.*

Ad num. 13. referri haud dubito verba illa: *Confeſtim igitur ut pervenit ad fratres ſuos, nudaverunt eum tunica talari, & polymita.*

In orbiculo num. 14. indicato exprimuntur fratres Joſephi, qui: *Miſeruntque eum in ciſternam veterem, quæ non habebat aquam.*

In infimo autem loco Crucis ſub num. 15. Ruben, ni fallor indicatur, qui ad ciſternam reverſus: *Non invenit puerum.* Niſi nolimus dicere, quod antecedentis areæ ſub num. 7. continuationem hiſtoriæ deſignet, nempe Jacob in Orientalem perrexiſſe terram, ibique puteum inveniſſe; de qua hiſtoria ſæpe laudata Sacra Geneſis cap. 29. num. 1. ſic narrat: *Profectus ergo Jacob, venit in terram Orientalem, & vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium accubantes juxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os ejus grandi lapide claudebatur.*

XVII. Demonſtravi hucuſque in hiſce Tabulis Romanæ Urbis, ac Orbis Matris, & Capitis, Eccleſiæ Lateranenſis, antiquiorem Crucem argenteam, quæ in ſolemnioribus Proceſſionibus ante ipſum inſigne Capitulum præferri ſolet. Supereſt modo, ut & alteram poſterioris ævi ſimiliter argenteam Crucem oſtendam, quam itidem idem Capitulum in eiſdem defert Proceſſionibus, & Crucis ejuſdem formam exhibeo in Tab. III. ubi anterior viſitur

pars, in cujus calce hæc leguntur: *Opus Nicolai de Guardia Grelis MCCCCLI.* Quod nomen in lamina argentea eidem Cruci ſuperaddita inciſum eſt, ſicuti etiam alia lamina inferior, ubi hæc inſcripta ſunt: *De ligno Crucis D. N. Jeſu Chriſti*. Quare puto Nicolaum ſupramemoratum potius reſtauratorem, quam primum Artificem hujus Crucis fuiſſe; cum literæ in titulo Crucis ſculptæ diverſum denotent characterem. Quamobrem ex relatis, judico, eandem Crucem antiquiora redolere tempora anno 1451. In figurarum explicatione diu minime immorandum eſſe duco, cum ſatis ipſæ ſola expreſſione etiam rudioribus innoteſcant: aliqua tamen innuere non omittam; & primo.

1. Figura Domini Reſurrectionem denotat, ad cujus pedes ſunt milites cuſtodes Sepulcri, ſiniſtra veluti virgam tenet, quam longiorem fuiſſe puto, ac in ejus ſummitate inhæſiſſe vexillum ad denotandum trophæum, & gloriam, de devicto mortis aculeo, & aperto credentibus regno Cœlorum.

2. Huic imagini ſubjicitur Pellicanus avis, de cujus natura, & proprietatibus variæ ſunt opiniones, quas congeſſit Eruditiſſimus Vir Lorinus in Commentario Pſalm. 101. verſ. 7. *Similis factus ſum Pellicano ſolitudinis*. In his referendis calamum ſuſpendo, ſolummodo indicans, Patres per hujuſmodi avem voluiſſe Chriſtum Crucifixum exprimere, qui Nos ſuo ſanguine redimere, ac deinde a mortuis dignatus eſt revocare.

3. Figura hæc in Crucis parte dextera Beatiſſimam Virginem Mariam juxta Crucem ſtantem, ac Filium ſuum Unigenitum Cruci affixum aſpicientem, oſtendit: pone eam eſt alia Maria.

4. In ſiniſtra exiſtimo Domini diſcipulum S. Joannem Evangeliſtam repræſentari qui juxta Crucem ſtabat; & cum Joanne militem, ut ex ſcuto, quod ſiniſtra tenet, argui valet.

5. In parte Crucis extrema D. N. Jeſu Chriſti corporis in ſepulcrum depoſitio clare demonſtratur; ideo ad alia propero. Sub iſtis figuris eſt lamina argentea recentioris ævi, ut ex affixione dignoſci valet; in ea nomen Artificis reſtauratoris, ut nuper dixi, cœlatum eſt: in hujus laminæ limbo hæc leguntur: *De ligno Crucis D. N. Jeſu Chriſti*; ex quibus clariſſime apparet ibi particulam Sanctiſſimæ Crucis inſertam eſſe. Hæc de anteriori hujus Crucis facie, modo ad poſterioris explicationem, quam exhibeo Tabula IV. tranſeo.

XVIIII. In medio viſitur Chriſtus Dominus Noſter ſedens, ac dexteram in actu benedicendi tenens; in ſiniſtra librum apertum habet, in quo characteribus Germanis hæc leguntur: *Ego ſum lux mundi, via, veritas, & vita*. In Crucis ſummitate Evangeliſta Joannes expreſſus eſt, cum Aquila, & volumine, in quo ſimilibus characteribus delineata hæc ſunt: *In principio erat*. Ad Salvatoris dexteram S. Lucas, juxta quem volumen eſt cum hac epigraphe: *Fuit in diebus Herodis*. Ad ſiniſtram ſtat S. Marcus itidem cum volumine, cujus literæ adeo depravatæ ſunt, ut legi minime poſſint. In Crucis calce ſtat S. Matthæus, qui volumen præ manibus tenet. Sed quid in eo contineatur difficile lectu eſt.

Hæc ſunt, quæ de hac veneranda antiquitate obſervavi. Modo ad aliud Crucis exemplar demonſtrandum gradum facio, in Tab. V. expreſſæ ſub num. 1.

XIX. Crux hæc in inclita Ravennæ Metropolitana Eccleſia aſſervatur, quam ab Archiepiſcopo S. Agnello, qui poſt medium ſexti ſæculi floruit, conſtructam fuiſſe, fama eſt: hæc tam in altitudine, quam in latitudine ad ſex palmos ſe extendit; quadraginta argenteis orbiculis anaglyphico opere elaboratis ornatur, in quorum ſingulis caput Viri diadematum, pectore tenus, expreſſum eſt; &, ni fallor, puto per iſtos Viros Ravennates denotari Epiſcopos, quoniam pallio inſignitos eſſe obſervo, ut in figura ſub litera A. majori forma Vir expreſſus conſpici poteſt. Dixi omnes Epiſcopos, cum tales ipſæ figuræ repræſentent. At S. Agnelli tempore niſi triginta deceſſerant Epiſcopi, ut refert Ughellus; ideo Crucem hanc poſteriorem S. Agnello eſſe judico. Ad hanc ſententiam magis adducor ex Pallii forma, quæ antiquitus ſic erat: dextera pars Pallii a dextero deſcendens latere in pectoris medio revoluta per ſiniſtrum excurrebat humerum; altera vero ejuſdem Pallii pars, nempe ſiniſtra, per ſiniſtrum defluebat humerum, ut ex antiquis patet figuris. Succeſſive Palliorum forma immutata fuit; nam Pallium in duas dividebatur partes, ut hodie, quarum una in dextero, altera in ſiniſtro reclinatur humero,

ac

Digitized by Google

ac per pectus deſcendentes, in ipſius pectoris medio uniuntur, unicam tamen formando faſciam. In Crucis centro viſitur orbiculus omnibus major, in quo Jeſu Chriſti ἀνάστασις ſcilicet Reſurrectio expreſſa eſt, cui Reſurrectioni ſub Anaſtaſii nomine Eccleſia dedicata, a Græcæ linguæ ignaris ſub S. Anaſtaſii denominatione appellata eſt.

In oppoſito orbiculo, ac Crucis facie, cœlata conſpicitur Beatiſſima Virgo, ut in orbiculo lit. B. ſignato oſtenditur. Crux hæc in ſolemnibus diebus populo viſenda exponitur prope Majorem Aram a cornu Evangelii. Ejuſdem Crucis exemplum mihi communicavit R. P. Caſar Pronti, quem honoris, & grati animi cauſa hic nomino. Quod eadem Crux Stationalis fuerit, nempe antiquitus deferri ſolita in ſolemnioribus Proceſſionibus, facile conjici poteſt, ducto argumento a prima relata S. Joannis Lateranenſis, tam a magnitudine, quam a materia, & ornatu. Hæc de hac Cruce dicta ſint ſatis.

XX. Supereſt modo quartam referre, quæ fortaſſe ſi non Stationalis fuit, ſaltem redolet & ipſa antiquitatem, cum coævam eſſe putem, cum illa in ſecundo loco relata S. Joannis Lateranenſis, ob quandam uniformitatem, quam cum illa habet; habent enim ſecula in omnibus, & ſuos ritus, ſuaſque formas. Supracitatus R. P. D. Mabillon in ſuo peculiari, ac erudito Tractatu de Re Diplomatica, oſtendit variorum ſæculorum varios fuiſſe characteres. Ego in meo opere Veterum Monimentorum par. 1. demonſtravi varia fuiſſe Ædificia, illorumque varios fuiſſe ornatus: ipſaque etiam immutantur Idiomata, ut docuit Olaus Borrichius de variis Latinæ linguæ ætatibus, & Eruditiſſimus Du Cange in ſuis Gloſſariis mediæ, & infimæ Latinitatis, & Græcitatis. Quare mirum non eſt, ſi etiam Crucium ſuas peculiares formas habuerint ſæcula. Hujus poſtremæ Crucis exemplar, quod in Tab. V. num. 2. & 3. oſtendo, mihi communicavit rerum antiquarum, ac hiſtoriæ naturalis, & Civilis Patriæ ſuæ ſolertiſſimus indagator Baccius Ptolomæus Senator Florentinus, aſſerens Prototypum aſſervari in Sacrario Collegiatæ Eccleſiæ S. Martini Gangalandi, Florentinæ Diœceſis: fama fert, olim eandem extitiſſe Crucem, in Eccleſia S. Michaelis ad Montem Orlandum, quæ in præſenti eidem Collegiatæ unita reperitur, in eaque Fratres S. Franciſci de Minori Obſervantia Reformati nunc degunt, & a vulgo *S. Lucia della Laſtra a ſigna* appellatur. In ipſius Crucis, ac figurarum in ea contentarum explicatione minime immoror, cum notiſſimæ ſint. Solummodo aſſero, quod Chriſtus Crucifixus, qui intra duas Cruces expreſſus eſt, ac num. 4. notatur, viſitur ſub altero Crucifixo appoſito in Crucis facie, ubi ſunt quatuor Evangeliſtæ in forma animalium; quare credibile eſt, quod hæc Crucis pars fuerit poſterior; anterior vero illa, ubi cernuntur Beatiſs. Virgo, & S. Joannes Evangeliſta, ad quam pertinebat Crucifixi ſtatua, quæ poſtmodum ab ignaro in adverſa parte collocata fuit. Hanc meam conjecturam confirmat corona ſpinea, in ea Crucis parte expreſſa, cui Salvatoris imago deeſt, quæ imago in poſtica parte Crucis collocata, tali caret corona.

Diù in harum Crucium Stationalium recitanda hiſtoria Vir Eruditiſſime Te detinui. At parce, quia conceptus ſermo ægre retineri poteſt. Quidquid igitur dixi, quidquid exaravi eorum, quæ Tibi debeo, ſint ſignum. Vale ad Rempublicam literariam Tuis ſtudiis, tuiſque lucubrationibus ornandam, ditandamque natę, Neſtoreoſque Tibi apprecor annos.

LUDOVICI ANTONII MURATORII
DE IV. TEMPORUM JEJUNIIS
DISSERTATIO XI.

Ad Clariſſimum, Doctiſſimumque
P. D. JOANNEM BAPTISTAM DE MIRO
Benedictinæ Caſſinenſis Congregationis Abbatem &c.

CAP. I.

Locus Bacchiarii obſcurus . Poſt Quadrageſimam celebriora ſunt apud Chriſtianos IV. Temporum jejunia . Hæc ſunt ex Apoſtolica inſtitutione .

I. EQuidem ſcio, Clariſſime vir , & non ſine ſuperbia ſentio, te aliquam de me , obſequioque erga te meo opinionem habere , quando non ſemel te mihi talem præſtiteris , qualem amicus amicum exoptare poteſt . Verum neſcio quid de me ſenties, ubi hanc diſquiſitionem tuo nomini inſcriptam legeris ; in ea enim aut audaciam damnari , aut ſaltem deſiderari poſſe egomet video. Quum tamen experiundo cognoverim te non humanitati minus , quam literarum ſtudiis operam ſemper dediſſe , quid eſt nunc , quod de venia a te impetranda deſperem . His accedit , non ea mente me ita ſcripſiſſe , ut eruditus viderer, ſed ut hac in re tuam eruditionem conſulerem , quam Græcis æque Latiniſque notam effeciſti, quæque te in ampliſſimum Bibliothecæ Vaticanæ Lycæum perduxit . Igitur aures tuas mihi parumper accommodes velim, ut ſubobſcuram jejunii IV. Temporum inſtitutionem , uſumque inveſtigemus , atque ut Bacchiarium, ſi licet, tenebris eripiamus. Certe quid ſibi velit hic Auctor , dum ait : *Jejunia attentiora ſecundum Eccleſiaſticam regulam , diſciplinamque ſervamus , ut tribus temporibus anni maſculinum noſtrum , hoc eſt opus virtutis . quod cetero operi præcellat, appareat*, attente perpendo , neque ejus mentem plane aſſequi poſſum . Quum enim heic de jejuniis agatur , cur trium temporum injicitur mentio ? Et hæc quidem verba a Cap. 34. Exodi mutuatus eſt Scriptor noſter , ubi ad Moyſen Dominus inquit : *Tribus anni temporibus apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu omnipotentis Domini Dei Iſrael*. Sed nulla ibi memorantur jejunia & Feſta dumtaxat innuuntur , quæ tribus anni temporibus a Judæis celebrari poſtea conſuevere , nempe ut explicat Theodoritus , Paſcha , Pentecoſte , & Scenopegia . Vereor idcirco , ut ne , ſi locum hunc interpretandum mihi propoſuero, obſcuris Bacchiarii verbis deteriorem explicationem adhibeam , majoreſque tenebras , quam lucem illis affundam . Nihilominus experiri juvat, divinationem proponere , per quam , ſi non aliud , jejuniorum ſaltem antiquitas pro virili mea parte fortaſſis illuſtrabitur. Quibus anni temporibus olim apud Chriſtianos jejunia fuerint obſervata , quantaque illorum copia foret, longum eſſet enumerare, facileque in librum materia creſceret , quam tamen occupavit C. V. Ludovicus Thomaſſinus in Tractatu de Jejunio . Heic autem ſub jejuniorum attentiorum nomine ea tantum ſignificantur , quæ majori attentione , & cultu digna apud Chriſtianos in uſu erant. Quapropter an hæc tria tantum Bacchiarii tempore forent , inquirendum eſt , quamquam fateor diverſos adeo jejuniorum uſus primis Eccleſiæ ſæculis videri , ut quid certi ſtatuendum ſit nequaquam occurrat. Quadrageſimale jejunium ante Paſcha tuum Occidentales tum Orientales vel ab ipſorum Apoſtolorum ævo ſemper coluerunt , quamquam non iidem forent omnibus jejuniorum dies, ac termini . Proxime accedunt IV. Temporum jejunia , et ipſa ex Apoſtoli-

cis

cis inſtitutis derivata, quæ a Chriſtianis cum Romana Eccleſia conjunctis nunc magna religione celebrantur. Horum antiquum uſum attente inveſtigemus oportet, ut an cum tribus jejuniorum temporibus a Bacchiario deſignatis conveniant cognoſcamus. Itaque primo S. Leonem audiamus Serm. 8. de Jejunio decimi menſis ita loquentem: *Hujus obſervantiæ utilitas in Eccleſiaſticis præcipue eſt conſtituta jejuniis, quæ ex Doctrina S. Spiritus ita per totius anni circulum diſtributa ſunt, ut lex abſtinentiæ omnibus ſit ſcripta temporibus. Siquidem jejunium vernum in Quadrageſima, æſtivum in Pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hyemale autem in hoc, qui eſt decimus, celebramus.* Plura hinc haurire documenta poſſumus, neque enim tantum, quæ tempora olim jejuniis dicata forent, intelligimus, verum etiam eorum inſtitutionem ex Doctrina S. Spiritus, atque ut alibi idem Leo affirmat ex Apoſtolorum auctoritate diſcimus emanaſſe. Idem repetit in Serm. 2. de Jejunio Pentecoſtes, ubi ait, *Jejunium illud de traditione Apoſtolica, & de S. Spiritus prodire doctrina.* Tribus porro ſolis diebus ſingula jejunia illa conſtitiſſe nos docet laudatus Pontifex pluribus in Sermonibus. *Quarta*, inquit, *& Sexta feria jejunemus, Sabbato vero apud B. Petrum Apoſtolum vigilias celebremus, qui & orationes & jejunia, & eleemoſynas noſtras precibus ſuis dignabitur coadjuvare.* Occurrit tamen S. Auguſtini locus, cujus beneficio quatuor Temporum jejunia partim illuſtrari, partimque everti videntur. Ait ille in Epiſt. ad Caſulanum 86. *Chriſtianus, qui quarta & Sexta Feria, & ipſo Sabbato jejunare conſuevit, quod frequenter Romana plebs fecit.* Infra vero: *Videat quanta afficiat contumelia ipſam Romanam Eccleſiam, ubi & his hebdomadibus in quibus quarta & ſexta* (Feria ſubaudi) *& Sabbato jejunatur, tribus tantum diebus continuis, Dominico ſcilicet, & die ſecunda, & tertia prandetur.* Vides heic trium in hebdomade dierum Romæ uſitatum fuiſſe, ideoque S. Leonis ſententiam de tribus diebus confirmari. At quum ait Auguſtinus: *Id frequenter Romana plebs facit*, næ plura quam IV. Tempora his deſtinata jejuniis ſignificare videtur. Sed ut animadvertit doctiſſimus Thomaſſinus cap. 21. part. 1. Tract. de Jejun. ſciendum eſt, quamquam quarta, & ſexta Feria a Romanis jejunio frequenter coleretur, nullum tamen hujuſce abſtinentiæ præceptum viguiſſe. Voluntaria hæc erant Romanis jejunia: quæ vero ſtatis quatuor Temporibus in uſu erant, eadem Eccleſiaſtica lege indicebantur. Poſſum in hanc rem S. Leonis auctoritate uti. En ejus verba Serm. 1. de jejun. Septimi Menſis. *Obſervantiam*, ait, *veſtram ita novimus eſſe devotam ut animas veſtras non ſolum legitimis, ſed etiam voluntariis jejuniis excolatis.* Subdit inferius: *Res eſt præcipui Operis, quam & ex auctoritate indicimus*, & ex *charitate ſuademus.* Igitur quatuor anni Temporibus ad jejunandum Eccleſiaſtico præcepto adigebantur Romani, quibus tamen conſueta aliis temporibus fuere voluntaria jejunia. Et ad hunc morem procul dubio S. Auguſtinus in Epiſtola ſupra laudata reſpexiſſe videtur.

CAP. II.

Num in univerſa Eccleſia colerentur hæc jejunia, inquiritur. SS. Leonis, ac Athanaſii loca explicantur. Apud Græcos nullus unquam fuit horum jejuniorum uſus.

I. PErſpecta iſtorum jejuniorum antiquitate conſequi videretur tria illa tempora, quorum Bacchiarius meminit, ad jejunii rationem haudquaquam poſſe pertinere; ſiquidem non ipſius modo Bacchiarii ævo, ſed ante illum quatuor Temporum jejunia uſurpabantur. Et quidem ſi Card. Bellarmino auſcultemus ita ſcribenti lib. 2. cap. 19. de bonis operibus in particulari, S. Leo in Serm. 7. de Jejun. decimi Menſis teſtatur hæc jejunia quatuor temporum in univerſa Eccleſia celebrari. Natalis quoque Alexander in Hiſt. Eccleſ. ſæculo 2. par. 1. diſſ. 4. art. 4. hanc poſuit Concluſionem. *Quatuor Temporum jejunia ſæculo quinto ab univerſa Eccleſia religioſe obſervata fuiſſe certum eſt.* Sed a tanti Cardinalis, doctiſſimique Alexandri ſententia diſcedere cogor, aliiſque argumentis oſtendere, Bacchiarii verba ad quatuor temporum jejunia omnino referri non poſſe. Et profecto in una Urbe, Romanaque ſolum provincia, aut ſummum in paucis Occidentalibus Eccleſiis quatuor Temporum jejunia antiquitus invaluiſſe fidenter affirmo. Sunt hæc S. Leonis verba

ba a Bellarmino citata : *His converſionibus providente gratia Dei addita ſunt Sancta jejunia , quæ in quibuſdam diebus ab univerſa Eccleſiæ devotionem obſervantiæ generalis exigerent*. Alium locum profert Nat. Alexander ex Serm. 4. de Jejuniis ſept. Menſis cap. 2. *Quibuſdam tamen diebus* , inquit S. Leo , *ab omnibus oportet pariter celebrari generale jejunium, & tunc eſt efficacior, ſacratiorque devotio, quando in operibus pietatis totius Eccleſiæ unus animus, unus eſt ſenſus*. Verum ſub *univerſæ Eccleſiæ* , *totiuſque Eccleſiæ* nomine totam Chriſtianorum Rempublicam per mundum diffuſam heic deſignari non arbitror , ſed quidem totam Eccleſiam Romanam , ſeu univerſum Urbis populum . Aliis quoque diebus Romæ voluntaria jejunia in uſu erant , ut diximus ſupra. Sed tunc non omnes Romani ſanctæ conſnetudini parebant . Quapropter gratius Deo futurum S. Leo inquit, ubi *univerſa Eccleſia* , quæ Romæ eſt , una conſenſione ſacra quatuor Temporum jejunia amplectatur. Et quis neſcit, quamvis una ſit Sponſa Chriſti , unaque Eccleſia, nempe Chriſtianorum Congregatio, multas tamen olim appellatas fuiſſe Eccleſias pro diverſis urbibus, atque provinciis, ita ut ab Epheſina Eccleſia Romana , Mediolanenſis item a Romana , eodemque pacto ſingulæ inter ſe diſtinguerentur ? Ad ſeptem Aſiæ Eccleſias ſcribebat Joannes Apoſtolus cap. 1. Apocal. hoc eſt Epheſum , Smyrnam , Pergamum, Thyatiram, Sardos , Philaldelphiam , & Laodiciam . Paulus vero τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ ἐν Κορίνθῳ *ad Eccleſiam Dei, quæ eſt Corinthi* duas ſcripſit Epiſtolas, aliiſque in locis ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας *Eccleſias Galatiæ* nominavit. Verum verba iterum S. Pontificis Leonis proferamus cum ſequentibus conjuncta : *His converſionibus, ait, providente gratia Dei addita ſunt ſancta jejunia, quæ in quibuſdam diebus ab univerſa Eccleſia devotionem obſervantiæ generalis exigerent . Quamvis enim pulchrum ſit, atque laudabile . ut ſingula quæque membra corporis Chriſti propriis ornetur officiis , excellentioris tamen eſt actionis, ſacratioriſque virtutis, cum in unum propoſitum piæ plebis corda concurrunt, ut ille, cui ſanctificatio noſtra ſupplicium eſt, non ſolum a parte , ſed etiam a ſoliditate ſuperetur* . Neque aliter in alio laudato loco loquitur S. Leo, inquit enim. *Quamvis unicuique noſtrum liberum ſit voluntariis caſtigationibus proprium corpus afficere, & nunc moderatius , nunc vero diſtinctius repugnantes ſpiritui carnales concupiſcentias edomare; quibuſdam tamen diebus ab omnibus oportet pariter celebrari generale jejunium , & tunc eſt efficacior , ſanctiorque devotio, quando in operibus pietatis totius Eccleſiæ unus animus, & unus eſt ſenſus . Publica enim præferenda ſunt propriis , & ibi intelligenda eſt præcipua ratio utilitatis, ubi vigilat cura communis*. Componit itaque S. Leo cum privatis quorumdam voluntariiſque jejuniis ea , quæ ab univerſa plebe Romana ex præcepto ſervabantur, majoriſque præſtantiæ hæc eſſe ſignificat . Hunc autem germanum eſſe horum verborum ſenſum , tum clarius intelliges, quum S. Leonem Quadrageſimale jejunium indicentem audies; ut enim illis temporibus abſtinentiam toti terrarum orbi Chriſtiano communem prædicet *ab omnibus populis, ab omni corpore Eccleſiæ , univerſiſque Fidelibus* eamdem uſurpari docet. Sunt ejus verba Serm. 6. de Quadrag. *Saluberrime nos quadraginta dierum jejunio præparemus . Non enim ii tantum , qui per mortis Chriſti , reſurrectioniſque myſterium in novam vitam Baptiſmo ſunt regenerante venturi , ſed etiam omnes populi renatorum utiliter ſibi , & neceſſarie præſidium hujus ſanctificationis aſſumunt*. Serm. vero decimo de Quadrag. *Conſiderantes* , inquit , *quid per crucem Domini adepta eſt univerſitas mundi , cognoſcimus ad celebrandum Paſchæ diem merito nos quadraginta dierum jejunio præparari, ut digni poſſimus divinis intereſſe myſteriis . Non enim ſummos tantum Antiſtites, aut ſecundi Ordinis Sacerdotes, nec ſolos Sacramentorum miniſtros, ſed omne corpus Eccleſiæ , univerſumque Fidelium numerum ab omnibus contaminationibus oportet eſſe purgatum, ut templum Dei , cui fundamentum eſt ipſe fundator, in omnibus lapidibus ſpecioſum, & in tota ſui parte ſit lucidum* . Veri igitur ſimile mihi videtur , Eccleſiæ tantummodo Romanæ S. Leonem mentionem feciſſe , ubi univerſam Eccleſiam in quatuor temporum jejunio obſervando concordem affirmavit , quod uberius nunc demonſtrare pergo . Certum eſt apud Orientales Chriſtianos omnes Sabbati dies jejunio caruiſſe præter Sabbatum Ante paſchale, quam conſuetudinem non oſtendunt ſolum, verum

etiam

confirmant Conſtitutiones Apoſtolicæ ſub Clementis Romani Pontificis nomine vel antiquitus in honore habitæ. Lib. 5. cap. 14. *Jejunium* (ita ibidem legitur) *ſolvere præcepit ſeptima die poſt galli cantum, ipſo autem magnæ Hebdomadæ Sabbato jejunare non quidem quod jejunandum ſit Sabbato, quod eſt requies Domini a mundi opificio, ſed quod illo tantum jejunandum eſt, quod ipſe Auctor mundi adhuc erat ſub terra*. Lib. quoque 7. cap. 24. idem repetitur: *Sabbatum, & Dominicum Feſtos dies agitate. Unum vero tantummodo Sabbatum nobis toto anno obſervandum eſt, Sabbatum ſcilicet Sepulturæ Chriſti, quo diem jejunare deceat non autem celebrare Feſtum*. In Canonibus vero, qui Apoſtolis fortaſſe ſuppoſiti ſunt, ſimilia habentur. Can. 75. ita ſe habet: εἴ τις τις κληρικὸς εὑρεθῇ τὴν Κυριακὴν ἡμέραν, ἢ τὸ Σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς, καθαιρείσθω. Εἰ δὲ λαϊκὸς ἀφοριζέσθω. *Si quis Clericus inventus fuerit Die Dominico jejunare, vel Sabbato præterquam quod uno ſolo, deponatur. Sin autem Laicus, ſegregetur*. Id repetitum invenias apud S. Ignatium Martyrem in Epiſt. 8. ad Philippenſes, in Concilio Trullano Can. 55. apud Gregorium Nyſſenum Orat. contra eos, qui ægre ferunt reprehenſiones, apud Anaſtaſium Sinaitam quæſt. 77. aliosque Græcos Scriptores. Hæc autem lex non ſolos tantum Orientales populos reſpiciebat, ſed quaſdam etiam Occidentis Eccleſias. Romæ tamen Sabbato jejunia obſervari exploratum habemus. Igitur conſequens eſt, nulla quatuor temporum jejunia Orientalibus populis in uſu fuiſſe, quum Sabbatum jejunando tranſigere interdictum iis, aut ſaltem nulla ejus rei conſuetudo foret. Eminentiſſimi Baronius ad A. C. 57. & Bellarminus, aliique non pauci ad jejunia quatuor Temporum retulerunt hæc S. Athanaſii verba in Apologet. 2. τῇ ἑβδομάδι μετὰ τὴν ἁγίαν πεντηκοστὴν ὁ λαὸς νηστεύσας ἐξῆλθε περὶ τὸ κοιμητήριον εὔξασθαι. *In hebdomade poſt ſacram Pentecoſten populus completis jejuniis ad orandum ad Cœmeterium abiit*. Quæ etiam verba Theodoritus libro 2. cap. 14. Hiſtoriæ inferuit. Verum qui Orientalium morem in jejunando novit, nullam heic quatuor Temporum mentionem fieri ſtatim intelliget. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 5. cap. ult. *Itaque*, ait, *poſt celebratam Pentecoſten celebrate hebdomadem unam & poſt illam jejunate item unam*. Igitur Græcis in uſu erat poſt Pentecoſten unam integram hebdomadam, excepto Sabbato, jejunio celebrare, quem morem loco laudato S. Athanaſius expreſſit.

CAP. III.

Sabbato olim paucis in Eccleſiis apud Latinos jejunia indicebantur. Hinc jejunia IV. Temporum paucis uſurpata. Sero in Mediolanenſem Eccleſiam invectus eorum uſus videtur. Jejunia in Occidente olim diverſa.

I. Veniamus nunc ad Latinos, & an apud omnes quatuor Temporum jejunia obſervarentur, inveſtigemus. Paucis hujuſmodi piam conſuetudinem aut fortaſſis uni Romanæ Eccleſiæ, adhæſiſſe ſuſpicari cogor, etenim Sabbato jejunare præter Romanam plebem paucæ admodum Eccleſiæ ſolebant. Urbicus quidam, ſeu Romanus homo, Auguſtini temporibus jejunium Sabbati ab Univerſis Chriſti Fidelibus ſervandum contendebat, quum Romæ idem mos alte vigeret. De hac re interrogatus a Caſulano Auguſtinus Epiſt. 86. pluribus docet: a Romanis tantum, paucisque Occidentalibus adhibitum Sabbato jejunium reliquis Eccleſiis nequaquam præbere jejunandi cauſſam, liberumque propterea aliis eſſe jejunium illa die aut omittere, aut amplecti. *Iſta dicens*, inquit Auguſtinus, *& a frequentia jejunandi ſolum diem Dominicum excipiens, non tantum Orientis, & Occidentis populos Chriſtianos, in quibus Sabbato nemo jejunat, verum etiam ipſam Romanam Eccleſiam improvidus, & incautus accuſat*. Infra addit: *Et de die quidem Sabbati facilior cauſſa eſt, quia etiam Romana jejunat Eccleſia, & aliæ nonnullæ, etiamſi paucæ, ſive illi proximæ ſive longinquæ &c.* Dixerat ante, ab Urbico illo blaſphemari *Eccleſiam toto terrarum orbe diffuſam, quæ exceptis Romanis, & adhuc paucis Occidentalibus*, jejunio Sabbatino haudquaquam indulgebat. Quum ergo tot Occidentis Eccleſiæ Græcorum more jejunium obſervare Sabbato religioni ſibi ducerent, ne ipſam quidem quatuor Temporum abſtinentiam niſi Latinis paucis placuiſſe arbitror, quippe Sabbato hujuſmodi jejunium obſervari indicebatur. Atque hinc eſt, quod Tertullianus

lianus lib. de jejuniis Pſychios, hoc eſt Orthodoxæ Fidei ſectatores his verbis alloquitur. *Cur ſtationibus quartam, & ſextam Feriam dicamus, & jejuniis Paraſceven? Quamquam vos etiam Sabbatum ſi quando continuatis, numquam niſi in Paſcha jejunandum creditis*. Ad quæ verba erudititiſſimus Pamelius hæc notat: *Ex quibus conſtat Romæ, & in multis viciniis, ac remotioribus Eccleſiis vero Orientis non item, imo neque Mediolani, neque in Africa, ſaltem ex præcepto Eccleſiæ, niſi ſemel in anno pridie Paſchæ*. Quid autem de S. Mediolanenſi Eccleſia dicam, cujus heic mentio occurrit? In hac profecto quum Græcorum plures ritus vigerent, is tamen maxime obtinebat, ut numquam Sabbato jejuniis daretur opera. Quin hujus conſuetudinis ita ratio habebatur, ut vel ipſis Quadrageſimæ temporibus a jejunio die Sabbati Mediolanenſes abſtinerent. Nolim mihi fidem habeas, ſed Ambroſio Sanctiſſimo Antiſtiti. Inquit ille cap. 10. num. 34. de Elia, & Jejunio: *Conſidera; Quadrageſima totis præter Sabbatum, & Dominicam jejunatur diebus* Excipiendum hinc tantummodo majoris Hebdomadæ Sabbatum, *quo quidem uno*, ut ait S. Auguſtinus in Epiſt. cit. ad Caſulanum, *ſic ab omnibus jejunatur, ut etiam illi Sabbati jejunium devotiſſime celebrent, qui ceteris per totum annum Sabbatis prandent*. Addit idem S. Auguſtinus celebrem illam S. Ambroſii ſententiam, quam ſibi dum Mediolani ageret de Sabbatini jejunii ratione percunctanti reddidit vir ſanctiſſimus his verbis: *Quid poſſum inquit, hinc docere amplius quam ipſe facio? Quando heic ſum* (videlicet Mediolani) *non jejuno Sabbato &c.* Itaque S. Ambroſii tempeſtate quatuor Temporum jejunia Mediolanenſi Eccleſiæ in uſu non fuiſſe pro certo arbitror. Imo in Urbem hanc ante S. Caroli tempora hunc pium jejunandi morem invectum nulla documenta nos docent. Ipſemet S. Antiſtes in Concilio Provinciali 4 rit. de ſacris quatuor Temporibus hæc habet: *Sacra quatuor Jejuniorum tempora, ex S. Spiritus doctrina ſalutariter inſtituta, ſunt olim, & frequenti Fidelium conventu & ſolemni celebritate, & religioſo ſupplicationum officio colebantur, ita ad illorum cultum paſtorali cura eruditis fidelium mentibus in uſum antiquæ pietatis revocanda ſunt*. Quibus ex verbis quum hujuſmodi jejunia *in uſum revocari* videantur, incertum quoque eſt an ante illa tempora Mediolani obſervarentur. Ego ſane quum omnes Miſſales Libros ante S. Caroli Epiſcopatum vel typis commiſſos, vel manu deſcriptos conſuluerim, nullam horum jejuniorum mentionem offendi. Beroldus præterea, qui tam diligenter Ambroſianæ Eccleſiæ ritus ſæculo Chriſti duodecimo deſcribebat, quique M. S. in Bibliotheca noſtra adſervatur, ne verbum quidem de more iſto reliquit. In Officiis vero Eccleſiaſticis, aut in Sacris Ambroſianæ Miſſæ ritibus nullum iis diebus jejunii, aut mutationis veſtigium olim apparebat, qualia tamen in Romanis Miſſalibus, ac Breviariis aſpicere eſt. Omnium primus S. Carolus hæc in Miſſali appoſuit poſt Miſſam diei 5. Pentecoſtes: *Feria IV. VI. & Sabbato ſunt tempora Pentecoſtes jejunanda*. Atque hæc omnia fuſe a nobis prolata facile, ni fallor, eorum opinionem evertere poſſunt, qui tam Latinis, tam Græcis, atque adeo toti Chriſtianorum Reipublicæ imo ſacrum hunc morem per paucas Occidentis Eccleſias pervaſiſſe probabilius videri poteſt. Quod ſi huc reſpexiſſent erudititiſſimi quidam Scriptores, profecto in interpretandis duobus veterum Patrum locis, minime hæſiſſent, a quibus nullum aliud jejunium quam Quadrageſimale univerſis Chriſtianis obſervatum dicitur. Tertullianus in lib. de Jejun. adverſus Catholicos diſputans poſtquam affirmavit Antepaſchale jejunium religioſe ab omnibus eſſe peragendum, ex Catholicorum mente ait: *Itaque de certo indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ diſciplinæ, pro temporibus, & cauſſis uniuſcujuſque: ſic & Apoſtolos obſervaſſe &c.* S. vero Hieronymus in Epiſt. ad Marcellam 54. *Nos*, inquit, *unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anno tempore nobis congruo jejunamus; Montaniſtæ, tres in anno faciunt Quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Salvatores; non quod & per totum annum, excepta Pentecoſte, jejunare non liceat, ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre*. Quibus ex verbis plane unam Quadrageſimam ex præcepto indici non conſueviſſe, quod tamen præceptum Romæ, ut vidimus, ſine dubio vigebat. Attamen ut validioribus argumentis ſententia noſtra roboretur, materiem

riem propoſitam uberius explicemus Philaſtrius Epiſcopus Brixienſis, qui ſæculo Chriſti quarto floruit, ideoque Bachiarii æqualis fuit, jejunia deſcribens in Eccleſia Dei uſurpata in hanc ſententiam loquitur lib. de Hæreſ. cap. 97. *Per annum quatuor jejunia in Eccleſia celebrantur. In Natali primum, deinde in Paſcha, tertium in Epiphania, quartum in Pentecoſte. Nam in Natali Salvatoris Domini jejunandum eſt, deinde in Paſcha Quadrageſimæ, atque in Aſcenſione itidem in Cælum, poſt Paſcha die Quadrageſimo inde uſque in Pentecoſtem diebus decem*: Confuſa, fateor, ſunt hujuſmodi verba, quibus ſententia minime integra eſt; nihilominus ſi aut Epiphaniæ aut decem dierum jejunio tranſigendorum mentionem heic factam cogites, diverſa a Romanorum conſuetudine jejunia fuiſſe commodiſſime intelliges. In Hiſpania vero nondum S. Iſidori Hiſpalenſis ævo, hoc eſt ſæculo Chriſti ſeptimo ineunte, quatuor temporum jejunia, quemadmodum a Romanis obſervabantur, obtinuiſſe certiſſimum reor. Quandoquidem lib. 1. cap. 36. 37. & ſequ. Eccleſiaſtica jejunia recenſens idem Iſidorus, quatuor memorat. Primum Quadrageſimæ, alterum, *quod juxta Canones poſt Pentecoſtem alio die incboatur*, tertium *quod decima die ſeptimi menſis celebrat Eccleſia*, & quartum *jejunium Calendarum Novembrium eſt*. Alia vero addit jejunia, videlicet jejunium Calendarum Januarium, jejunium in Letaniis triduanis, & jejunium ſextæ Feriæ, inter quæ non apparere quatuor Temporum abſtinentiam a Romana Eccleſia indictam nemo non videt. Scio librum hunc a magno Annalium parente Iſidoro Hiſpalenſi abjudicari, ſed communis eruditorum conſenſus, totaque antiquitatis auctoritas in contrarium pugnat. Animadvertas etiam velim Sanctiſſimi Patris tui Benedicti regulam cap. 41. Præſcribuntur ibi jejunia Monachis obeunda. Ita autem loquitur vir Sanctus: *A S. Paſcha uſque ad Pentecoſtem ad ſextam reficiant Fratres, & ad ſeram cœnent. A Penteoſte autem tota æſtate quarta & ſexta Feria jejunent uſque ad Nonam, reliquis vero diebus ad Sextam prandeant &c.* Utique nullum heic invenias triduanum Pentecoſtes jejunium, cujus obſervantiæ tamen nequaquam prius Patriarcha renunciaſſet, ſi tunc per univerſam Eccleſiam ejus obtinuiſſet uſus.

C A P. IV.

Triduanum veris jejunium olim in uſu fuiſſe nequaquam videtur Ordinum Sacrorum collatio quando habita. Hæc IV. Jejuniorum temporibus non præbuit originem.

I. Verum, ad Sanctiſſimi Pontificis Leonis tempora iterum reverti placet, meamque in hac re dubitationem proponere. Neſcio enim an reapſe prioribus Eccleſiæ ſæculis ulla de verno quatuor Temporum jejunio, uti nunc fit, ratio haberetur. *Jejunium*, inquit ille Serm. 8. de Jejun. x. menſis, *vernum in Quadrageſima, æſtivum in Pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hyemale autem in hoc qui eſt decimus, celebramus*. Jejunii verni nomine heic ſolam Quadrageſimam Antepaſchalem ſignificari, non triduum illud, quod Quadrageſimalis hebdomadæ initio nunc peragitur, facile cenſeo. Quum enim a S. Pontifice quatuor enumerentur jejunia per Anni circulum ex Apoſtolica inſtitutione obſervanda, par eſt ut primum ex iis, ac ſolemniſſimum Quadrageſimale appelletur. Proinde nullam tridui memorati mentionem a S. Leone factam ſuſpicor. Hoc autem clarius patebit ſingulos illius Sermones attente perpendenti. Jejunia menſium ſeptimi ac decimi, jejunium quoque Pentecoſtes commemorat, Feriam quartam ſextam, & Sabbatum tunc jejunio celebrante affirmat, ſed quum de Quadrageſima ſermones habet omnino prateſit ſingulare illud triduum, quod nunc in Exordio Quadrageſimæ quatuor Temporum nuncupamus jejunium. Et profecto quænam cauſſa intercedere potuit, quod a Quadrageſimali jejunio olim diſtingueretur jejunium, quod in ipſa Quadrageſima incluſum erat? An quia abſtinentia majore triduum illud indigeret? An ut jejunando trium menſium vernorum decimæ Deo O. M. redderentur? Neutrum ſane; quippe prioris hebdomadæ Quadrageſimalis dies parem cum reliquis diebus abſtinentiam (modo poſtremam excipias hebdomadam) expoſcebant. Tunc vero, quum totius anni decimæ ſummo rerum conditori ſolverentur, non vernum tantummodo triduum, ſed triginta ſex dies per jejunium Cælo dica-

dicabantur. At, inquies, illius tridui ratio habenda fuit, tunc enim ſacrorum Ordinum collationes peragi ſolebant, quemadmodum etiam in reliquis quatuor Temporum triduis uſuveniebant. Fateor, hac una de cauſſa prioris hebdomadæ Quadrageſimalis triduum a ceteris diebus diſtingui potuit, ſiquidem apertiſſima ſunt Gelaſii Papæ de hujuſmodi ritu teſtimonia in Epiſtola ad Lucaniæ & Brutiorum Epiſcopos. *Ordinationes*, inquit ille, *Presbyterorum*, *& Diaconorum niſi certis temporibus & diebus exerceri non debent*, *ideſt quarti menſis jejunio*, *ſeptimi*, *& decimi*, *ſed etiam Quadrageſimalis initii*, *ac medianæ hebdomadæ*, *& Sabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandas*. Quod igitur jejunia quatuor Temporum inſtituta fuerint, id potiſſimum cauſſæ fuiſſe cenſet Hallier lib. de Sacris Ordinat. ſect. 7. cap. 1. art. 2. §. 2., quia non niſi præcedente jejunio Sacris initiari nemini licebat. Hæc tamen ratio inſtitutionem quidem jejuniorum illuſtrat, quæ poſt Pentecoſtem, menſibuſque ſeptimo ac decimo peragebantur, nihil vero de verni temporis triduo confirmat. Non ut Sacri Ordines conferrentur, primam Quadrageſimæ Hebdomadam per jejunium Eccleſia ſacrabat, ſed ut revera ſtatutam ab Apoſtolis eo tempore abſtinentiam ſervaret. Et cur, quæſo, a reliquis Quadrageſimæ diebus minime triduum illud diſtinguebatur, quod Dominicam Paſſionis præcedit, & ſub *medianæ hebdomadæ* vocabulo a Gelaſio ſignificatur! tunc enim Sacris Ordinibus initiabantur Chriſtiani. Imo ne ipſo quidem S. Leonis ævo priorem Quadrageſimæ hebdomadam Sacrorum Ordinum collationi fuiſſe deſtinatam, veriſimile videtur. Scribit hic S. Pontifex ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum Epiſt. 80. aut 81. *Quod a patribus noſtris propenſiore cura novimus eſſe ſervatum a vobis quoque volumus cuſtodiri*, *ut non paſſim omnibus diebus Sacerdotalis*, *vel Levitica ordinatio celebretur*, *ſed poſt diem Sabbati ejus noctis*, *quæ in prima Sabbati luceſcit*, *exordia deliguntur &c*. *Quod ejuſdem obſervantiæ erit*, *ſi mane ipſo Dominico die continuatio Sabbati jejunio celebretur*, *a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt*, *quam ad diem Reſurrectionis*, *ſicut etiam in Paſcha Domini declaratur*, *pertinere non dubium eſt*. Clarius autem loquitur infra S. Leo: *Et ideo pie*, *& laudabiliter Apoſtolis morem geſſeris inſtitutis*, *ſi hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Eccleſias quibus Dominus præeſſe te voluit*, *etiam ipſe ſervaveris*, *ut his*, *qui conſecrandi ſunt*, *numquam benedictiones niſi in die Reſurrectionis Dominicæ tribuantur*, *cui a veſpera Sabbati initium conſtat adſcribi*. Adeo vero dilucida ſunt hæc S. Leonis poſtrema verba, ut mirer, quibuſdam Canonum Interpretibus in mentem venire opinionem illam, qua ſingulis Anni Sabbatis ſacros Ordines antiquitus conferri potuiſſe contendunt. Aliena Sane a tanti Pontificis mente ſentienti: Nam *benedictiones numquam*, videlicet Ordines Sacros, *niſi in die Reſurrectionis Dominicæ*, *cui a veſpere Sabbati*, *initium conſtat adſcribi*, tribuendas eſſe affirmat. Igitur S. Leonis ævo, ut ſacra hæc munera peragerentur majoris hebdomadæ Quadrageſimalis Sabbatum eligebatur, quo die ad veſperam vergente, quum Reſurrectionis Sacræ Feſtum decurrere inciperet, ideo ipſomet Paſchatis die conferri Ordines dicebantur. Quamquam fateor me neſcire plane, qua ratione cum his S. Leonis verbis ea conſentire poſſint, quæ de collatione Ordinum a Romanis Pontificibus peracta in eorum Vitis habet Anaſtaſius Bibliothecarius; ſemper enim menſe tantum Decembri Ordinationes, ut is appellat, ab iis habitas eſſe oſtendit. Simplicius omnium primus Februario quoque id præſtitiſſe dicitur, eumque imitati ſunt Succeſſores, vario tamen ritu, ac majori libertate. Amularius Fortunatus lib. 2. cap. 2. de Eccleſ. Offic. minime *celebratas in quatuor Temporibus Ordinationes a primis Epiſcopis* inquit. Verum tamen, ſive S. Leonis, ſive Anaſtaſii ſententia ſit verior, liquet non inſtitutum quatuor temporum jejunium, ut tunc Ordinum ſacrorum collationes haberentur, ſed potius ut laudato loco Amalarius loquitur, *ipſas Ordinationes eo tempore propter jejunium præcedens* poſtea celebrari cœpiſſe. Nulla igitur cauſſa fuit, quod a reliquis Quadrageſimæ diebus prioris hebdomadæ triduum diſtingueretur, ideoque jejunii verni nomine integra Quadrageſima a S. Leone, aliiſque vetuſtis Patribus deſignata videtur. Jejunium iſtud ſubſequebantur triduana Pentecoſtes, ac menſium Septembris & Decembris jejunia, quæ ſimul computata quatuor conſtituebant

Tem-

Digitized by Google

Tempora jejuniis Eccleſiaſticis ſacrata, atque ab ipſis Apoſtolorum temporibus Romana in Eccleſia obſervata. Atque hinc eſt, quod antiquitus in Miſſa poſt ſalutationem *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum* trium ſolummodo Temporum jejunia annunciarentur, non vero quatuor. Doctiſſimus Card. Bona lib. 2. cap. 16. rerum Liturgicarum hæc ex libro Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ ante annos nongentos ſcripto adnotavit: *Poſt hæc commonenda plebs pro jejuniis quarti, ſeptimi, & decimi menſis temporibus ſuis, ſive pro Scrutiniis &c.* Illud quoque animadvertere eſt in antiquiſſimo Codice Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ, quem edidit Cl. V. Pater Joſephus Maria Thomaſius, ubi Cap. LXXXII. hæc leguntur: *Denunciatio jejuniorum quarti, ſeptimi, & decimi menſis.* Verum nullum eſt luculentius teſtimonium, quam quod legitur in Concilio Cloveshoviæ ſecundo habito A. Ch., 747. ut videre eſt Tomo 6. collect. Concil. Labbei *Octavo decimo*, inquiunt Patre illi, *ſtatutum eſt mandato, ut jejuniorum tempora, ideſt quarti, ſeptimi, & decimi menſis nullus negligere præſumat, ſed ante horum initia per ſingulos annos admoneatur plebs quatenus legitima univerſalis Eccleſiæ ſciat atque obſervat jejunia, concorditerque univerſi id faciant, necullatenus in ejuſmodi diſcrepent obſervatione*], *ſed ſecundum exemplar, quod juxta* ritum Romanæ Eccleſiæ deſcriptum, ſtudeant celebrare. Hæc Patres Sanctiſſimi de Britanniarum Eccleſiis, in quibus Romanæ Eccleſiæ ritus vigebant, illuc jamdudum cura S. Gregorii M. a S. Auguſtino importati. Nam eo ſolum tempore hujuſmodi jejuniorum ritum in Britannias penetraſſe diſcas e Can. 16. Concilii Ænhamenſis habiti Anno 1009. Tom. 9. collect. Labb. Ibi hæc leguntur: *Et jejunia quatuor Temporum, quæ Imbrem vocant, & cetera omnia, prout Sanctus Gregorius genti impoſuit Anglorum, conſervantur.*

CAP. V.

Triduum vernum ſero excogitatum videtur. Iſidori ſententia defenditur. IV. Jejuniorum uſus quando in Gallias migravit.

I. Atqui, reponet quiſpiam, undenam factum eſt, ut prima Quadrageſimæ hebdomada unum ex his quatuor Temporum jejuniis nunc celebrari dicatur? Conjecturam profero meam. Præter ſolemne Quadrageſimæ jejunium trium Temporum jejunia Romæ & fortaſſe in aliis quibuſdam Occidentis Eccleſiis per aliquot ſæcula viguiſſe videntur. Quum vero æſtati, autumno, ac hyemi triduum jejunio tranſigendum aſſignatum fuiſſet, ut veris etiam tributum Deo redderetur, triduanum aliud jejunium verno tempore inſtitutum eſt, quippe Quadrageſima ipſa non veris, ſed totius anni, decimæ per jejunium ſummo Numini videbantur perſolvi. Triduum autem hoc non priori Quadrageſimæ hebdomadi præſcriptum eſt, ſed primæ Martii, ita ut interdum ante Quadrageſimam jejunium haberetur, ſæpius vero in ipſum Quadrageſimale jejunium triduum illud recideret. Sed quum ex hac inſtitutione nonnulla ſequerentur incommoda, atque ut Ordinum ſacrorum collationi, quæ ex Gelaſii præcepto priore Quadrageſimæ hebdomada celebrabatur, triduanum etiam veris jejunium adnecteretur, placuit, ut eadem hebdomada, quod nunc fit, jejunium vernum celebraretur. Ritus iſte a Romana, ut credere par eſt, in reliquas Occidentis Eccleſias manavit, & Caroli Magni tempore primum in Galliis receptus videtur; quum enim in omnibus inclytus ille Imperator Regna ſua ad exemplar ejus Eccleſiæ, quæ omnium mater eſt, componere vellet, veteribuſque Gallorum ritibus ſacris antiquatis, Romanam Liturgiam illuc invexit, atque adeo quatuor Temporum jejunia. Rem auctoritate firmemus. Sub finem ſæculi a Chriſto nato octavi Epiſtolas aliquot Decretales ſub Romanorum Pontificum nomine confictas fuiſſe, omnium nunc eruditorum ſententia eſt. Iſidorus pius illarum artifex, Mercatoris, ſeu Peccatoris cognomento clarus in Hiſpaniis degebat, quare ex iis provinciis in Gallias, & reliquum Occidentem merces hujuſmodi mi-

gravere. Calliſto autem primo, Pontifici Romano, qui circiter annum Chriſti 224. floruit, ſuppoſita eſt Epiſtola ad Benedictum Epiſcopum, ubi hæc leguntur: *Jejunium quod ter in anno apud nos celebrare didiciſti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus, ut ſicut annus per quatuor volvitur tempora, ſic & nos quaternum ſolemne agamus jejunium per anni quatuor tempora. Et ſicut replemur frumento, vino & oleo ad alenda corpora, ſic repleamur jejunio ad alendas animas juxta Prophetæ Zachariæ vocem cap. 8.* Anaſtaſius quoque Bibliothecarius in hujus Pontificis vita ſecundum exemplar, quod MS. in Ambroſiana Bibliotheca adſervatur: *Hic*, ait, *jejunium inſtituit die Sabbati ter in anno fieri frumenti, vini & olei ſecundum Prophetiam quarti, ſeptimi & decimi*. Ubi non *ter*, ſed *quater* legendum merito cenſet Baronius ad A. Ch. 226. Equidem quin conficta ab Iſidoro Epiſtola hæc fuerit, non ambigo; ſed ex ipſa tamen non parum lucis opinioni noſtræ accedere video, quin ipſam magna ex parte veram eſſe fateri oportet. Cognoverat Iſidorus Romæ priſcis temporibus tria tantum tempora jejuniis triduanis deſtinata, quibus poſtea quartum, hoc eſt vernum, ſenſim acceſſerat. Quum hujus additamenti auctorem minime noſſet, cenſuit ad Calliſtum uſque rem retrahi poſſe. Et quidem iis ſubiraſcor, qui Iſidorum heic notant, quaſi a Calliſto Papa, non vero ab Apoſtolis, ut tradit S. Leo, quatuor jejuniorum tempora finxerit inſtituta. In Bibliothecarium potius hæc criminatio cadit, qui Iſidori ſententiam non bene perſpexit. Nam quum ex Iſidori mente Calliſtus dicat, *jejunium, quod ter in anno* apud nos celebrari didiciſti, utique ipſo fatente Iſidoro ante additum ſcribatur, Iſidorum, ut ajebam, cenſeo ad præterita reſpexiſſe tempora, atque ad recentem conſuetudinem. Etenim tam confidenter hanc additionem ille non propoſuiſſet factam, ſi nullo veterum Patrum teſtimonio ſententiam ſuam roborare potuiſſet. Id moris eſt Scriptori illi, ut nihil ſine antiquorum Scriptorum ſuffragio ſcribat, imo ſæpe ipſamet eorum verba diligentiſſime deſcribat, ſicuti a Blondello in ſingulari opere demonſtratum fuit. His accedit in nonnullis Italiæ urbibus vel ad ipſum ſæculum Epochæ noſtræ decimum illum obtinuiſſe ritum, ut trium tantum temporum jejunia obſervarentur. Atto Vercellenſis Epiſcopus, qui floruit circiter annum Chriſti 945. in Capitulari 87. eiſdem verbis utitur, ac Iſidorus in Epiſtola Calliſti tacite ſignificans tribus anni temporibus Eccleſiam ſuam jejuniis operam dediſſe. Hunc autem ſacram ritum Caroli M. tantum ævo in Gallias primum penetraſſe ex ipſius Imperatoris Capitulari 86. lib. 5. aliiſque Capitularibus, & ex Can. 34. Concilii Moguntini Anno 813. cognoſcere licet. Illic enim tamquam inſtitutio nova, atque a Romanis accepta dicitur. *Conſtituimus*, inquiunt Moguntini Antiſtites, *ut quatuor Tempora anni ab omnibus cum jejunio obſerventur, hoc eſt in Menſe Martio hebdomada prima, & Feria quarta & ſexta, & Sabbato &c. ſimiliter in menſe Junio hebdomada ſecunda, in menſe Septembris hebdomada tertia, in menſe Decembrio hebdomada prima, quæ fuerit plena ante Vigiliam Nativitatis Domini, ſicut eſt in Romana Eccleſia traditum.* Ex quibus verbis eruditiſſimus quoque Thomaſſinus in Tract. de Jejun. parte 2. cap. 18. recenter in Gallias illatum horum jejuniorum ritum fuiſſe prudenter conjecit. Quod ſi veterem Eccleſiæ Gallicanæ Liturgiam a Cl. Patre Mabillonio evulgatam, quæ in uſu ante Caroli M. ævum fuit, conſulamus, utique nullam horum jejuniorum memoriam fieri videbimus, quum tamen jejunia Quadrageſimæ, & Rogationum illic adnotentur, Miſſaque peculiari celebrentur. Illud etiam videre eſt in Miſſali Gothico, ſeu Gothico a Gallicano, & in alio Miſſali vetere Gallicano apud Cl. V. Patrem Joſephum Mariam Thomaſium, in libro, cui titulus eſt *Codices Sacramentorum &c.* Ann. 1680. evulgatis, & a Laudato Mabillonio iterum excuſis, in his enim Liturgiis nullum omnino præſcribitur horum jejuniorum documentum. Neque diverſa colligas a Concilio Turonenſi ſecundo habito Anno 567., cujus Canone 17. jejunia Monachis obeunda præſcribuntur his verbis: *Poſt Paſcha uſque ad Pentecoſtem exceptis Rogationum diebus, nulla indicantur jejunia. Poſt Pentecoſtem tota hebdomada ex aſſe jejunetur. Poſtea uſque ad Kalendas Auguſti, toto etiam Septembri, Octobri, & Novembri ter in Septimana ſecunda, quarta, & ſexta die jejuniis incumbatur.* Ubi nulla de autumna-

Digitized by Google

li Quatuor Temporum jejunio occurrit mentio, imo nulla de ceteris.

CAP. VI.

Quando olim hæc jejunia indicerentur, quæritur. Prima Hebdomada Martii, ſecunda Junii duobus primis jejuniis deſtinatæ. Micrologit Auctor refellitur.

I. IN Canone Concilii Moguntini ſuperius relato animadvertimus vernum jejunium priori hebdomadæ Martii, æſtivum ſecundæ Junii, autumnale tertiæ Septembris, hyemale tandem hebdomadæ integræ Vigiliam Dominici Natalis præcedenti conjuncta fuiſſe. Micrologi tamen vetuſtus auctor lib. de Eccleſ. Obſerv. cap. 24. jejunium vernum prima ſemper Quadrageſimali hebdomada celebratum ait, ſibique Moguntinum Concilium (ſub Henrico II. Imperatore ut is perperam cenſet celebratum) objiciens Patribus illis errorem facti impingit, quod nempe *antiquam SS. Patrum traditionem in hac re minus attenderint*. Verum auctorem Micrologi deceptum potius exiſtimo, quum enim apertis verbis Moguntini Patres traditam ab Eccleſia Romana conſuetudinem ſe ſequi profiteantur, illos adeo imprudentes ſuſpicari non poſſumus, ut alium a Romano ritum proponerent. Attamen ut evidentius Scriptorem hunc erraſſe intelligamus, præſto ſit nobis ipſemet Ordo Romanus, videlicet Liturgia Romæ antiquitus uſurpata. Ibi tit. de IV. Temporibus jejuniorum hæc exhibentur verba: *In primo Menſe* (hoc eſt Martio) *quarta & ſexta Feria, vel Sabbato in prima hebdomada ipſius menſis primum jejunium celebratur. Secundum in quarto menſe in ſecunda hebdomada ipſius menſis. Tertium jejunium ſeptimi menſis, ideſt Septembris tertia hebdomada ipſius menſis. Quartum decimi menſis, ideſt Decembris quarta hebdomada ante Natalem Domini*. Ipſum igitur Ordinem Romanum cum Moguntino Canone plane conſentire animadvertas. Hinc autem ea conſuetudo invaluit, ut quatuor Temporum jejunia vel ab ipſa Romana Eccleſia nuncuparentur jejunia primi, quarti, ſeptimi, ac decimi menſis, hoc eſt Martii, Junii, Septembris, atque Decembris, veteres enim annum a Martio auſpicabantur. Rhabanus Maurus lib. 2. de Inſtit. Cleric. cap. 24. *Sunt quoque*, ait, *quatuor Sabbata in quatuor menſibus, in quibus ſpecialia jejunia ſunt conſtituta, ideſt in Martio menſe primo Sabbato, & in ſecundo Sabbato quarti menſis, ideſt Junii; in ſeptimi quoque menſis, ideſt, Septembris, tertio Sabbato, & in quarto Sabbato decimi menſis, ideſt, Decembris* Amalarius Fortunatus lib. 2. cap. 1. de Eccleſ. Offic. ſimilia plane ſcribit, & ut in hiſce Hebdomadibus ſtatutum eorum jejuniorum fuiſſe tempus ſignificet, addit: *Tunc jejunare ſolemus etiamſi provenerint in Octavis Pentecoſtis, quando celebratur feſtivitas ſeptiformis Spiritus* Alcuinus vero lib. de Divin. Offic. cap. de IV. Temporibus in hæc verba loquitur: *In his quatuor anni Temporibus oportet nos jejunare, etiamſi venerit infra Pentecoſtem*. Quare jejunium æſtivum ita hebdomadæ ſecundæ Junii adfixum erat, ut ſæpiſſime longe poſt Pentecoſtem, raro in Octava Pentecoſtes celebraretur. Hoc & in verno jejunio uſu veniebat, quod ante Quadrageſimam non numquam obſervandum erat, ita temporum curſu, ac ratione ſuadente. Sed & veritatis fides nobis relicta eſt in vetuſtiſſima illa, & ante nongentos annos uſurpata, Romanæ Eccleſiæ Liturgia, quam anno 1680. publicis typis tradidit eruditiſſimus P. Joſephus Maria Thomaſius Cl. Reg. una cum aliis *Sacramentorum Codicibus*. Ibidem cap. XI. hæc leguntur: *Iſtæ Orationes, quæ ſequuntur, primæ Sabbati in menſe primo ſunt dicendæ. Orationes & Preces in XII. Lectionibus Menſe primo: Deus qui delinquentes &c.* Tum cap. XX. proxime ſequitur *Ordo qualiter in Romana Sedis Apoſtolicæ Eccleſia Preſbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi eligendi ſunt. Menſis primi, quarti, ſeptimi, & Decimi Sabbatorum die in XII. Lectiones ad S. Petrum, ubi Miſſæ celebrantur. Poſtquam Antiphonam ad Introitum dixerint &c.* In libro vero Sacramentorum, quem S. Gregorio male adſcriptum Angelus Rocca evulgavit Tom. 5. Operum S. Greg. edit. Paris. MDCV., jejunii verni mentio *Feriæ quartæ Feriæ ſextæ, & Sabbato Menſis primi, hoc eſt Martii* conjungitur, nulla prioris hebdomadæ Quadrageſimalis mentione relicta. His accedit vetuſtum illud Lectionarium Sancto Hieronymo ſuppoſitum, ac a Pamelio vulgatum, ubi poſt Hebdomadam tertiam, quæ Pentecoſtes Feſtum ſequitur,

tur, iſta leguntur: *Incipiunt Lectiones menſis quarti. Feria quarta, Feria ſexta, & Sabbato in XII. Lectionibus*. Quibus nobis triduanum Junii deſignatur jejunium non Pentecoſtes hebdomade, ſed prima Junii celebratum. Chorum claudet conſtitutio 51. Conventus Aquiſgranenſis habiti Ann. Ch. 817. apud Sirmondum Tom. 2. Concil. Galliæ. Statuitur ibi *ut in hebdomada Pentecoſtes non flectantur genua, & non jejunetur, niſi ſtatuti fuerint dies jejunii*. Ubi vides tunc ſolum jejunium celebrari intra hebdomadam Pentecoſtes, quum in illa ſtatuta quatuor Temporum jejunia inciderent. Interrogemus itaque Micrologi Auctorem cur ab antiquis tum Romanis, tum Gallis Scriptoribus jejunium vernum primo menſi videlicet Martio ſemper adſcribatur, quum non raro ex ejus ſententia Februario menſe contingat. Reſpondet ille, *Nec mireris hoc jejunium potius Martio quam Februario adſcribi, quamvis in Februario cum ipſa Quadrageſima nonnumquam occurrat. Semper enim idem jejunium, aut Kalendaria aliquando, aut Lunationem Martii, aut utrumque ſimul incurrit. Februarii autem Kalendaria aliquando, Lunationem vero numquam attigit. Ergo multo congruentius Martio adſcribitur, quem nunquam relinquit, quam Februario, quem multoties penitus non attingit. Obſervatur ſane hoc jejunium cum ipſa Quadrageſima ſecundum Lunationem, ſicut & Paſcha. Unde non incongrue ipſum Martio propter Lunationem adſcribitur, quamvis in Februario occurrat. Sicut & Paſcha Aprili ſemper adſcribitur, quamvis ſæpe in Martio contingat*. Heic ſane quamquam ſubobſcuris verbis Scriptor ille utatur, ita tamen loquitur, ut multos errores erraſſe videatur. Quid enim inquit ille, vernum jejunium in Lunationem Martii ſemper, numquam vero in Lunationem Februarii incidere? Imo, inquam ego, nunquam in Lunationem Martii, ſemper vero in Februarii Lunationem (ſi Annum quandoque Emboliſmicum fortaſſis excipias) jejunium vernum cadit. Ut præcepto Sacræ Scripturæ pareamus quo Paſcha celebrandum præſcribitur primo Anni menſe, a SS. Patribus conſtitutum fuit, ne ſub aliam Lunam Dominicum Paſcha perageretur, quam ubi Luna Martii orbem ſuum impleſſet. Ea autem Luna Paſchalis dicitur, cujus decima quarta dies in æquinoctii diem incidit, aut eandem proxime conſequitur ita ut a die XXII. Martii uſque ad XXV. Aprilis computatis terminis celebrari ſemper Paſcha poſſit. Quamquam non iidem ſemper fuerint Paſchalis temporis termini, illud tamen ſemper obſervatum eſt, ut ſub Lunæ Martiæ, ſeu primi menſis curſu Paſcha perageretur. Quare primo conſequitur falli Auctorem Micrologi, quum Aprili Paſcha ſemper adſcribi affirmet, quod revera primi menſis, hoc eſt Martii Lunæ adſcribendum eſt. Secundo parum accurate dicitur jejunium vernum, ſi conſtituatur in prima Quadrageſimæ hebdomada, *ſemper in Lunationem Martii incurrere*: etenim Luna Martii niſi adulta Quadrageſima, atque adeo peracto jam verno, quatuor Temporum jejunio naſci non poteſt. Februario itaque melius triduum illud tribuendum foret, ſi Lunæ rationem haberemus. Atque hinc patet, jejunium hoc priori tantum hebdomadæ Martii alligatum olim fuiſſe, neque idcirco inſtitutum ut tunc Ordinum collationes celebrarentur quæ ex Gelaſii Papæ teſtimonio in priorem Quadrageſimæ non Martii, hebdomadam incidebant.

CAP. VII.

Incommoda ex antiquo ritu celebrandi hæc jejunia. Plurium Conciliorum ope his ſubvenitur. Sub Gregorio VII. PP. quatuor jejuniorum ſedes conſtituta.

I. VErum procedente tempore quum aliqua ex hoc ritu ſequerentur incommoda ac differentiæ, nonnulli aut ignorantia aut religione ducti ſtatas, ac definitas quatuor jejuniorum ſedes minime obſervabant. Si enim Martiæ Kalendæ in quintam Feriam incidebant, quibuſdam placebat quarta Feria, hoc eſt die poſtrema Februarii, aut ipſo primo Sabbato Martii jejunium vernum incipere; quibuſdam vero in alteram Martii hebdomadam differre. Incommodum autem arbitrabantur nonnulli extremos. Bachanaliorum dies jejunio tranſigere, ſi quando eveniret ut triduum obſervandum eo tempore foret. Præterea quum in hebdomada, quæ Pentecoſtem præcedit, æſtivum jejunium incidere poſſet, tunc jejunio dare operam, religio erat veterum Ca-

no-

Digitized by Google

nonum cultoribus. Ea propter ut his difficultatibus obviam iret Concilium Salenguſtadienſe Anno 1022. coactum, Canone ſecundo hæc decreta promulgavit: *De incerto jejunio quatuor Temporum hanc certitudinem ſtatuimus, ut ſi Calendæ Martii in quarta Feria, ſive antea evenerint, eadem hebdomada jejunium celebretur. Si autem Calendæ Martii in quintam Feriam aut Sextam aut Sabbatum diſtenduntur in ſequentem hebdomadam jejunium differatur &c. Si quando vero jejunium menſis Junii in Vigilia Pentecoſtes ſecundum prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, ſed in ipſa hebdomada ſolemni Pentecoſtes &c.* Poſt hujus Synodi tempora veriſimillimum eſt a Bernone Augienſi Abbate ſcriptum fuiſſe libellum *de quibuſdam rebus ad Miſſam ſpectantibus* Cap. 7. de jejuniis quatuor Temporum differit ac præter alia obſervatione digna hæc affert: *Scire optas utrumnam ſtatim in primo Sabbato Martii ſit jejunandum, etiamſi ideo Menſis quinta, ſexta aut ſeptima Feria incipiat, an ad aliud Sabbatum propter quartam Feriam ſit differendum. Ad quod tibi ex conſuetudine S. Eccleſiæ, quæ pro maxima auctoritate tenenda eſt reſpondeo, quod abſque ulla refragatione ſemper ejuſdem menſis quarta Feria debeat expectari, quoniam idem jejunium, quod quarta Feria incipitur, Sabbato finitur, nequaquam Februario, ſed totum Martio deputatur &c.* Tum alia addit, quæ quatuor Temporum jejunia oſtendant ſtatis menſium hebdomadibus celebrata fuiſſe uti Moguntinum Concilium, ceterique Auctores nos docuere. Et quum is *ex conſuetudine S. Eccleſiæ* ſe reſpondere affirmet, procul dubio conſtat, non aliter eo tempore ab Eccleſia Romana hujuſmodi jejunia fuiſſe uſurpata. Quibus auctoritatibus addas velim Concilii Roromagenſis decretum An. 1072. promulgatum, per quod quatuor jejuniorum temporibus eadem deſignatur ſedes ac a Moguntino Concilio olim adſcripta fuerat. Hactenus vidimus unam Conciliis, atque Auctoribus mentem curamque fuiſſe, ut jejunia laudata fixum in anni menſibus invenirent locum nullaque ſanctione cautum fuiſſe incommodis illis, quæ ob hanc conſuetudinem afferebantur. Quapropter ut Beldricus in Chronico Cameracenſi lib. 3. cap. 50. teſtatur, Patres Synodi Tribuvienſis Anno 1031. *poſt aliqua dictorum ſuorum hoc habuerunt capitulum, ut ſi quando jejunium primi menſis in ea hebdomada, qua conſtat caput jejunii, ſicut ſolet, eveniret, amborum jejuniorum celebritas una officii expletione compleretur. In hoc rurſus moderatiſſimus Paſtor Gerardus Cameracenſis Epiſcopus antiquam Patrum conſuetudinem ſervari monebat; & in altera hebdomada officium primi jejunii celebrandum pro antiqua conſuetudine cenſebat. Cujus oblata ſententia viſa eſt congrua, & ab eis decreta eſt tenenda.* In Synodo poſtea Arvernenſi 127. earum, quas collegit Lambertus Epiſcopus Atrebatenſis, ut ad Goffridi Vindocinenſis Epiſt. 23. lib. 3. ſcribit Sirmondus V. C. Soc. Jeſu *decretum eſt, ut ſemper fiat jejunium veris in prima hebdomada Quadrageſimæ, jejunium vero æſtatis infra hebdomadam Pentecoſtes.* Quo Anno hæc Synodus habita fuerit mihi non conſtat; fortaſſe tamen ad Gregorii VII. tempora videtur referenda. Et ſane ſub hoc Sanctiſſimo Pontifice quatuor Temporum jejunia certam ſtatamque ſedem obtinuere, quam noſtra etiam tempeſtate tenent. In Synodo Quintilineburgenſi Anno 185. coram Pontificio Legato celebrata, ut refert Bertholdus in Hiſtoria, conſtitutum eſt *ut vernum jejunium in prima hebdomada Quadrageſimæ, æſtivum in Pentecoſte ſemper celebretur.* Nihil de reliquis duobus jejuniis Septembris ac Decembris excogitatum eſt, nam iiſdem ſemper diebus antea indici ſolebant, quibus nunc quoque indicuntur. Anno itidem 1095. ſub Urbano II. Pontifice Maximo in Placentina & Claromontana Synodis laudatæ ſanctioni totius pene Latinæ Eccleſiæ ſuffragium acceſſit, uti nos docet Bertholdus prælaudatus. Quamquam non ubique ſtatim pro decreto obtemperatum eſt, Goffridus enim Vindocinenſis Lib. 3. Epiſt. 23. ad Hildebertum Cenomannenſem Epiſcopum hæc verba ſcribit: *In qua hebdomada Junii jejunia ſitis celebraturi, nobis mortificare curetis.* Quare nondum omnibus conſtabat, quæ foret æſtivi jejunii ſedes. Imo quod magis ſtupeas, in Anglia a Concilio Oxonienſi Anni 1222. uti animadvertit doctiſſimus Thomaſſinus, ita ſancitum legitur: *Jejunia quatuor Temporum in totius Anni temporibus. In Martio prima hebdomada jejunandum eſt. In Junio in Secunda, quod dupliciter obſervatur a pluribus, in prima heb-*

hebdomada poſt Litanias aut in hebdomada Pentecoſtes. Novis exinde Summorum Pontificum decretis horum jejuniorum uſus ita firmatus eſt, ut Latinis omnibus una nunc ſit accuratiſſima horum ſervandorum ratio, neque gravi crimine careat eorum contemptor. Quod ſi quis hæreticus reponeret huic piæ conſuetudini, ac decreto nequaquam parendum, quum antiquis temporibus nullum ac de re univerſale præceptum foret; continuo reſpondebimus, vel ab ipſo Apoſtolorum ævo uſurpatum, ut ab Epiſcopis jejunia indicerentur, quibus parere ſubjecti populi cogebantur, teſtibus Tertulliano lib. de Jejun. cap. 13. S. Ambroſio in cap. 3. & 4. Jonæ, & S. Leone M. Serm. 1. de Jejun. Sept. menſis. Quatuor vero Jejuniorum Tempora non Romanus modo Pontifex, videlicet Eccleſiæ Catholicæ caput ac Magiſter, ſed Concilia tum OEcumenica, tum Provincialia ex præcepto ſervanda conſtituerunt.

CAP. ULTIMUM.

Colliguntur dicta. Tres Quadrageſimæ olim celebratæ. Bachiarii verbis quædam explicatio adhibetur.

I. NUnc eorum quæ hactenus diſſeruimus, rationes ſubducamus. Quatuor Temporum Jejunia ex Apoſtolica traditione, atque inſtitutione prodeunt. Eorum uſus numquam apud Orientales obtinuit, & aliquot a Chriſto nato ſæculis Romæ tantum, aut ſummum in paucis aliis Latinorum Eccleſiis viguit. Sæculo Chriſti octavo in Gallias, in Hiſpanias, ac per totum ferme Occidentem propagatus eſt. Nullum primis ſæculis fortaſſe habebatur jejunium quatuor Temporum vernum præter integram Quadrageſimam, quæ cum tribus aliis Anni Temporibus quatuor conſtituebat abſtinentiæ Tempora. Sequenti tempore jejunium vernum excogitatum videtur. Hoc priori menſis Martii hebdomadæ, æſtivum vero ſecundæ Junii conjuncta fuere. Gregorio VII. Petri ſedem implente ſtata ac certa horum jejuniorum ſedes ſtabiliri primum cæpit, quæ noſtra etiam ætate ſervatur. Si igitur quarto vulgaris Epochæ ſæculo, aut Romæ ſolum, aut paucis in Urbibus quatuor anni Jejunia uſurpabantur, reſtat, ut fateamur, nihil rei hæc jejunia habere cum *attentioribus* illis, quæ *tribus anni temporibus* colenda eſſe Bachiarius pronunciat. At quænam, inquies, hæc fuere Bachiarii ævo tria tempora jejuniis deſtinata? Hercle difficile eſt demonſtrare; conjecturas tamen meas in hanc rem accipito. Uti Superius ex S. Hieronymo animadvertimus, Monatiſtis in more fuit Quadrageſimas tres annis ſingulis jejunando celebrare. Neque illorum abſtinentia apud Catholicos male audiiſſet, niſi de privata conſuetudine præceptum omnibus commune facere molitus eſſet Montanus. Idcirco ſi damnationis ſententia repulſus eſt, quippe hæc jejunia *ex arbitrio agenda, non ex imperio* cenſebant Catholici, ut ſignificat Tertullianus Montani aſſecla lib. de Jejun. cap. 13. Aliquot poſt Montanum ſæculis pia nonnullorum conſuetudo increbuit, ut quadrageſimæ tres non ex prava Montaniſtarum imitatione ſed ex Chriſtiana pietate colerentur. Ex his jejuniis primum Antepaſchale erat, alterum poſt Pentecoſten, tertium ante Nativitatem Domini. Quare Carolus M. Imperator lib. 6. Capitular. cap. 184. edictum hujuſmodi profert: *Inſuper admoneant Sacerdotes, ut legitima tria jejunia in anno agantur, ideſt* XL. *dies ante Nativitatem Domini, & XL. dies ante Paſcham, ubi decimas anni ſolvimus, & poſt Pentecoſtem* XL. *dies. Quanquam enim nonnulla ex his Canonica priventur auctoritate, nobis tamen omnibus ſimul propter conſuetudinem plebis & parentum noſtrorum Morem hæc obſervare convenit*. Huc etiam reſpexit Amalarius lib. 4. de Eccleſ. Offic. cap. 37. ubi ait: *S. Hieronymus unam Quadrageſimam ponit in Obſervatione, nos obſervamus tres Quadrageſimas, ideſt ante Paſcham Domini circa feſtivitatem S. Joannis, & ante Nativitatem Domini*. Addit tamen: *Sic a piis mentibus frequentatur apud nos*, ut pateat abſtinentiam hujuſmodi non ex imperio, ſed ex arbitrio fuiſſe uſurpatam. Libro etiam 1. cap. 37. recenſitis hujuſce jejuniis contra allatis argumentis occurrit inquiens: *Non ſequimur nos in præſenti jejunio Montanum & ſuos ſectatores, ſed conſideramus peccata noſtra, & pro eis certamus fructus dignos reddere pœnitentiæ*. De his jejuniis præterea meminit Rhabanus Maurus lib. 2. cap. 2. & 21. de Inſtitut. Cleric. Ne vero puta trium jejuniorum uſum ſæculo

dum-

dumtaxat octavo ac nono inter Catholicos viguiſſe, etenim quum Carolus M. ita loquatur : *propter conſuetudinem plebis, & parentum noſtrorum morem hæc obſervare convenit* uti in aperto eſt, ab antiquis temporibus Quadrageſimas tres in Gallias invaluiſſe. Sæculo vero Chriſti ſeptimo S. Egebertus in Hybernia Monaſticæ obſervantiæ reparator, ut refert Bedas lib. 3. cap. 27. Hiſt. Eccleſ. Angl. *in Quadrageſima ſemper non plus quam ſemel in die reficiebatur, non aliud quam panem ac lac tenuiſſimum, & hoc etiam menſura guſtabat &c. Cujus modum continentiæ etiam Quadrageſimæ diebus ante Nativitatem Domini totidem quoque poſt peracta ſolemnia Pentecoſtes, hoc eſt Quinquageſimæ obſervare ſolebat*. Sed neque in hiſce ſubſiſtimus. Concilium Turonenſe ſecundum adeamus Anno 567. celebratum, in cujus Canone 27. iſta leguntur: *De jejuniis vero antiqua a Monachis inſtituta ſerventur, ut poſt Quinquageſimam* (videlicet poſt Pentecoſtem) *tota hebdomade ex aſſe jejunent &c. de Decembri uſque ad Natale Domini jejunent*. Quibus duobus jejuniis ſi Quadrageſimam antepaſchalem adjicias, tria invenies jejunia majori obſervatione digna, quæ deinde aucta trium Quadrageſimarum nomine diſtincta fuere. Fateor, hic uſus ſolis Monachis, & ne his quidem omnibus, eo tempore videtur placuiſſe; atqui ſatis hoc fortaſſe erit, ut Bachiarii ſententia explicetur, illum enim ut in Prolegomenis animadverti, Monachiſmo operam dediſſe probabile eſt. Quod ſi ex adverſo objiciat, tempore quidem Turonenſis Concilii hæc jejunia viguiſſe, non tamen Bachiarii ævo, cujus ætatem ad Seculi quarti finem referendam adnotavi, oppido reponam ego longe ante illius Concilii tempora jejuniis illis Monachos vacaſſe etenim ab eodem Canone *antiqua Monachorum inſtituta* reſtituuntur, Monachos vero, eorumque Cœnobia in Occidentis regionibus ante Bachiarii ætatem floruiſſe, nemo dubitat. Igitur non admodum a veri ſimilitudine abhorret, ad hæc tria, utpote præcipua jejunia reſpexiſſe Bachiarium. Tu pro tua diligentia, atque eruditione omnigena, qua clares, ſingula quæſo perpende, melioremque nactus explicationem, mihi, verbiſque Bachiarii tenebras felicius eripe; ego enim uno voto, ac una prece rem huc uſque longo, ſermone deductam claudo, ut me ames obſequiumque meum boni conſulas. Vale.

FR. JOH. HYACINTHI SBARALEÆ

ORD. MIN. S. FRANC. CONV.

De jejunii quatuor Temporum originè, ac inſtitutore.

DISSERTATIO XII.

I. QUia præterita in quæſtione ſermo factus eſt, & mentio jejunii *quatuor anni temporum*, in quibus potiſſimum ordinationes ſacræ haberi debent, & ſolent; & nos de *Ordine*, ac Ordinatione ſacra paullo ante multa diſſeruimus: haud ab re duxi factum etiam de his temporum intervallis ſcripto mandare, quæ nec omnibus adhuc aut explorata, aut literis aliquando prodita: nec a veritate, ut arbitror, aliena cenſeantur: cum viderim hanc rem non ita diſcuſſam hucuſque fuiſſe; quin aliorum dictis & aliquid addi queat, & aliquid quoque demi. *De jejuniis quatuor Temporum* librum quidem edidit, & ad Trevirenſes miſit Sigebertus Monachus Gemblacenſis, ut ipſe teſtatur in lib. de viris illuſtr., ſed fortaſſis non extat: magnus vero, idemque Eminentiſs. Annalium Eccleſiaſticorum conditor Baronius ſub anno æræ Chriſtianæ LVII. de jejuniis Eccleſiæ verba faciens n. 106. de hoc ipſo *quatuor temporum* ſermonem inſtituit: docuitque ipſum ex inſtitutione *Apoſtolica* in Eccleſiam effluxiſſe, non autem ex *Calliſto Papa*; ut cum Auctore libri Pontificalis alii tradiderunt, idque ſine ulla dubitatione S. Leonem Magnum confirmare: quod & ſenſit Card. Bellarminus lib. de Bonis operibus 2. cap. 19. & poſt illos omnes alii;

ſi unum excipias, quod quidem legerim, Chriſtianum Lupum, qui in Schol. ad Florentinum Victoris II. Papæ Concilium hujus jejunii inſtitutionem a *S. Sylveſtro Papa* originem traxiſſe conjicit, & arbitratur; quem etiam *Sabbatici jejunii* inſtitutorem aſſerere non dubitat. Quorum ergo pronunciata, uti & aliorum quorundam obiter effate, quæ in hanc rem vulgata reperiuntur, in examen vocare conſtitui.

II. Quod ad faciendum, mihi veterrima, naſcentiſque Eccleſiæ priora tempora perſcrutari neceſſe eſt; ut ex priſcis illius moribus id quod certius eſt, hauriri poſſit. Itaque quatuor prima Eccleſiæ Sæcula percurrenti, perquirentique nonniſi duo jejuniorum genera, quæ ab omnibus Chriſtifidelibus ſervarentur, occurrunt *quadrageſimale*, & annum *feriæ quartæ*, & *ſextæ*: de quibus agit memoratus Baronius n. 193., & ſeqq. ex Epiſt. Ignatii Mart., Tertulliano, Irenæo, Clemente Alexandr. & Origene, ex Canonibus Apoſtol. & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ex Petro Alexandrino Mart., Baſilio Magno, Ambroſio, Epiphanio, Teophilo Alexandr., Hieronymo, & Auguſtino: quorum nonnullorum dicta dumtaxat, quæ e re noſtra eſſe noſcuntur, afferam; ut Can. 68. Apoſtol. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor Sanctam Paſchæ Quadrageſimam non jejunat; vel quartam diem, vel paraſceven; præterquam ſi propter imbecillitatem corporalem impediatur; deponatur: ſi ſit autem Laicus, ſegregetur*: & Conſtitutionum Apoſtol. lib. 5. cap. 14. *Dominus nobis præcepit quarta feria, & ſexta jejunare: illa quidem propter proditionem; hac vero propter paſſionem*: ſicut & cap. 19. *Præcipimus vobis quartis, & ſextis feriis jejunare*: nec non Origenis Hom. 10. in Levit. *habemus Quadrageſimæ dies jejuniis conſecratos: habemus quartam & ſextam ſeptimanæ dies quibus ſolemniter jejunamus*: ac Magni Baſilii Orat. 2. de jejunio Qudrageſ. *Jejunium per omne tempus utile eſt his, qui illud ſuſcipiunt..... ſed multo magis hoc tempore, quo per univerſum terrarum orbem undique denunciatur jejunii præconium: nec ulla eſt Inſula, nec terra continens, non civitas &c.*

III. Sic S. Epiphanius hær. 75. loquitur cap. 6. *Quis eſt uſpiam terrarum, qui non in eo conſentiat, quartam, ſextamque feriam ſolemni in Eccleſia jejunio conſecratam? Quod ſi ex Apoſtolorum Conſtitutione repetenda nobis auctoritas eſt; cur illis quartæ, & ſextæ feriæ jejunium perpetua lege ſancitur, excepta Pentecoſte?* Et in Catholicæ fidei Expoſitione cap. 22. *Item quarta, & ſexta feria jejunium ad horam uſque nonam indictum; propterea quod quarta feria comprehenſus eſt Dominus, & ſexta in Crucem ſublatus*. Similiter Auctor Comment. in cap. 4. Epiſtolæ ad Galatas inter opera S. Hieronymi dicit: *Nos quoque ſimile crimen incurrimus quartam Sabbati obſervantes, & Paraſceven, & jejunium Quadrageſimæ* &c. & Abbas Apollo in Lauſiaca Palladii Hiſtoria cap. 52. ait: *Catholica, & generalia jejunia non licet ſolvere ſine ingenti neceſſitate: in quarta enim feria traditur Servator & in Paraſceve crucifigitur: qui ea ergo ſolvit, Servatorem una tradit, & una crucifigit*: quod poſt interpolatum exſcripſit Sæculo X. Atto Vercellenſis Epiſcopus in ſuo Capitulari cap. 70., & XII., Ivo Carnotenſis Antiſtes in Decreto p. 4. cap. 32., nec non Gratianus c. *Jejunia* de Conſecr. d. 3., etſi corrupte ex dictis S. *Apollonii*: ut alios omittam, qui apud alios rerum harum tractatores videri poſſunt; qui & arbitrantur alterum feriarum 4., & 7. *jejunium* penitus exoleviſſe, ſed ego non evanuiſſe, verum immutatum fuiſſe demonſtrabo.

IV. Primum tamen præmittendum eſt Sæculo Eccleſiæ quarto audire cœpiſſe *Sabbati jejunium*; ac in primis ex can. 26. Eliberitani Concilii tametſi ambiguæ apud aliquos intelligentiæ: *Errorem placuit corrigi; ut omni Sabbati die jejuniorum ſuperpoſitionem celebremus*: deinde ex Epiſt. SS. Hieronymi 28. ad Lucinium Bæticum, Auguſtini 86. ad Caſulanum, 19. ad Hieronymum, I. Innocentii I. Papæ ad Decentium Epiſcopum Eugub., & ex Caſſiani lib. 3. de Canonico Diur. Orat., & Pſal. modo cap. 10. ac Collat. XXI. cap. 27. Scribit quidem Hieronymus, *Hippolitum virum diſertiſſimum*, & carptim diverſos Scriptores e variis auctoribus edidiſſe de *Sabbati jejunio*, & de Euchariſtia quotidie ſumenda; ſed cum virum diſertiſſimum ſolummodo, non Martyrem,

non

non Epiſcopum appellet; & cum in lib. de Scriptor. Eccleſ., uti & Euſebius in Hiſt. lib. 6. inter Opuſcula *Mart. Hippoliti* illud de *Sabbati jejunio* non memoret; vereor, ne non idem & unus ſit, uti Baronius, aliique plures opinantur; nam ille *Martyr* floruit ſub initium Sæculi Eccleſiæ tertii; quo tempore hoc Sabbati jejunium nondum invaluiſſe videtur colligi ex illis Tertulliani verbis lib. de jejuniis cap. 14., ubi contra Pſychicos effatur: *cur ſtationibus quartam, & ſextam Sabbati dicamus; & jejuniis paraſceven? quanquam vos etiam Sabbatum, ſi quando continuatis, nunquam niſi in Paſchate jejunandum rationem alibi traditam*: docetque, tantummodo a Catholicis *Paſchale Sabbatum*, quod nempe Paſchatis diem præcedit, jejunio tranſigi: quod ſemper in univerſa Eccleſia obſervatum liquet ex multis iiſque perantiquis diverſorum auctorum monumentis.

V. Scimus Nicolaum I. anno 867. Epiſcopus Galliarum dediſſe 70. Epiſtolam ſuper calumniis Photii, ac dixiſſe: *de jejunio Sabbati tempore S. Sylveſtri Confeſſoris Chriſti ſatis diſcuſſum eſt, & diſputatum; atque ut celebraretur, per omnia definitum: nulluſque poſt hæc auſu temerario contra iſtud ſtatutum venire, aut ſaltem mutire præſumpſit*: quod exſcripſit & Petrus Damiani Epiſt. 39. lib. 6. ad ſuæ Congregationis Eremitas, & in vita S. Romualdi Abbatis: idque videri poteſt deſumtum ex vita, actiſque S. *Sylveſtri Papæ* Euſebio perperam adſcriptis: Ex his profecto Lupus in Scholiis ad can. 55. Trullanum exiſtimavit, Sylveſtrum Papam primum *Sabbati jejunium* inſtituiſſe. Verum quis non dubium vocaverit vitam, actuſque illos; aut potius falſitatis non poſtulaverit: quando nedum Hieronymum, & Auguſtinum latuerunt, ſed & Innocentium I. non longe a Sylveſtri ætate ſcribentes? quando non ſolum definitioni, ſtatutoque Sylveſtri non obtemperarunt plerique, verum etiam oppoſitum ſibi probari dixerunt; ut Auguſtino, qui ad Caſulanum Presbyterum reſcripſit: *ſentio ad ſignificandam requiem ſempiternam, ubi eſt verum Sabbatum, relaxationem, quam conſtrictionem jejunii aptius convenire*. Simeon plane Metaphraſtes, qui paulo poſt Nicolaum I. florebat, in vita S. Sylveſtri Papæ contrarium literis tradidit; ſcilicet decreviſſe eum, *ne jejunaretur Sabbatis* excepto uno, quo Chriſtus in ſepulchro fuit: & etiam S. Nilus junior Calaber negavit ſe credere S. Sylveſtrum *Sabbati jejunium* præcepiſſe; ut Auctor ejus vitæ apud Baronium habet ad ann. 980. num. 8.

VI. Quinimmo Sæculo XII. Jo: Beleth Divin. Offic. Explic. cap. 78., & in ſequenti Durandus Mimatenſis Epiſcopus lib. 6. cap. 24. tradiderunt *Melchiadem Papam, & Sylveſtrum* ejus ſucceſſorem ſtatuiſſe; *ut bis quoque Sabbato comederetur*: & inde *in redemptione Sabbatorum* ortum habuiſſe *Sexageſimam*. Hinc neque libri Pontificalis Auctor antiquus, neque Iſidorus Mercator, vel quis alius Decretalium Epiſt. Pontificum Rom. confictor tale commentum Sylveſtro legitur affixiſſe; ſed locus conjecturæ eſt; Auctorem illum vitæ S. Sylveſtri PP., qui paulo ante Nicolai I. tempora ſcripſiſſe videtur, memoria lapſum pro *Innocentio* I., de quo Libri Pontificalis Auctor habet: *hic conſtituit Sabbato jejunium celebrari, quia Sabbato Dominus in ſepulchro poſitus eſt, & Diſcipuli jejunarunt*. *Sylveſtrum* I. poſuiſſe. Sed quoquo modo incœperit hoc *Sabbati* jejunium, (cum non defuerint, qui ipſum etiam Hæreſiarchæ *Montano* attribuerint): illud eſt quidem certum, extitiſſe non univerſale; at *exceptis Romanis, & adhuc paucis Occidentalibus* a nemine ſervatum fuiſſe, inquit S. Auguſtinus Epiſt. 86. ad Caſulanum: qui & Epiſt. 19. ad Hieronymum inquirit, *tot Eccleſias Orientis, & multo majorem orbis partem qua temeritate criminabimus jejunium Sabbati* non tenentem? Certe S. Iſidorus Hiſpalen. lib. 1. de Divin. Offic. cap. 22. *Sabbati* die prodit jejunari tantum a *pleriſque* nimirum in Hiſpania, ac Occidente: & Conventus Aquiſgranen. an. 817. c. 77. ſtatuit: *ut Fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, excepta ſexta feria, & diebus octo ante Natale Domini, & a quinquageſima uſque ad Paſcha*: igitur Monachi *Sabbato* non jejunabant ſemper, quod confirmat idem Auguſtinus Epiſt. 86. illis verbis: *ſi & quater, vel etiam ut nullus dierum excepto Sabbato, & Dominico prætermittatur: in hebdomade quinquies jejunetur: quod multi in vita ſua faciunt maxime in Monaſteriis conſtituti &c.*

VII. Cum *igitur ultra* quartum Eccleſiæ Sæculum nonniſi duo jejuniorum genera obtinuerint, reperianturque. *Quadrageſimæ* unum, alterum vero *feriarum quartæ, ſextæque*, quæ ubique, ac ſemper ab omni Eccleſia tum Orientali, tum Occidentali obſervabantur: cumque primum ex S. Leonis I. Pontificis, qui ab anno 440. ad an. uſque 461. regimen Eccleſiæ Romanæ tenuit, ſermonibus *quatuor temporum* jejunium nobis innoteſcat maxime ex 8. Sermone decimi menſis, dum inquit; *ſiquidem jejunium vernum in Quadrageſima, æſtivum in Pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hyemale in hoc, qui eſt decimus, celebramus*: nec amplius in Eccleſia Latina, potiſſimumque Romana legatur obſervatum *feriarum* 4. & 6. jejunium hebdomaticum, ſed trimeſtre hoc, quod in Occidentali, Latinaque ſolum in Eccleſia conſtat obtinuiſſe, nunquam vero in Græca, Orientalique: perſpicue quoque conſtare poterit, *quatuor temporum* jejunium & paullo ante Magni Leonis tempus, ac Pontificatum initium habuiſſe ab Romanæ Eccleſiæ Pontifice; &, ut conjectura aſſequi poteſt a *S. Cæleſtino* I., qui biduum jejunium hebdomaticum, ſeu feriarum *quartæ*, & *ſextæ* cujuſcumque hebdomadis præter Pentecoſten convertit in biduum trimeſtre, ſive ut ſingulis tribus menſibus feria *quarta*, & *ſexta* jejunaretur.

VIII. Etenim, cum Auctor libri Pontificalis in *Calliſto* 1. habeat: *hic conſtituit jejunium ter in anno fieri frumenti, vini, & olei gratia ſecundum prophetiam*: & ex hucuſque dictis appareat Calliſto Papæ ejuſmodi conſtitutum convenire non poſſe; quod antiquorum nemo, qui de jejuniis Eccleſiæ ſcripſerit, hujus jejunii uſque ad tempora S. Leonis Papæ mentionem faciat: conjectare licet pro *Cæleſtino* Calliſti nomen obrepſiſſe quemadmodum non ſemel in hoc ſimilibuſque fieri uſu evenit: ſic namque c. *Nullus Primas* 9. q. 2. a Gratiano tribuitur & a *Calliſto*, & *Cæleſtino PP.*, & in Conciliorum Collection. extat in Epiſt. 2. *Calliſti* 1., & etiam inter *Cæleſtini* 1. decreta: & ſane memoratus libri Pontificalis Auctor ſcribit, Cæleſtinum 1. *multa conſtituta* feciſſe. Nec eſt, quod quis adducat antiquius *Chronicon* Rom. Pontificum, quod in Felice III. cel. IV. definit, utpote Calliſto 1. idipſum tribuens, inquienſque ſanxiſſe eum, *jejunium die Sabbati ter in anno fieri*: quandoquidem ab antiquiori illo liquet Auctorem libri Pontificalis ſolitum exſcribere, interpolare, & ipſum etiam adaugere. Præterea S. Leo Papa Serm. IX. de jejunio *ſeptimi menſis* inquit: *quod enim dudum & traditio decrevit, & conſuetudo firmavit; nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit*: igitur ſi *dudum* dicitur teſte Laurentio Valla de exiguo tempore, ac de eo, quod paullo ante factum eſt; manifeſtum ſit quoque jejunium 4. *Temporum* paullo ante Leonis 1. Pontificatum exordium habuiſſe. Hujus autem immutationis, imminutioniſque jejunii cauſſa fuiſſe potuit ea, quam Jo: Caſſianus Collact. XXI. cap. 30. de cauſſa, initioque *Quadrageſimæ* retulit his verbis: *Cum ab illa Apoſtolica devotione deſciſcens quotidie credentium multitudo ſuis opibus incubaret, ne eas uſui cunctorum fidelium ſecundum Apoſtolorum inſtituta divideret; ſed privatim impendiis ſuis conſulens non ſervare tantum, ſed etiam augere contenderet .... : id tunc univerſis Sacerdotibus placuit, ut homines curis ſecularibus illigatos .... ad opus ſanctum canonica jejuniorum indictione revocarent; & velut legalium decimarum neceſſitate compelleret.*

IX. Erit tamen, qui quærat; quandoquidem dictum eſt, biduum jejunium, quod olim *hebdomaticum* erat, *trimeſtre* nunc haberi; an primitus jejunium hoc *trium* temporum anni, vel *quatuor* extiterit: ſive an tribus, vel quatuor trimeſtribus abſolveretur in anno; idque propterea quod Liber Pontificalis de Calliſto 1. tradit: *hic conſtituit jejunium ter in anno fieri &c.*, & quanquam aliqui legendum, dixerint, legantque, *quater in anno*; eſt tamen id contra vetuſtiſſimos codices, cum & antiquius chronicon, quod numero præcedenti productum eſt, ipſum etiam habeat: *ter in anno*: ſed & Epiſtola 1. eidem Calliſto 1. ſuppoſita nonne refert: *jejunium, quod ter in anno apud nos celebrare didiciſti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus*? erat igitur antea jejunium *trium* temporum, cui Calliſtus *quartum* intervallum addidit; uti ſentit ſupra memoratus Bellarminus quippe qui prædictæ Epiſtolæ fidem adhibuit. Et licet his, quæ attulimus, Chronicis Rom. Pontificum

ſicum, ac Pontificiæ Epiſtolæ nunc plures non credant, naucique faciant eruditi; noſque diximus, *Calliſto* I. id jejunii genus adſcribi non poſſe: tamen inſtitutori primo, quem autumavi Cæleſtinum I. adjudicari poſſent *tria* temporum intervalla; & *quartum* alteri Pontifici, ſupple *Gelaſio* I. Certe Leo Magnus præter jejunium *Quadrageſimale tria* tantum celebrat ſermonibus *jejunia Pentecoſtes, ſeptimi, & decimi menſis*; non autem illud *primi menſis*, quod erat alterum 4. temporum intervallum. At incidit, miſceturque cum jejunio *Quadrageſimæ*: ita quidem; utriuſque tamen mentio fieri poterat, uti modo fieri conſuevit.

X. Deinde Gelaſius I. Papa Epiſt. ad Brundufinos, quibus Julianum Epiſcopum conſtituit, & in *Conſtituto* pro Epiſcopo inter alia illi præcepiſſe ſcribit: *ut jejunio quarti, ſeptimi, & decimi menſis veſpere Sabbati Presbyteros, atque Diaconos ordinandos eſſe cognoſcat*: en jejunium *trium Temporum* anni. Poſtmodum anno 494. Epiſtolam IX. dedit Epiſcopis Lucaniæ, Brutiorum, & Siciliæ, qua n. I. ſignificat, *ſe canonum paternorum decreta librare, & retro Præſulum, deceſſorumque* ſuorum *præcepta metiri*; quæ tamen neceſſitate temporum temperari poſtulabant; præſertim *in reparandis militiæ Clericalis officiis, quæ per diverſas Italiæ partes ita belli, famiſque conſumpſit incurſio; ut in multis Eccleſiis uſquequaquè deficiente ſervitio Miniſtrorum, niſi remittendo pauliſper Eccleſiaſticis promotionibus antiquitus, intervalla præfixa remaneant ſacris Ordinibus Eccleſiæ funditus deſtitutæ &c.* mox n. 2. ſubdit: *Priſcis igitur pro ſui reverentia manentibus conſtitutis .... tam inſtituendi, quam promovendi Clericalis obſequii ſic ſpatia diſpenſanda concedimus &c.* tum n. II. *ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum niſi certis temporibus, & diebus exerceri non debent, id eſt quarti menſis jejunio ſeptimi, & decimi; ſed etiam Quadrageſimalis initii, ac medianæ hebdomadæ die Sabbati jejunio circa veſperam noverit celebrandas: en quartum* 4. Temporum intervallum, nempe *Quadrageſimalis initii*, quo & jejunium 4. Temporum celebratur, a S. *Gelaſio PP.* additum ſaltem pro ſacris Ordinationibus. Quod quidem etſi, (ut & hoc fatear) non multum cogit, nec ſatis probat; locum tamen conjecturæ præbet.

XI. Alterum igitur inquiri poteſt; an olim tridui jejunium, uti nunc fit, an vero *bidui* tantummodo ſingulis haberetur trimeſtribus; nam S. Leo I. in omnibus fere ſermonibus jejunii *trium* temporum *Pentecoſtes, ſeptimi decimique* menſis hanc clauſulam adhibere ſolet: *Quarta igitur, & ſexta feria jejunemus; Sabbato autem apud B. Petrum Apoſtolum vigilias celebremus* &c. non ergo *Sabbato* jejunabatur; ſed *vigilia* fieri conſueverat; cui poſt plures annos ob quædam, quæ minus decenter patrabantur, antiquatæ, ſublatæque *jejunium* eſt ſubrogatum. At dicat aliquis: quomodo iſthæc erant, ſi Socrates lib. 5. cap. 21. affirmat: *Romæ ſingulis Sabbatis* jejunari: & Innocentius I. Epiſt. I. ad Decentium Epiſcopum *Sabbato* jejunandum eſſe? ita ſane; ſed etiam ille ipſe Socrates eodem loco perhibet: *qui Romæ ſunt, tres continuas hebdomadas ante Paſcha exceptis Sabbato, & Dominico die jejunant*: quod, ut ſolet, exſcripſit Nicephorus Calliſti lib. 12. cap. 34., & iſta nihilominus mihi ſecum pugnare minime videntur: quoniam erat, & jejunium Apoſtolicæ *traditionis*, & jejunium *liberæ*, obſervationis; illud quartæ, ſextæque feriarum traditionis erat; alterum vero Sabbati libertatis; illud antiquum, univerſale, ac omnium Eccleſiarum; iſtud vero novum, particulare, ac Romæ tantum, paucarumque Occidentis gentium: propterea S. Leo commemorat, prædicatque *traditionis* jejunium veluti commune, atque præceptum; non illud *libertatis*: & Socrates primo loco loquitur de jejunio *liberæ* obſervationis; ſecundo autem loco de illo *traditionis*: quod ego non ambigo, quin Quadrageſimali tempore etiam Romæ nec ſemper, nec ab omnibus obſervaretur; cum S. Auguſtinus Epiſt. 86. dicat de *Sabbati* jejunio; *quod frequenter Romana plebs facit*: *frequenter* autem non eſt idem ac ſemper; & *plebs* non tota Civitas, ſed pars, & quidem infima civitatis agnoſcitur.

XII. Cæterum idem Leo Magnus aliquando, & a nonnullis, iiſque potiſſimum, qui Clero nomen dederunt, *Sabbati* jejunium agi confitetur; uti quum Epiſt. II. al. 81. ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum præſcribit: *ordinationem*

nem Sacerdotalem , vel Leviticam poſt diem Sabbati ejus noctis , quæ in prima Sabbati (ideſt die Dominica) *luceſcit ; cui a veſpera Sabbati initium conſtat* (*adſcribi* , celebrari ſolitam a Patribus ; *in quibus bis , qui conſecrandi ſunt jejuniis & jejunantibus ſacra benedictio conferatur* . At id non ſemper , nec ab omnibus peractum , elicitur ex c. *De eſu carnium* d. 3. de conſecratione , ubi hoc *Leonis IV.* decretum refertur : *De eſu carnium apud nos vetuſtiſſima , & non improbanda traditio ſemper eſt tenenda ; ut a cœnæ termino , quæ fit in principio noctis quartæ feriæ , quæ luceſcit in quarta feria uſque in diluculum quintæ feriæ , & ſimiliter a cœna noctis ſextæ feriæ , quæ luceſcit in ſexta feria , non imperite jejunatio uſque ad Sabbati lucem ; quantum de diei parte aliquis jejunare maluerit , vel debuerit ; protendatur :* & licet Gratianus id tribuat *Leoni IV.* , ex ſtylo tamen , & argumento evincitur eſſe *Leonis M.* , & notam hanc M. a Scribis imperite , & oſcitanter verſam eſſe in numeri IIII., vel IV. notam . Neque enim Leonis IV. temporibus jejunium , *feriæ quartæ* , *& ſextæ* uſitatæ traditionis , ac conſuetudinis erat ; ſed nec Leonis M. ætate : cum , quemadmodum oſtenſum eſt , tranſmutatum antea fuiſſet in jejunium trium , vel 4. *temporum* ; quod hoc loco deſcribi videtur a S. Leone , & quidem *bidui* , non autem *tridui* jejunium ; ideoque *Sabbato* minime jejunium Romæ fuiſſe traditionis , ſed libertatis ; ut numero præterito explicavi.

XIII. Quare quod idem Leo Magnus in fine Sermonis 4. *Quadrageſimalis* jejunii appoſuerit, ſive legatur ibi : *ſecunda igitur , & quarta , & ſexta feria jejunemus : Sabbato autem apud B. Petrum Apoſtolum vigilias celebremus* &c. quamvis in pluribus antiquis Codd. Mss. non haberi dicat *Queſnellus* diſſert. IV. *de jejunio Sabbati* : non ſatis tamen diſpicio , cur verum eſſe queat , & quod ibi in vulgatis habetur ; & quod de Quadrageſimali jejunio Romanorum aſſerit ſupra n. 11. relatus Socrates ; cum & iſte Scriptor , & Sozomenus eodem tempore ſcribentes probe conveniunt de varia *jejunii Quadrageſimalis* in diverſis Regionibus conſuetudine . Nec video , cur Romæ jejunium Quadrageſimæ , quod alibi varium erat , *ibi* quoque interdum variari nequiverit : & tres continuas ante Paſcha hebdomadas exceptis Sabbatis , Dominicisque diebus jejunari ; alias vero hebdomadas intermiſſe *ſecunda* , *quarta* , *& ſexta* feria tantum jejunio tranſigi ſecundum id , quod ait Sozomenus lib. 7. cap. 15. *alii ſparſim tres* (dies) *intra ſex , aut ſeptem iſtas* (hebdomadas) *jejunant* . Nam & in Sermone 34. de *Quadrageſima* inter Opera S. Ambroſii, eſtque 65. Sermo S. Cæſariis Arelaten. Epiſcopi , qui initio Sæculi VI. ſedebat , legimus : *Audio complures , quod gravius eſt , fideles alternis in Quadrageſima hebdomadis abſtinere ; & conſecratum illum dierum numerum gula intemperanti violare, hoc eſt, prandere ſeptem dierum curriculo ; & ſeptem dierum ſpatio jejunare* : quapropter & multo magis alternis hebdomadæ diebus idipſum evenire poterat ſecundum aut locorum , aut perſonarum , temporumque neceſſitatem etiam Romæ.

XIV. Quam quidem in rem commemorare præſtat varium *Quadrageſimalis* jejunii modum antiquorum in *Quadrageſima* , *Quinquageſima* , *Sexageſima* , & *Septuageſima* . Porro Quadrageſimæ ſex hebdomadibus concluſæ meminit Caſſianus ante an. 429. ſcribens Collat. XXI. cap. 27. his verbis : *hi enim ſex hebdomadarum obſervantiam præfixerunt , qui putant die quoque Sabbati jejunandum* : meminit & Quinquageſimæ ſeptem hebdomadibus conſtatæ cap. 28. , & cap. 24. ac 25. de varia *Quadrageſimæ* obſervatione . Sed adductus paullo ante Sermo 34. S. Cæſarii Arelaten. Epiſcopi hæc habet : *Nonnulli Chriſtianorum fratres exiſtimantes ſe Divinitatis præcepta religioſius obſervare prætermiſſa devotione Quadrageſimæ , cujus hodie curamus exordium , Quinquageſimam ſe facere mentiuntur : cum id neque Divinis literis jubeatur ; neque traditum ſit auctoritate majorum . Sola igitur hoc faciunt animi præſumptione ; & dum putant ſe devotius agere , ſuperſtitioſius converſantur . Dicit ſe obſervare Quinquageſimam , qui forte Quadrageſimam implere vix poſſit* . Etiam Aurelianenſe I. Concilium anno 541. can. 26. inquit : *id a Sacerdotibus omnibus eſt decretum ; ut ante Paſchæ ſolemnitatem non Quinquageſima , ſed Quadrageſima teneatur* : uti & Aurelianenſe IV. an. 541. can. 2. *Hoc etiam decernimus obſervandum : ut Quadrageſima ab omnibus Eccleſiis æqualiter teneatur ; ne-*

que

Digitized by Google

que Quinquageſimam, aut Sexageſimam ante Paſcha quilibet Sacerdos præſumat indicere: ſed neque per Sabbata abſque infirmitate quiſpiam ſolvat Quadrageſimæ jejunium; niſi tantum die Dominico prandeat &c.

XV. Quæ auctoritates plane decreta, ut volunt, & *Teleſphori*, *&* *Melchiadis* Papæ de *Quinquageſima*, *Sexageſimaque* explodere videntur: etſi illud *Teleſphori* firmari poſſit Sermone de *Dominica Sexageſimæ* inter Ambroſianos, qui a nonnullis S. Cæſario ſupramemorato contribuitur; referturque c. *Quadrageſima* d. 4. per Gratianum; *Quadrageſima ſex ſeptimanas habet; cui addidit Teleſphorus Pontifex ſeptimam hebdomadum; & vocatum eſt hoc tempus Quinquageſima* &c., ſed cum hæc verba pugnet cum 34. Sermone proximo numero relato; nequit hic Sermo S. Cæſario adſcribi; ſi quidem alter ejus eſt. Deinde c. *Denique Sacerdotes* eadem d. 4., quod fertur eſſe *B. Gregorii* Auguſtino Anglorum Epiſcopo ſcribentis; jubet Clericos jejunium a *Quinquageſima* inchoare, ut hoc etiam Laicos præcellant, nulla *Teleſphori* mentione facta. Et ſane chronicon Euſebii, ſive verborum adjunctor in ejus chronicon id ſolum habet, ſanxiſſe eum *jejunium Quadrageſimale*. Auctor vero libri Pontificalis adjecit, ſtatuiſſe ſeptem *hebdomadibus* jejunium Quadrageſimale fieri; & alter Epiſtolæ 1. ipſi Teleſphoro adjudicatæ confictor pro ſolis *Clericis* ſeptem *hebdomadas plenas* conſtituiſſe dicit: antiquus etiam Ordo Romanus, & Amalarius Metenſis lib. de *Eccleſiaſticis Officiis* inter opera Alcuini Teleſphoro Papæ affingunt *Quinquageſimæ* inſtitutionem pro *Clericis*; aliique poſt iſtos: cum potius *Gregorio* M. videatur adſcribenda ex his, quæ proxime dicta ſunt: quanquam *Clericorum* Quinquageſima alia erat ab illa univerſæ Eccleſiæ; illa 36. dies jejunii continebat; iſta 43., nam in illa & *Sabbati*, & *Dominici*, in iſta vero *Dominici* tantum dies ſubtrahebantur a jejunio: & hoc Clerici Laicos etiam præcellebant longiori nempe jejunio.

XVI. Item *Sexageſimæ* non ſolum Aurelianenſe IV. Concilium paullo ante commemoratum mentionem facit; ſed & antea S. Hieronymus Epiſt. 28. ad Lucinium inquiens: *Nec hoc dico quod Dominicis diebus jejunandum putem: & contextas ſexaginta diebus ferias auferam*; etſi Maurini Monachi *quinquaginta diebus* legant, nulla variantis lectionis mentione facta; ferturque inſtitutio *Miltiadis Papæ*, de quo Pontificalis libri Scriptor habet: *Hic conſtituit, ne ulla ratione die Dominica, aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret: quia eos dies Pagani quaſi ſacrum jejunium celebrabant: Sabbatum* omittitur, ut puto; de quo nulla erat cum *Paganis* in jejunio conventio: nam eo die non jejunabatur in *ſexageſima*. Siquidem & Joannes Beleth Pariſienſis in Explicat. Divin. Offic. cap. 78., & Durandus Mimatenſis Epiſcopus Ration. Divin. Offic. lib. 6. cap. 24. ſcripto tradiderunt, *Melchiadem Papam*, nec non S. Sylveſtrum decreviſſe; *ut his quoque Sabbato comederetur*; quod eſt ne jejunaretur; & exinde in *redemptionem Sabbatorum* exortam eſſe *Sexageſimam*; qui quidem Durandus addit, a *Sexageſima* Græcos incboare Quadrageſimale jejunium; alia tamen ratione, ac modo id agunt Græci, & Orientales, atque Latini olim Sexageſimam. Duranti porro verba ſunt: *Regulares incipiunt jejunare a Septuageſima; Græci a Sexageſima; Clerici a Quinquageſima; tota militia Chriſtiana a Quadrageſima additis quatuor diebus hebdomadæ præcedentis*: ita ſuo tempore. Auctor etiam, quem dixi, libri de *Eccleſiaſticis Officiis*. Amalarius IX. Sæculo ſcribens *Sexageſimæ* inſtitutionem *Melchiadi Papæ* attribuere videtur; ſed alia de cauſa, ac velint Jo: Beleth, & Gulielmus Duranti; quos adire quiſque poterit.

XVII. *Septuageſimæ* demum nominatio mihi primum occurrit (ut omittam quorundam Orientalium, ſeu Armenorum *Septuageſimam*. Dictam) ex epiſtola Caroli Magni ad Alcuinum Flaccum ſcribentis: *Septuageſima, ut æſtimamus, propterea ab aliquibus obſervatur; ut & decimas dierum Domino dare queunt; et prima, vel quinta, nec non eſt ſeptima feria jejunium ſolvere poſſint. A Septuageſima uſque ad Paſcha ſunt novem hebdomadæ, quæ faciunt dies ſexaginta quatuor: e quibus ſi de unaquaque hebdomada tres præfatos ſubtraxeris dies, & Paſchalem ſacratiſſimum: triginta ſex in obſervantia remanent dies*: quod ipſum habet & incerti Auctoris *Sermo*, quem ſupra retuli, de *ſexageſima* inter

inter Ambroſianos publicatus. Mihi tamen maxime probatur, quemadmodum a Quadrageſima *Dominicæ* dies tantum ſubtrahuntur; & a quinquageſima *Dominicæ*, & *Sabbata*, teſte laudato paullo ſuperius Caſſiano: ita e Sexageſima tres dies *Dominicæ Sabbata*, & *quintæ feriæ* ſubtraherentur, et e ſeptuageſima quatuor dies; & tres dumtaxat feriæ *ſecunda*, *quarta*, & *ſexta* jejunio addicerentur, qui jejunandi mos viguit olim etiam in Gallia, cum in Turonenſi II. Concilio an. 567. can. 17. dicatur: *De jejuniis vero antiqua a Monachis inſtituta ſerventur... Poſt Epiphania vero uſque ad Quadrageſimam ter in ſeptimana jejunent*: & ad alia anni tempora translatus fuerit jam antea a S. Perpetuo Turonenſi Epiſcopo, de quo Gregorius Turonen. lib. 10. cap. 31. prodit a S. *Martini* depoſitione uſque ad Natalem Domini *terna in hebdomada* inſtituiſſe *jejunia*; quod poſtmodum Concilium Matiſconenſe I. anno 581. innovavit can. 9. decernens: *Ut a feria S. Martini uſque ad Natale Domini ſecunda, quarta, & ſexta Sabbati jejunetur; & ſacrificia quadrageſimali debeant ordine celebrari*.

XVIII. Idque eſt, quod exhibet Sermo 4. *Quadrageſimalis* jejunii a S. Leone Papa ſub initium jejunii recitatus, & ſupra n. 13. productus: ſuſpicarique licet, id temporis Romanos Quadrageſimale jejunium a *Septuageſima*, non quæ hodie hoc nomine venit hebdomada; ſed a ſeptuageſima die ante Paſcha, ſive ab hebdomada ante hodiernam *Septugeſimam* incœpiſſe: & ſeptem hebdomadibus tres dies 2. 4. & 6. ferias quaque hebdomada jejunaſſe; reliquis vero tribus hebdomadibus ante Paſcha quacunque die, exceptis *Sabbato*, & *Dominico*, jejunium peregiſſe: atque ita 36. *dies* uti decimam totius anni Deo debitam jejunio perſolviſſe: ut eſt a Caſſiano Collat. 21. cap. 27., & a Gregorio Magno hom. 16. in Evang. obſervatum. Nam prædictus Caſſianus affirmat, tam qui ſex hebdomadas, ſeu Quadrageſimam; quam qui ſeptem, ſive quinquageſimam jejunabant, ſolos 36. jejunio tranſegiſſe dies; quod illi *Dominicas* tantum; iſti *Dominicas*, & *Sabbata* detraherent: concluditque cap. 28. *una ergo, quemadmodum diximus, ratio, idemque eſt jejuniorum modus; licet in hebdomadarum numero diſcrepare videatur*. Non igitur improbanda videtur Socratis adducta n. 11. lectio, cum poſſit eſſe vera: ſicut & altera Sozomeni, quam Queſnellus, aliique contra proferre ſolent; quum ille lib. 7. cap. 19. aſſeruit: *in urbe Roma nec Epiſcopus, nec alius quiſquam in Eccleſia populum docet*: propterea quod Hiſtoriam ſuam cum Scriptor iſte perduxerit uſque ad annum 439., quo & vivebat, ſcribebatque; & S. *Leo Papa* anno 440. ſedere cœperit: veriſimile eſt, ipſum fuiſſe Romanorum Pontificum primum, qui *Sermones* orſus ſit habere in Eccleſia: & ſane nullius Rom. Antiſtitum ante eum Sermones habemus; cum tamen quorundam habeamus et Epiſtolas, & Decreta, & Carmina. Sic etiam *Alexandrinus* Epiſcopus Sæculo præcedenti ſolum in Eccleſia ſermocinari cœpit, ex quo Arius falſa dogmata ſpargere tentavit, eodem Sozomeno teſte.

XIX. Objicient tamen adverſus ea, quæ dicta ſunt n. 7. Sæculo Eccleſiæ V. *quatuor temporum* conſtituto jejunio non ultra Latina in Eccleſia obſervatum inveniri hebdomaticum jejunium *quartæ*, & *ſextæ feriæ*. Nam Ferrandus Diaconus Carthagin. cap. 29. vitæ S. Fulgentii Epiſcopi Ruſpenſis, qui initio Sæculi VI. ſedebat, inquit: *Fulgentius per ſingulas ſeptimanas omnes Clericos & viduas, & quicunque potuiſſet ex Laicis, quarta & ſexta feria ſtatuit jejunare*; & in ſequenti Sæculo S. Aidanus Epiſcopus Lindisfarnen. Ejuſdem jejunii conſuetudinem in Angliam Saxonicam introduxit; uti ſcribit Beda lib. 3. cap. 5. Sed & in Conventus Aquiſgranenſis anno 817. pro Monachis habitus c. 18. ſtatuit: *Ut quarta, & ſexta feria jejunantes ante nonam, aut poſt nonam, ſi neceſſitas fuerit, juxta Prioris arbitrium levia opera exerceant*: præter Attonem Vercellen. & Ironem Carnoten. Epiſcopos, atque Gratianum Monachum ſupra n. 3. recitatos, qui hujuſce jejunii genus admittunt.

Reſpondetur, quoſdam quidem uti SS. Fulgentium, & Aidanum tentaſſe veterem, & antiquatum jejunii bidui *feriæ* 4. & 6. revocare morem, ejuſque uſum reſtituere; ſed parum obtinuiſſe; cum S. Iſidorus Hiſpalen. Epiſcopus lib. 1. Divin. Offic. cap. 42. teſtetur: *omnis ſexta feria propter paſſionem Domini a quibuſdam jejunatur: ſed & Sabbati dies a pleriſque;*

nul-

nulla quartæ feriæ mentionem facta; et Nicolaus I. in reſcripto ad Bulgarorum conſulta c. 4. & 5. jejunia Eccleſiæ recenſens *feriæ ſextæ* quidem prædicet abſtinentiam, ac jejunium; ſed illud *feriæ quartæ* liberum eſſe dicat. Quoſdam vero uti Monachos devotionis, potius gratia jejunaſſe, quam traditionis, aut præcepti. Alios tandem ut Attonem, Ivenem, & Gratianum aliorum dicta referre magis, quam propria ſtatuere, ut n. 3. viſum eſt.

XX. Objicient etiam contra id, quod n. 7. & 8. eſt conſtitutum; 4. *Temporum* jejunium eſſe non poſſe a Cæleſtino I. Papa: ſi quidem & Baronius, & Bellarminus, aliique fere omnes iſtud affirmant eſſe *inſtitutionis Apoſtolicæ*; idque perſpicue doceri a Magno Leone Serm. 9. 13. & 71., quorum in primo *decimi menſis* jejunium vocat tempus *Apoſtolicis traditionibus conſecratum*: & in altero dicit: *Sancti Patres noſtri divinitus inſpirati decimi menſis ſanxerunt jejunium*: in ultimo vero de jejunio *Pentecoſtes* ait ipſum *ex Apoſtolica traditione* ſubſequi: igitur non a Calliſto, ut veteres; neque a Cæleſtino PP., ut nos contendimus, jejunium iſtud prodit.

Reſpondet P. Lupus in Schol. ad Concilium Florentinum Victoris II., ex ipſomet Leone M. intelligi, quid velit S. Pontifex illis verbis, dum Sermone 42., qui eſt 2. de jejunio Pentecoſtes, inquit: *dubitandum non eſt, omnem obſervantiam Chriſtianam eruditionis eſſe divinæ; & quicquid ab Eccleſia in conſuetudinem eſt devotionis receptum, de traditione Apoſtolica, & de S. Spiritus prodire doctrina*: uti & Serm. 76., proindeque Leonem diſtinguere jejunium, & dies fixos ſtatoſque; illud aſſerere traditionem Apoſtolicam; hos vero manentem inde Eccleſiarum conſuetudinem. Deinde eſt ſupra n. 7. oſtenſum jejunium 4. *Temporum* idem eſſe atque illud vetuſtiſſimum feriarum *quartæ & ſextæ* niſi quod biduum illud ſingularum hebdomadarum dempta Pentecoſte verſum eſt in biduum ſingulis trimeſtribus faciendum: illud *Apoſtolicæ* quidem *traditionis* erat, & de illo verba facit S. Leo; ſed iſtud eſt inſtitutionis Apoſtolicæ ſedis Antiſtitis, nempe *Cæleſtini* I., uti jam dictum eſt.

XXI. Objicient iterum ex Baronio ſub an. Chriſti 57. an. 207. aſſerente, 4. *Temporum* jejunia celebrari jam conſueviſſe IV. Eccleſiæ Seculo in Orientali Eccleſia; idque demonſtrari ex verbis S. Athanaſii in Apologia de fuga ſua; dum de æſtivo jejunio Pentecoſtes fieri ſolito commeminit ille dicens: in *hebdomade ſiquidem poſt ſacram Pentecoſtem populus completis jejuniis ad orandum ad cœmeterium abiit*: ergo non a *Cæleſtino I.*, qui multo poſt Eccleſiam rexit, jejunium hoc exordium habere potuit.

Reſpondetur, S. Athanaſium Alexandrinum Præſulem non loqui de 4. *Temporum* jejunio; ſed de antiquiori illo, ac primitivæ Eccleſiæ vetuſtiſſimo *feriarum quartæ, & ſextæ* cujuslibet hebdomadis a Pentecoſte; qua peracta, (tempore cujus intervalli jejunare non oportebat) populus ad conſuetum bidui jejunium redibat; & ſingulis hebdomadibus peragebat. De quo ſimiliter ſermonem habere dicendum eſt Evangeliſtam Lucam Act. c. 27., quum ait: *jejunium jam præterierat* hyemali tempore: uti & Tertullianum lib. contra Phyſicos cap. 13., non autem de illo 4. anni Temporum; quando ſcripſit: *aſpice Judaicos Faſtos, & invenies nihil novum; ſi quæ ſunt præcepta, omnis deinceps poſteritas hæreditaria religione cuſtodit*: cum potius ille videatur indicare illud Lucæ cap. 18. *jejuno bis in Sabbato*, ideſt in hebdomada: quandoquidem eo in libro ſæpe ſæpius commemorat jejunium *quartæ, & ſextæ feriæ*; at nunquam illud *quatuor temporum*.

XXII. Objici quoque poteſt contra id, quod eſt n. 18. dictum; conjici nimirum poſſe, Romanos Leonis I. temporibus jejunium quadrageſimale exorſos eſſe a *Septuageſima &c.* nam Sozomenus, qui eodem tempore, quo S. Leo M. florebat, lib. 7. cap. 17. hæc habet: *Quadrageſimam, in qua populus jejunat, alii in ſexdierum ſeptimanis computant, ut Illyrii, & qui ad Occidentem ſunt, nec non & univerſa Lybia, & Ægyptus cum Paleſtina: alii in ſeptem, ut Conſtantinopolitani, & Nationes circumjacentes uſque ad Phœnices &c.* Romani autem ad Occidentem ſunt poſiti comparate ad locum, ubi Sozomenus morabatur: igitur *non a Septuageſima* jejunium Quadrageſimale inchoabant, ſed a *Quadrageſima* ſex hebdomadarum.

Digitized by Google

Reſpondetur, partim verum eſſe, quod tradit Sozomenus; partim vero falſum: verum quidem in Occidente multos jejunium Quadrageſimale in *ſex dierum hebdomadibus* computaſſe; ſed falſum, omnes idipſum præſtitiſſe: in ipſa Italia, ac *Mediolanenſi* Eccleſia, Diœceſique, quæ tunc latiſſime patebat, nec die *Dominica*, nec *Sabbato* jejunabatur; uti legimus apud SS. Ambroſium & Auguſtinum: qui autem eos dies e jejunio ſubtrahebant, *Quinquageſimam* ſeptem hebdomadibus conflatam jejunabant; ut oſtenſum eſt ſupra n. 14. & 15. ex Caſſiano, qui lib. 3. de Canon. Diur. Orat. & Pſal. modo cap. 9. & 10. parum ſibi probari videtur *Sabbati* jejunium Romanorum, ut & Auguſtino Epiſt. 86. Deinde Sozomenus non agnovit *Sexageſimam*; quam tamen paulo ante eum meminit Hieronymus n. 16. relatus; & quam Miltiadem Papam invexiſſe plures conſcripſerunt.

XXIII. Objicient, inſtabuntque contra idem: Caſſianus, qui ætate Sozomeni in Gallia ſcribebat, Collat. 21. cap. 27. de jejunio *Quadrageſimæ* inquit: *hi enim ſibi ſex hebdomadarum obſervantiam præfixerunt, qui putant die quoque Sabbati jejunandum:* at Romæ potiſſimum *Sabbati* die jejunatum eſſe, teſtatur in primis Epiſtola 1. S. Innocentii I. Papæ, & S. Auguſtinus, & Caſſianus ſupra commemorati: igitur Romæ per id tempus non *Septuageſima*, ſed *Quadrageſima* ſex hebdomadibus concluſa ſervabatur.

Reſpondetur, eos, qui *Sexageſimam* Melchiadis admiſerunt, ut Auctor ſermonis de *Sexageſima* Dominica inter Ambroſianos, Carolus M. Epiſt. ad Alcuinum, Æneas Pariſien. Epiſcopus aliique plures, exiſtimarunt in ea ipſa die *Sabbati* jejunium fuiſſe obſervatum; & tamen *Quadrageſima* ſex hebdomadarum non erat juxta illos, & quidem Romæ. Loquitur ergo Caſſianus de nonullis Regionum Nationibus, ac ſuo tempore; non generatim de omnibus, de quibus & Socrates, & Sozomenus eodem tempore teſtantur in *ſex* etiam *hebdomadibus* varie peractum eſſe jejunium etiam ab iis, qui *Sabbato* non eſſe jejunandum aſſerebant, ut Græci præſertim, & Orientales; quemadmodum ſupra num. 13. eſt demonſtratum. Quod enim ait Socrates ibi: *qui Romæ ſunt, tres continuas hebdomadas ante Paſcha . . . . . jejunant:* an non idem eſt; ac id, quod inquit Sozomenus: *alii tres* (hebdomadas) *Paſcha immediate præcedentes continuant?* Omitto Caſſiani tempore fieri potuiſſe jejunium *Quadrageſimæ* uno modo; tempore vero Leonis M. alio: ſcripſit enim Caſſianus ad 20. annos ante Leonis I. Pontificatum opus Collationum.

XXIV. Objicent tandem contra id, quod eodem n. 18. pronunciari: *Sozomeni* lectionem non videri falſam, quum ait; *in urbe Roma* nec Epiſcopum, nec quemquam alium in Eccleſia populum docere: nam S. Ambroſius lib. de Virginibus 3. refert *Sermonem* Liberii Papæ habitum ab eo in die Natalis Domini in Eccleſia S. Petri; quem Baronius ad ann. 357. n. 76. vocat. *Homiliam ad populum* recitatam: fuit autem Liberius Papa ſæculo integro ante Leonem Magnum: igitur falſa eſt Sozomeni lectio.

Reſpondetur, eam nequaquam fuiſſe homiliam ad populum; ſed ſermonem a Liberio PP. factum in Eccleſia quidem S. Petri, ac in die Natalis Domini; veruntamen ad Marcellinam S. Ambroſii ſororem occaſione, qua illa ſpiritualibus ſe nuptiis Deo perpetua virginitate dicabat: quapropter ſubdit poſt enarratum ſermonem idem Ambroſius: *hæc tecum ſanctæ memoriæ Liberius, quæ apud alios majora verbis, apud te minora exemplis &c.* Ea igitur non ad populum de more dixit Liberius; ſed tantum occaſione conſecrationis virginis; quod etiam ab aliis fieri conſuevit, & ſolet; qui tamen homilias, aut ſermones ad populum nunquam habuerunt, aut habent.

Digitized by Google

AD CAPUT VII.

P. JOHANNIS CABASSUTII

Congregationis Oratorii DOMINI JESU

De Agapis.

DISSERTATO XIII.

I. AB Apoſtolicis uſque temporibus Agaparum ducuntur initia. Harum quippe aperte Paulus meminit, & qui in eas irrepſerant abuſus Corinthiis in prima ad ipſos epiſtola exprobrat. Cum enim hac intentione inſtitutæ eſſent, ut intra Eccleſiam poſt participatam Euchariſtiam, qui convenerant fideles, pauperes ſimul, & divites, quaſi fratres iiſdem appoſitis cibis promiſcue veſcerentur, quas ſoli divites propriis impenſis in commune conferebant, ut docet Chryſoſtomus in 1. Cor. 11. ſecus tamen res peragebantur. Qui enim ſumptus præbebant, intemperanter veſcebantur, pauperibus excluſis, quibus conferendi facultas non ſuppetebat. Idcirco expoſtulat Apoſtolus. *Convenientibus vobis in unum jam non eſt Dominicam cœnam manducare, unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?*

II. De Agapis quales eſſent, aut ut in illis Chriſtiani ſe gererent, Romanum Senatum his verbis inſtruit Tertullianus Apologet. cap. 39. *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit.* Vocatur enim ἀγάπη id quod eſt penes Græcos dilectio. Quantiſcunque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumtum: ſiquidem inopes quoque refrigerio iſto *juvamus*. Et paucis interjectis: *Nihil utilitatis, nihil immodeſtiæ admittit, non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum eſurientes cupiunt, bibitur quantum pudicis eſt utile: ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe; ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Oratio convivium dirimit.* De his iiſdem conviviis in Chriſtianorum conventibus inter preces ad Deum fieri ſolitis meminit Plinii ad Trajanum epiſtola, eademque eſſe teſtatur innoxia.

III. Synodus Gangrenſis can. 11. occaſione ſumpta ab hæreticis Euſtathianis, qui ſolemnes fidelium conventus adverſabantur, eos omnes a fidelium communione reſecat, qui agapas ita deſpicantur, ut neque ad eas accedant, & accedentes condemnent. Ex adverſo tamen quia graves in agapas nonnunquam glifcebant. Defectus, de quibus audivimus Paulum conquerentem, imo etiam horrendæ diſſolutiones in conventibus Nicolaitarum, contra quos acriter invehitur Judas Apoſtolus in ep. verſ. 12. eoſque dicit in conviviis ſuis *maculas*, Græce in agapis, ἐν ταῖς ἀγάπαις σπιλάδες.

IV. Ideo Synodus Laodicena can. 28. edixit. *Non oportet in Dominicis locis ſeu Eccleſiis agapen facere, & intus manducare, vel accubitus ſternere.* Concilium præterea Carthaginenſe tertium can. 30. vetant Epiſcopis, & Clericis, univerſæque plebi intra Eccleſiam convivari. Hoc idem fieri Mediolani prohibuerat Ambroſius: refert quippe Auguſtinus de ſua matre Monica lib. 6. Confeſſionum c. 2. ipſam quum Mediolani verſaretur, & ad memorias Sanctorum, ſicut in Africa ſolebat, caniſtrum cibis refertum detuliſſet, fuiſſe ab Oſtiario prohibitam, quia talia fieri præſul Ambroſius interdixerat, hanc vero docilem, & morigeram, neque de conſuetudine Eccleſiarum Africanarum ultra ſollicitam, reportaſſe domum, quæ inde aſportaverat. Anglis tamen recens converſis, ideoque ſuaviter

ter alliciendis, ne auſteritate deterrerentur, Sanctus Papa Gregorius permiſit, ut in tabernaculis ex virentibus arborum ramis juxta Eccleſiam ſtructis, celebritates Martyrum religioſis conviviis celebrarent lib. 19. epiſt. 71. hanc adjungens conceſſionis rationem: *Ut dum eis aliqua exterius gaudia reſervantur, ad interiora gaudia conſentire facilius valeant.*

GABRIELIS ALBASPINÆI AURELIAN. EPISC.

De Agapis.

DISSERTATIO XIV.

I. Conducit ad intelligentiam Patrum, & ad defenſionem doctrinæ, fideique Eccleſiæ planum fieri, quid eſſent *Agapæ*, docerique in illis nullam fuiſſe Euchariſtiæ mentionem: nec ibi ſummi omnino aut conſecrari ſolitam, nam inde adverſarii argumenta in nos depromunt, & prope eſt ut dicant, minime probabile videri, Chriſtianos ſuſcepturos fuiſſe Euchariſtiam inter convivia, ſi præſens corpus Chriſti, reque ipſa ineſſe arbitrati eſſent, etiam poſt epulas, & ubi ſe aliis cibis ſaturaſſent. *In conviviis Chriſtianorum*, inquit *Pleſſæus* (*lib. 1. c. 3.*) *panis & vinum apponebantur, ut eis benediceretur, de quibus epulis loquitur Tertullianus in Apologetico his verbis, cœna noſtra de nomine rationem ſuam oſtendit, vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt.*

II. Diebus igitur Dominicis cœnas cebrabant, quas *Agapas* vocabant, quibus omnes intererant, & in privatam aliquam domum conveniebatur, ubi poſt fuſas ad Deum preces ſimul cœnabant, cœnati manus abluebant, candelas cereoſque accendi jubebant, Deum precabantur; precibus functi, ſcripturam ſacram legebant, quo peracto, præſes unum aliquem e cætu, de fide ſua interrogabat, mox inter ſe omnes de rebus divinis ſermones ferebant, pecunias aliquas colligebant in alimenta viduarum, inopum, & pupillorum, naufragorum, atque martyrum, tum de dormitione cogitabant, at de Euchariſtia ibi nullum verbum; id quod perſpicue demonſtratur his rationibus, quod *Agapæ* cœna erat, quae fiebat tantum veſperi. *Tertullianus* in *Apologetico* c. 34. *Ita ſaturantur*, (de *Agapis* videlicet loquens) *ut qui meminerint etiam per noctem adorandum ſibi Deum eſſe*. Niſi nocti proximum fuiſſet hoc convivium, non utique dixiſſet, eos meminiſſe dandam de nocte operam orationi. Quæ mox ſequuntur, idem etiam oſtendunt: *Inde diſceditur, non in catervas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum*. Hæc de die fieri non ſolent, ſed ſunt nocturnæ ebriorum, ac temulentorum graſſationes, obvios quoſque pulſantium & cædentium. De *corona militis* de Agapis forte loquens, *ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia*. Quamvis autem reſponderi poſſit, candelas poſt cœnam non in uſum luminis, ſed ob preces accendi ſolitas, tamen inde quoque colligitur nocturnum tempus fuiſſe. Nam Gentiles eis exprobrabant, quod candelas extinguerent, ut ſublata verecundia quamlibet impietatem committerent.

III. Supereſt etiam, ut elucidemus, eos non niſi mane ſumpſiſſe Euchariſtiam, & ante omnem etiam cibum; quo probato, lectori dijudicandum relinquam, an cum Agape non niſi veſperi fieret, Euchariſtia non niſi mane ſumeretur, hæc duo unquam concurrere potuerint? Libro *ad uxorem: non ſciet maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes*. Samebant igitur Euchariſtiam mane, & ante omnem cibum. Libro *de corona militis*; *Euchariſtia Sacramentum, & in tempore victus, & in omnibus mandatum a Domino*; *etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam Præſidentium ſumimus*. Quibus verbis apparet, eos non niſi mane ſumpſiſſe Euchariſtiam. Etenim quamvis Dominus noſter eam celebraſſet, ac ſumpſiſſet inter cœnandum, tamen ſic ab Eccleſia inſtitutum ſuiſſe, ne alio quam matutino tempore, atque ante alia eſculenta ſumeretur. Mitto alios

Digitized by Google

alios Patrum locos, qui quidem aſſerunt, contentus auctoris noſtri teſtimoniis. Libro contra *Pſychicos*, videtur hunc morem tetigiſſe in hunc modum; *quales nos ante pabulum, & potum in virgine adhuc ſaliva exhibere conſuevit, rebus dumtaxat ſenſim agendis, quo divina tractantur*: & *Plinius ſecundus* in epiſtola ad *Trajanum*, docet Chriſtianos ſtato die ante lucem conveniſſe, ut ſua ſacra facerent, atque eadem epiſtola, rurſus omnes coiiſſe ad cibum capiendum, ubi utriuſque Euchariſtiæ, & cœnæ capiendæ tempus diverſum fuiſſe oſtendit.

IV. Cum ergo in Agapis nuſquam celebraretur Euchariſtia, magnopere falluntur adverſarii, qui in cœremoniis Agaparum formam celebrandæ Miſſæ præſcribere intendunt, & quod illarum eſt, huic attribuunt; videlicet quia in Agapis familiariter inter ſe, verſarentur, ederent, biberent, pani & vino atque cibis tantummodo benedicerent, lingua vernacula loquerentur, viri, fœminæ, puerique promiſcue pſalmos canerent, miniſtrique habitu conſueto degerent. Hæc & alia ejuſmodi ubi comperere adverſarii, ceu validis freti argumentis, ad Miſſam omnia eadem transferunt. Quod quid aliud eſt, quam non diſcernere unum ab altero, & imperite Agapas cum Euchariſtia confundere?

V. Sed objici poteſt, unde igitur enata opinio inter Gentiles ejuſmodi Agapis Chriſtianos comediſſe infantem? Nunquid ex eo quod celebrarent, aut comederent Euchariſtiam in illis cœnis? quæ cum vere caro eſſet, ac pro Domini noſtri corpore ſumeretur, Chriſtianis crimini datum eſt, quaſi carnem humanam manderent. Reſpondeo, confictum eſſe hoc crimen, & inſimulatos ejus rei Chriſtianos, jam inde a *Tiberio*, hoc eſt ab Apoſtolis, ut docet *Tertullianus* in *Apologetico*, nam loquitur de hoc ipſo crimine quod Chriſtianis intentabatur, quod a temporibus *Tiberii* commentos ait, ſive Judæos ſive quoſvis alios religionis Chriſtianæ ignaros.

VI. Atqui non inficias ierim, tempore Apoſtolorum, Agapas forte factas eſſe cum celebratione Euchariſtiæ, quod non prohibet, quin Euchariſta huic impoſturæ cootem ac locum dederit; vel quod Gentiles ſacrorum ignari, Miſſam & ſolemnia cum Agapis confunderent.

VII. Alia ratio admittenda videtur: ſi Euchariſtia data eſſet in Agapis, utique potius a cœna, quam ante dari conveniſſet: quoniam, ut ait *Tertullianus*, tunc preces funderentur, cerei accenderentur, pſalmi cantarentur, Scriptura ſacra exponeretur. Quin etiam volunt adverſarii, has preces & pietatis exercitamenta, quæ *Tertullianus* poſt cœnam commemorat, omnino pertinere ad Euchariſtiam: atqui abſurdum eſt credere, contra Teſtimonium *Tertulliani*, eos poſt convivium Euchariſtiam ſuſcepiſſe, ſcilicet poſtquam ſe aliis cibis ingurgitaſſent.

VIII. Cæterum in ejuſmodi conviviis nulli prorſus præter fideles admittebantur: nam neque Catechumeni, neque pœnitentes accumbebant; propterea quod jus communicationis, & fraternitatis aut amiſerant, aut nondum eſſent conſecuti.

IX. An vero ejuſmodi convivia a *Philone* deſcribantur, ut ait Divus *Hieronymus*, non crediderim facile, quoniam negat in eis & ſervos miniſtraſſe, & vinum apponi ſolitum: utrumque tamen ex *Euſebio* & *Tertulliano* probatur. *Euſebius lib.* 4. ex epiſtola *Lugdunenſium*, & *Viennenſium*: *Accidit tamen, etiam ſervos comprehendi quorumdam ex noſtris Paganos, quoniam quidem publice juſſum fuerat requiri omnes & teneri. Quique dæmonis inſtinctu, cum tormenta pertimeſcerent, quæ inferri ſanctis videbant, monentibus ſe hoc in ipſum militibus, quibus ita ita fuerat præceptum, commenti ſunt adverſum nos velut Thyeſtæas cœnas, & inceſta OEdipia perpetrantes, & alia, quæ nec proloqui, aut cogitare nobis fas eſt.* Per tormenta de ſervis Chriſtianis non quæſiiſſent, ni epulis Chriſtianorum interfuiſſet. *Plinius* quoque eadem docere videtur, nam ex duabus ancillis dicit ſe inquiſiviſſe per tormenta, quid eſſet veri de ſacris, & conviviis Chriſtianorum. Denique *Tertullianus* & *Minutius* ajunt, vinum accumbentibus præbitum fuiſſe: *bibitur quantum pudicis eſt utile*. Item, *hinc probatur quomodo biberit*. Itaque quæ de convivio quod Gentiles infamarent, habent fratres, cum ea omnia de Agapis, non de Euchariſtia accipienda ſunt, ut in *Apologetico* c. 7. 8. 9.

& in

& in fine 39. Priora enim de ſacris dicta ſunt. Item cum ait, lib. 2. ad *uxorem*. *Quis ad convivium illud dominicum quod infamarent? Ad Scapulam quam inceſtam, quam crudelem nemo tanto tempore probavit.* De *Spectaculis* c. 19. *ſi tales ſumus, quales dicimur, delectemur ſanguine humano.*

X. Quod non animadvertentes plerique perperam de Euchariſtia explicarunt. Similiter quæ apud *Minutium* de inhumanis cibis, de infante farre contecto, quod cœunt ſolemni die, & quæ hiſce objectionibus reſpondet *Minutius*, de Agapis neceſſe eſt intelligere, & apud *Euſebium Irenæum*, & *Juſtinum*.

LUDOVICI ANTONII MURATORII

DE AGAPIS SUBLATIS

AD CLARISSIMUM, AC ERUDITISSIMUM VIRUM

JOANNEM BOIVINIUM

Regiæ Pariſienſis Bibliothecæ Cuſtodem.

DISERTATIO XV.

SYNOPSIS DISQUISITIONIS

Agapæ Convivia ſacra inter Chriſtianos. Earum Antiquitas. In honorem Martyrum celebratæ, illorumque die Natali potiſſimum. Ab Ethnicorum ritibus iſtæ derivatæ. Abuſus & vitia in ipſis tum in Orientem, Romæ, *& in* Africa & Mediolani. *Concilia ipſa abrogant. Earum veſtigia quædam permiſſa.*

I. MUlta quidem tibi debeo, Boivini Clariſſime, neque tu negare poſſis, quamquam non fama ſolum, ſed etiam experientia compertum habeam, te ex iis eſſe, qui non minus injurias ab aliis acceptas, quam beneficia in illos collata oblivisci ſolent. Sed nihil me tibi æque obſtrinxit, ac facilis illa atque animo nobili digna voluntas, qua mihi per Montefauconium noſtrum a te petenti, ſtatim non pauca Nazianzeni carmina a te deſcripta, ut ego evulgarem, liberaliſſime conceſſiſti. Animos & ſtimulos addidiſti non ſemel, non ut in cœpto pergerem, Græcarumque literarum dignitati hiſce monumentis edendis aliquid & ego adjungerem. Qua in re profecto quantum me tuis monitis ſollicitaſti, tantum etiam exemplo tuo viſus es deterrere. Num quoties *Nicephori* Gregoræ Hiſtorias a te collectas; & in Latinum Sermonem converſas intueor, mirabilemque tuam in utraque lingua peritiam atque eruditionem perpendo toties mihi timeo, ac doleo in eodem ſtadio tam infirmis viribus currenti. Attamen inſiſtere cœpto non deſino, tua tuique ſimilium humanitate fretus, quibus placeat ſi non leve ingenium meum, certe conſilium optimum. Quum tamen Diſquiſitionis materiem nihil præbuerint nonnulla e Carminibus a te impetratis, nulli æquius hanc orationem inſcribendam eſſe duxi, quam tibi, cujus in ære me eſſe libenter fateor, & cui nihil me dare nunc ſentio, ſed reddere. De *Agapis* autem mihi futurus eſt ſermo; quamvis enim de illis plurium Scriptorum lucubrationes per eruditorum manus ferantur, quædam tamen reſtant in hujuſmodi argumento non ſatis perſpecta, quæ omittere nolim ac præcipue ut ſuo lumini reddantur Carmina illa, quibus *deliciantes* in Martyrum Baſilicis Nazianzenus noſter exagitat. II. Ab *Agapetis* igitur ad *Agapas* me

me conferendo, quibus a *Dilectione* Græcum nomen fuit, meminiſſe ante omnia juvat, eos nihil aliud fuiſſe quam Convivia quædam Chriſtianorum in ædes ſacras Dei ſummi, aut memoriam Sanctorum Martyrum celebrata, Chriſtus ipſe antequam Judæis, ac morti ſe ſe traderet, poſtremam Cœnam *Agaparum* exemplar fecit atque ideo vel ipſis Apoſtolorum temporibus hujuſmodi Convivia & epulae cum Euchariſtia conjungi ſolebant. Menſæ autem divites accumbebant, & pauperes, fratrum more, una Chriſti *Dilectione*, ſeu *Agape* populum conjungente ita ut communione ſacri Convivii non tam animi, quum corpora hilaritatem conciperent, & promiſcuum facerent *Charitatis* uſum. Vulgatiſſimus eſt hac de re locus ille S. Judæ Apoſtoli in Epiſtola Canonica: Οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς Ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες συνευωχούμενοι ἀφόβως ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες. *Hi ſunt in Agapis veſtris maculæ, convivantes vobiſcum, ſine timore ſe ipſos paſcentes.* En quam antiquum ſit *Agaparum*, nomen, ipſiſque adeo notum Apoſtolis. Convivia autem illa non *Agapa* tantum appellari ſolebant, ſed etiam δοχαὶ, quam appellationem etiam S. Lucas cap. 14. uſurpavit. Quare in conſtitutionibus, ut vulgo dicuntur Apoſtolicis lib. 2. cap. 28. hæc habentur: Τοῖς εἰς ἀγάπην, ἤτοι δοχὴν, ὡς ὁ Κύριος ὠνόμασε, προαιρουμένοις καλεῖν πρεσβύτιδας. *Iis, qui ad Agapen, ſeu ut Dominus appellavit Convivium, anus invitare voluerint* &c. Et in hoc ſenſu δοχὴν legimus in S. Ignatii Martyris Epiſtola interpolata ad Smyrnæos cap. 8. Οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς τοῦ Ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν, οὔτε θυσίαν προσκομίζειν, οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν. *Non licet ſine Epiſcopo neque baptizare, neque offerre, neque ſacrificium immolare, neque Convivium Dominicum celebrare.* Ita vetus Interpres verba poſtrema latine reddidit, pro quibus alia hæc habet apud doctiſſimum Cotelerium: *neque Agapen facere*.

III. Quod ſi Latinos hujus conſuetudinis teſtes optas, ex *Tertullian.* in Apologet. Cap. 39. de Chriſtianorum rebus differentem ad Romanum Senatum: *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit vocatur enim* ἀγάπη, *id quod dilectio penes Græcos eſt. Quantiſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumtum; ſiquidem inopes quoque refrigerio iſto juvamus.* Tum infra deſcribit, quanto cum temperantiæ, ac modeſtiæ modulo ſacræ celebrentur *Agapæ*. *Nibil*, inquit, *vilitatis, nibil immodeſtiæ Cœna admittit. Non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum eſurientes capiunt; bibitur, quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe.* Hujuſmodi fere verbis uſus eſt in aureo libello *Minutius* Felix, ut Chriſtianorum Convivia ab Ethnicorum calumniis vindicaret. *Convivia*, inquit, *non tam pudica colimus, ſed ſobria. Non enim indulgemus epulis, aut Convivia mero ducimus, ſed gravitatem bilaritate temperamus.* At longum nimis iter inſtituerem, ſi loca ſingula veterum Patrum de *Agapis* congerere huc vellem, & actum etiam agerem, quippe apud recentiores rerum Eccleſiaſticarum cultores congeſta dudum invenies.

IV. Præſtabit igitur adnotare, vel ipſis Apoſtolorum temporibus in hanc piam convivandi conſuetudinem, partim ambitione divitum, partim etiam vulgi copia non paucos irrepere cœpiſſe abuſus. Luxus, atque intemperantia proxima virtutibus vitia, illic ſenſim obtinuere locum. Quamobrem ſuum eſſe duxit Gentium doctor Corinthios debiti officii monere, corruptoſque eorum mores vulgatis iis verbis caſtigare: *Convenientibus vobis in unum jam non eſt Dominicam Cœnam manducare; unuſquiſque enim ſuam Cœnam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Numquid domos non babetis ad manducandum, & bibendum? Aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non babent?* Sanctus vero Judas in Epiſtola ſuperius laudata Chriſtianus *Agapas* a Gnoſticis commaculari animadvertit. Hinc SS. Patres nervis omnibus deinde contendere cœperunt, ut pium inſtitutum, ab ingruentibus viris expurgarent; illos contra, qui ſacram illam conſuetudinem deſpiciebant, Communionis Eccleſiaſticæ beneficio privarunt. Synodus Gangrenſis Can. 11. Εἴ τις καταφρονοίη τῶν ἐκ πίστεως ἀγάπας ποιούντων, καὶ διὰ τιμὴν τοῦ Κυρίου συγκαλούντων τοὺς ἀδελφοὺς ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis contemnat eos, qui Agapas ex fide faciunt, & propter Dei bonorem fratres convocant, ſit anathema.* Atque hæc de *Agapis* in communi a nobis comme-

memorata ſufficiant. Nunc ſermo ad ea convivia convertatur, quæ in honorem SS. Martyrum veteres Chriſtiani celebrare ſolebant, & quibus Diſquiſitionem iſtam deſtinavi, utpote minus accurate per alios explicatis.

V. Itaque animadvertendum primo eſt, alia etiam inter Chriſtianos ſacrorum Epulorum genera fuiſſe nempe natalitia, funebria, & connubialia, quorum mentionem *Gregorius* noſter in Carm. X. d. diverſis generibus facit; ita enim de ſe ipſo canit:

Οὐδ' ἱερὸν ἐπὶ δαῖτα γενέθλιον ἠὲ θανόντος,
Ἤ τινα νυμφιδίην σὺν πλειόνεσσι θέων.

Non ad aliquod ſacrum epulum natale, ſive funebre,
Sive connubiale, cum pluribus currens.

De conviviis nuptialibus, atque funebribus plura alii. Mihi reliqua pro virili explicanda nunc erunt, tum pro Nazianzeni verſibus illuſtrandis, tum pro SS. Martyrum gloria. Certe nullum apud majores noſtros præſtantius habebatur decus, quam pro Chriſtiani nominis confeſſione tormenta, ac Tyrannorum gladios fortiter ſuſtinere, ipſamque etiam oppetere mortem. Hinc ſummi honores victoribus noſtris decreti, ut eorum triumphus longe lateque patens alios ad parem fortitudinis gloriam incitaret. Illorum cineres, & oſſa ingenti populorum concurſu feſtivis plauſibus religione ſumma, tumulo dabantur. Cujus rei præter innumeros alios teſtem vetuſtiſſimum habemus Smyrnenſem Eccleſiam in celebri Epiſtola de Martyrio S. Polycarpi. Ad hæc ſolemnis Martyrii dies quotannis in Eccleſia Chriſtiana recolebatur, Templaque et Baſilicæ & Ædes ſacræ Deo Optimo Maximo in Martyrum honorem excitabantur. Et quidem ſuis ducibus Roma triumphos decernebat, ſi quando aut militum robur aut fortuna victoriam patriæ peperiſſet. Quanto æquius iidem honores in Chriſtianorum Republica victoribus debebantur, qui conſtantiſſime tormentis ac morti ſeſe objiciebant longe honeſtiori, quique ut canit *S. Damaſcus* in Carm. de S. Agneſe.

Tartaream ſoli potuerunt vincere mortem,
Invictum ſoli Cælis inferre triumphum?

Incredibili itaque pompa ac hilaritate SS. Martyrum Natales dies (ita quippe nuncupabantur dies eorum emortuales) celebrati quotannis cœpti. Sacris vero in Templis ſobria, ac pudica habebantur Convivia, quibus tum divites, tum pauperes aſſidebant, Caritas vero Chriſtiana præſidebat. Audi, quid hac de re ferat Auctor Commentariorum in Job, qui Origeni adſcribi. Ubi Feſta in honorem Martyrum inſtituta commemoravit, hæc addit: *Celebramus nimirum religioſos cum Sacerdotibus conventus, Fideles una cum Clero invitantes adhuc egenos, & pauperes pupillos, & viduas ſaturantes, ut fiat feſtivitas noſtra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus; nobis autem efficiatur in odorem ſuavitatis in conſpectu Dei* &c. *Theodoretus* in præclaro opere de Evangel. Verit. ſeu græcarum affectionum curatione Serm. 8. quantum non virtus tantummodo, ſed terrena etiam SS. Martyrum gloria Ethnicis Erroribus præſtet luculentiſſime oſtendit. Qua occaſione ſacra illa Convivia commemorat, quæ in eorum feſtis celebrabantur, & unde in Sanctorum memoriam urbem gloriam fluere affirmat. En ejus verba: Πέτρου, καὶ Παύλου, καὶ Θωμᾶ, καὶ Σεργίου, καὶ Μαρκέλλου, καὶ Λεοντίου &c. καὶ τῶν ἄλλων Μαρτύρων ἐπιτελοῦνται δημοθοινίαι. Καὶ ἀντὶ τῆς πάλαι πομπείας, καὶ αἰσχρουργίας, καὶ αἰσχρορρημοσύνης, σώφρονες ἑορτάζονται πανηγύρεις, οὐ μέθην ἔχουσαι, καὶ κῶμον, καὶ γέλωτα ἀλλ' ὕμνους θείους, καὶ ἱερῶν λογίων ἀκρόασιν, καὶ προσευχὴν ἀξιεπαίνοις κοσμουμένην δακρύων. Hoc eſt *Petro Paulo, Thomas Sergio Marcello & Leontio* &c. *aliiſque ſanctis Martyribus ſolemnia populari Epulo peraguntur. Proque illa veteri pompa, pro turpia obſcænitate ac impudentia fiunt modeſtæ, caſtæ, ac temperantia plenæ feſtivitates, non illæ quidem ad ebrietatem uſque productæ, neque comeſſantium laſcivia, & cachinnis diſſolutæ, ſed divinis canticis perſonantes ſacriſque ſermonibus audiendis intentæ, in quibus ad Deum preces non ſine ſanctis lacrymis, ac ſuſpiriis ſubmittuntur.*

VI. Vocem δημοθοινίαν pro *Epulo publico* in Sanctorum honorem celebrato quum explicuerimus, explicari etiam facile poterit alius *Theodoreti* locus lib. 3. Ma-

cap. 74. Hiſt. Eccl. ubi de *Juventino* & *Maximiano* Martyrii palmam ſub impio *Juliano* conſequutis ait: τούτους ἡ Ἀντιόχεια ὡς ἀγωνιστὰς εὐσεβείας τιμήσασα πολυτελεῖ παρέδωκε θήκῃ, καὶ μέχρι δὲ τήμερον ἐτησίῳ πανηγύρει γεραίρονται. *Iſtos Antiochia velut ſtrenuos pietatis athletas venerata magnifico tumulo mandavit, & ad hodiernum uſque diem quotannis Feſto, & Epulo publico eos honorifice celebrat*. Sanctæ Martyris *Euphemiæ* miracula in Baſilica Chalcedonenſi peracta deſcribit *Evagrius* Scholaſticus lib. 2. cap. 3. Hiſt. atque inter alia hæc habet: *Sæpe numero aut Epiſcopis, qui ordine illius urbis Eccleſiam texerant*, ſecundum quietem ipſa Martyr apparens, aut aliis quibuſdam ob piam vitæ rationem accedens, jubet ut in ipſo Templo Feſtum opiparis epulis celebrent, κατά τὸ πάτριον τρυφῶν.

VII. Attamen verum fateri ſine cunctatione juvat. Hujuſmodi Convivia, quamquam *Agapæ* a Chriſtianis appellarentur, ab iis tamen longe diſtabant, quas in diſquiſitionis exordio deſcripſi. Etenim *Agapæ*, Apoſtolis etiam notæ ac uſurpatæ ad ſacræ Cœnæ a Chriſto ante mortem peractæ imitationem celebrari conſueverunt, & cum Euchariſtia conjungi. *Agapæ* vero in honorem Martyrum celebratæ, ſi non ſemper, ſaltem ſæpe incruento Sacrificio caruiſſe videntur, & a rudibus potius populis, quam ab Apoſtolis inſtitutæ. Nempe tot populis ab Ethnicorum errore ad Chriſti fidem converſis durum videbatur iis omnino ritibus renunciare, quibus a teneris annis ſe ſe aſſueverant, cujuſmodi fuere Convivia illa, quæ in ſuorum funere habere mos erat, & S. *Hieronymus* his verbis commemorat lib. 3. cap. 16. in *Hieremiam*: *Moris eſt lugentibus ferre cibos, & præparare Convivium, quæ Græci* περίδειπνα, *& a noſtris vulgo appellantur Parentalia, eo quod Parentibus juſta celebrentur*. Alio nomine *Silicernia* nuncupabantur funebria apud Ethnicos Epula; utramque enim appellationem conjunxit *Varro* in Meleagris ita ſcribens: *Funus exequiati cum lauſu ad ſepulchrum antiquo more* Silicernium *confecimus, id-eſt* περίδειπνον, *quo pranſi diſcedentes dicimus aliis alii Vale*. Mortuorum animas frui, atque exhilarari hujuſmodi Epulis ferebatur, eaque Ethnicorum mentibus tam alte inſederat opinio, ut obſequio ac amori erga majores omnibus inſito, ipſique Religioni a Natura inſpiratæ deeſſe arbitrarentur, qui ab hoc officio abſtinuiſſent. Quamobrem piiſſimi Chriſtianorum Patres, quando ineptum hunc ritum omnino evertere non poterant ſatis eſſe opinati ſunt, ſi ut in aliis contigerat, purificarent, efficerentque ad Chriſti religionem accommodatum. Epulum ergo illud, quod in mœroris ſpeciem ſuis mortuis Ethnici parabant, lætitiæ argumentum cœpit eſſe Chriſtianis, quibus dum SS. Martyrum gloria repetebatur, Martyrii, atque Virtutis amor altius quoque inſpirari ſolebat.

VIII. Non nudam quampiam de penu meo conjecturam profero. Plebi ſuæ recens ab Idolorum cultu revocatæ Convivia, ſive *Agapas* indulſit S. *Gregorius* Thaumaturgus, de quo hæc in ejus Oratione tradit S. *Gregorius* Nyſſenus: *Quum animadvertiſſet, quod propter corporis voluptates ſimplex & imperitum vulgus in errore ſimulacrorum cultus permaneret, quo maxime id quod præcipuum eſt, interim in eis aſſequeretur, nempe ut vanis ſuperſtitionibus relictis ad Deum converterentur, permiſit eis, ut in memoriam SS. Martyrum ſeſe exhilararent, & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur; quod ſucceſſu temporis aliquando futurum eſſet, ut ſua ſponte homines ad honeſtiorem & exactiorem vitæ rationem tranſirent. Quæ res nimirum jam etiam in pleriſque ſucceſſit, atque confecta eſt, omni voluptate a corporis oblectamentis ad ſpiritalem lætitia formam traducta*. Hæc Nyſſenus, qui ætate ſua, hoc eſt Nazianzeni ævo, jam apud pleroſque iſtam convivandi rationem obſoleviſſe prodit. Sanctus vero *Joannes* Chryſoſtomus populum ſuum ab Ethnicorum Communione, & ab Idolorum ſede (hanc *Daphnem* appellabant) remoturus, eidem hunc prandiorum uſum indulſit non intra quidem, ſed juxta Baſilicas celebrandorum. Ita ille in laudatione S. Martyris *Juliani*: *At etiam corporalis menſæ vis fieri particeps: Heic ſoluto conventu licet juxta Martyrium* (ſcilicet juxta Martyrum Baſilicam) *ſub ficu, vel vite adverſanti, etiam corpori recreationem indulgere, & condemnatione conſcientiam liberare*. Tum hanc rationem addit: *Martyr enim e propinquo ſpectatus, & quum ſit vicinus, ipſique menſæ adſtet voluptatem in peccatum effundi*

Digitized by Google

non finit, ſed tamquam pædagogus aut pater optimus oculis Fidei conſpectus riſum comprimit indecoras voluptates circumcidit, laſcivoſque omnes inſultus carnis tollit. Igitur ex indulgentia potius quam alia de cauſſa Chriſtianæ plebi convivia in honorem Martyrum celebrare olim fas erat; & quo rude vulgus ab Idolorum cultu compeſceretur, quædam Ethniciſmi veſtigia in meliorem uſum converſa, permittebantur, modo ab hujuſmodi conſuetudine temulentia Ethnicis familiaris abeſſet.

IX. Quibus animadverſis, jam Naziazeno aliquam lucem quæramus. Inquit hic in Carmine laudato CCXVII.

> Δαίμοσιν εἰλαπίναζον, ὅσοις πάροιθε μεμήλος
> Δαίμοσιν ἦρα φέρειν, οὐ καθαρὰς θυσίας·
> Τὴν Χριστιανοὶ λῦσιν εὕρομεν. αἰθλοφόροισι
> Στησάμεθ' ἡμετέροις πνευματικὰς συνόδους·

Hoc eſt. *Dæmonibus opiparas menſas parabant ii, quibus antea cordi erat Dæmonibus grata offerre, minime hoſtias puras. Hujus rei nos Chriſtiani fidem invenimus. Martyribus noſtris ſtatuimus tantum ſpiritales conventus*. Nimirum inquit Nazianzenus, quum olim Ethnici, rem gratam Dæmonibus exhibituri, cum iis convivari, iis impuras epulas, atque Inferias offerre ſolerent: nos Chriſtiani ritum hujuſmodi ſuſtulimus, ſive expurgavimus: et Conventus ſpiritum potius, quam corpus, ſaturaturos in honorem SS. Martyrum inſtituimus. Tum hæc addit.

> Νῦν δέ τι τάρβος ἔχησι, ἀκούσατε ὦ φιλόκωμοι,
> Πρὸς τὰς δαιμονικὰς αὐτομολεῖτε τύπους·

Nunc vero, qui me habeat metus, audite o comeſſationum ſtudioſi. Ad ſimulacra dæmonum deficitis. Jam quippe in haſce Agapas non pauci irrepſerant abuſus, ac potiſſimum luxus & ebrietas, quorum conſortio ſpiritus opprimebatur, & facto luxuriæ loco, nil reſtabat pietatis, nil virtutis erat convivas. Inquit propterea Nazianzenus: En qui ebrietatem atque intemperantiam Conviviis ſacris immiſcere non dubitatis, ad priſtinum Dæmonum cultum deficere videmini; epulæ enim, quæ hominum mentes opprimant, Dæmonibus tantummodo, & non Martyribus, placere poſſunt, ac ſolent. Hæc, aliaque Nazianzenus in eos profert qui religioni ſibi minime ducebant ſe in Martyrum Baſilicis vino ingurgitare, piamque *Agaparum* inſtitutionem intemperantia vitiare. Juvat autem & ejus vocem iterum audire in Orat. VI. habita ad *Gregorium Nyſſenum*, in qua hunc epulandi ritum improbat, atque a populis omnino auferre conatur. Εἰ οὕτως, inquit, συνεληλύθαμεν, καὶ τοῦτο χομεν &c. *Si ad hunc modum cojimus, aut confluimus, revera Feſtum hunc diem, ut Chriſto gratum eſt, celebramus, revera Martyres bonore affecimus, aut afficimus; revera triumphalem choream agimus. Sin autem eo convenimus, ut ventris voluptatibus indulgeamus, & fluxis, ac brevi perituris deliciis fruamur; eaque, quæ mox evacuantur, inſeramus, atque hæc loca non temperantiæ, ſed crapulæ, & negotiationum tempora eſſe arbitremur: primum quam hoc tempori conveniat haud agnoſco. Quid enim paleæ cum tritico? quid carnis voluptati cum certaminibus Martyrum? Illa Theatris congruunt; hæc meis conventibus. Illa libidinoſis, hæc caſtitatis & temperantiæ ſtudioſis, illa carni addictis, hæc iis, qui corporis vinculis ſolvuntur* &c. *Demus igitur operam, Fratres, ne ſancta impure, & ſublimia demiſſe & honore digna turpiter, & ut uno verbo complectar, ſpiritalia terrene celebremus* &c. Quum igitur male ſe in Oriente hujuſmodi convivia haberent, propterea quod in vitia declinaſſent, ex his palam factum arbitror. Nunc videamus, qui mos in Italia foret, & an Sanctis Patribus probaretur.

X. In omnium principe Romana Eccleſia ſunt quæ perſuadere videntur, tolerata olim hæc prandia fuiſſe, modo ab iis temulentiæ periculum abeſſet, atque hilaritate corporis, lætitia mentis augeretur, non obrueretur. S. *Hieronymus* ad Euſtochium ſcribens, his utitur verbis: *Feſtus eſt dies, & Natalis* B. Petri. *Feſtivius eſt ſolito condiendus*. Tum ſub finem Epiſtolæ ejuſdem: *Unde nobis*, inquit, *ſolicitius providendum eſt ut ſolemnem diem non tam ciborum abundantia, quam ſpiritus exultatione celebremus, quia valde abſurdum eſt, nimia ſaturitate velle honorare Martyrem, quem ſcias*

Deo

Digitized by Google

Deo placuiſſe jejuniis. Quamquam vero intra Templorum ambitum ejuſmodi Convivia habita *Hieronymus* non prodat, id tamen alii factum prodidere. *Paulinus* Nolanus, *Gregorii* Nazianzeni, ac *Hieronymi* æqualis, locupletiſſimus teſtis eſt Nolæ quoque conſueviſſe populum Natalem S. *Felicis* diem Conviviis celebrare. Hæc autem in ipſius Confeſſoris Baſilica peragebantur, minime tamen probante *Paulino*, quippe & illic ebrietati ſuus erat locus. Audi nonnullos ejus verſus ex Natali IX. deſumptos.

Cernite quam multi cœant ex omnibus agris,
Quamque pie rudibus decepti mentibus errent.

Tum infra hæc addit:

Per totam vigiles extendunt gaudia noctem,
Lætitia ſomnos, tenebras funalibus arcent.
Verum utinam ſanis agerent hæc gaudia votis,
Nec ſua liminibus miſcerent pocula ſanctis &c.
—— Ignoſcenda tamen puto talia, parvis
Gaudia quæ ducunt epulis, quia mentibus error
Irrepit rudibus, nec tantæ conſcia culpæ
Simplicitas pietate cadit, male credula Sanctos
Perfuſis halante mero gaudere ſepulcris.

Viden ut pium populorum errorem ſimul improbet, atque excuſet S. *Paulinus*? Nimirum cenſebant ii, maximum Sanctis Martyribus lætitiæ argumentum præberi, ſi eorum memoriam epulis celebrarent, eorumque tumulos ipſo perfunderent mero. Idem, ut arbitror, cauſſabantur Græci. Nam poſtquam Nazianzenus Martyres interrogavit, num ipſi feſtivis illis comeſſationibus delectarent, illico ſubdit, poſſe quidem aliis, nempe Dæmonibus ebrietatem, & ingluviem placere, Martyribus vero nequaquam, quos unum temperantiæ ſtudium oblectabat. At S. *Paulinum* non prius dimittam, quam ejus hac de re ſententiam audieris. Inquit igitur.

—— Divendant vina tabernis.
Sancta precum domus eſt Eccleſia. Cede ſacratis
Liminibus ſerpens; non hac male ludus in aula
Debetur, ſed pœna tibi. Ludibria miſces
Suppliciis inimica tuis; idem tibi diſcors
Tormentis ululas, atque inter pocula cantas.

Quibus verbis ſtudet *Paulinus*, ut non tantum ebrietatem ab iis Conviviis, ſed ipſa etiam convivia a SS. Martyrum Baſilicis arceat. Et hic idem ille eſt, qui in Epiſtola 33. Alethium laudat, quod in funere ſuæ conjugis *Ruffinæ* cunctos Romanos pauperes in Baſilicam S. Petri cœgiſſet, atque illic *profluis omnes ſaturaſſet cibis*. Atqui mirum id minime videatur; Epulum quippe illud ab *Agapis* hactenus memoratis alioqui diverſum, nulla intemperantia vitiabat, multa vero Charitas commendabat.

XI. Verum in Africam navigemus velim, inquiſituri, quæ illic hujuſmodi Convivia celebrarentur. Jamque occurrit nobis *Fauſtus* Manichæus talia Catholicis objiciens: *Sacrificia eorum* (Paganorum) *vertiſtis in Agapas, Idola in Martyres, quos votis ſimilibus colitis, defunctorum umbras vino placatis & dapibus*. Quid ad hæc *Auguſtinus*? Ita ille in lib. 20. cap. 21. contra *Fauſtum* eumdem: *Qui autem*, inquit, *ſe in memoriis Martyrum inebriant, quomodo a nobis approbari poſſunt, quum eos, etiamſi in domibus ſuis id faciant, ſana doctrina condemnet? Sed aliud eſt, quod præcipere jubemur, aliud, quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tollerare compellimur. Alia eſt diſciplina Chriſtianorum, alia luxuria vinolentorum, & ſacrilegorum. Longo quippe minoris peccati eſt, ebrium redire a Martyribus quam vel jejunium ſacrificare Martyribus*. In tantam Chriſtiani vulgi licentiam, Afrorumque præſertim, quibus omnino familiaris erat ebrietas, acriter invehitur Auctor (quiſquis ille eſt) Libri *de duplici Martyrio*, quem S. *Cypriano* tribuunt nonnulli. *Temulentia*, inquit is, *adeo communis eſt Africæ noſtræ, ut propemodum non habeatur pro crimine. An non vidémus ad Martyrum Memorias Chriſtianum a Criſtiano cogi ad*

Digitized by Google

ebrietatem? *An hoc levius crimen eſſe dicamus, quam Baccho hircum* immolare? Igitur tam altas in Africa radices hujuſmodi conſuetudo egerat, ut Sacrorum Antiſtitum illum ſuccidere conantium cura in irritum caderet. Vim ritui nimiam addebat univerſi populi conſenſus. Quamobrem *Auguſtinus* nondum Epiſcopus ad Aurelium Carthaginienſem Antiſtitem ſcribendum ſibi eſſe cenſuit, ejuſque auctoritatem implorandam adverſus pervicacem morbum. Eum ergo Epiſt. 64. variis argumentis & rationibus hortatur, ac rogat ut comeſſationes in honorem Martyrum Africam totam obtinentes, Carthagine primum tollendas curet, ſpe ductus, fore ut reliquæ Provinciæ exemplum urbis, & Eccleſiæ Primatis deinde imitentur. *Comeſſationes* (ſunt ejus verba) *& ebrietas ita conceſſæ, & licitæ putantur, ut in honorem etiam beatiſſimorum Martyrum non ſolum per dies ſolemnes* (*quod ipſum, quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inſpicit?*) *ſed etiam quotidie celebrentur. Quæ fœditas ſi tantum flagitioſa, & non etiam ſacrilega eſſet, quibuſcumque tolerantiæ viribus ſuſtentandam putaremus* &c. Tum oſtendere pergit vir ſanctiſſimus iſtum convivandi morem e plerisque Italiæ Eccleſiis jam eliminatum, atque ideo accurate ſtudendum, ut & in Africa deleatur: quod tamen difficile præſtari poſſe non diffitetur. *Quis enim*, ait, *audet vetare privatim, quod quum frequentatur in ſanctis locis, honor Martyrum nominatur?* Addit infra: *Non ergo aſpere quantum exiſtimo, non duriter, non modo imperioſo, iſta tolluntur; magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando. Sic enim agendum eſt cum multitudine; ſeveritas* autem exercenda eſt in peccata paucorum. Idem S. Doctor Tract. 10. in Evangel. Joann. ita populum alloquitur: *Vides alios currere, & inebriari velle, & hoc velle in locis ſanctis, quod nuſquam decet; prohibe quos potes &c.*

XII. At quoniam in laudata Epiſtola 64. inquit *Auguſtinus* gratius Deo ac Martyribus, utiliuſque piis hominibus futurum, ſi epulæ non ab offerentibus abſumerentur, ſed in pauperes erogarentur; heic alia ritus hujuſmodi ſpecies eſt explicanda, quæ & ipſa a Chriſtianis Eccleſiis demum exulare coacta fuit. Nonnulli ſiquidem ut Baſilicis, ac Cœmeteriis SS. Martyrum reverentiam oſtenderent, atque ebrietatis ſuſpicionem declinarent, ita ſe continebant, ut illuc quidem dapes deferrent, ſed eas deinde aut domi ſuæ comederent ipſi, aut indigentibus elargirentur. Africam pervaſit iſta conſuetudo, & S. Auguſtinus lib. 8. cap. poſtremo de Civ. Dei rem his verbis commemorat. *Quæcumque adhibentur religioſorum obſequia in Martyrum locis, ornamenta ſunt Memoriarum non ſacra vel ſacrificia mortuorum, tamquam Deorum. Quicumque etiam epulas ſuas eo deferunt, quod quidem a Chriſtianis melioribus non fit & in pleriſque terrarum nulla talis eſt conſuetudo tamen quicumque id faciunt, quas quum appoſuerint orant, & auferunt, ut veſcantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, ſanctificari ibi eas volunt per merita Martyrum*. Quoniam vero mos iſte Mediolanenſi potiſſimum in Eccleſia obtinuit, locus poſcit, ut mihi inter paucas chariſſimæ Urbis antiquitates heic percurram. Primo igitur invenio Mediolanenſes conſueviſſe ad Martyrum Baſilicas, atque illic opipara Convivia ad ebrietatem uſque agitaſſe, imprudenter arbitratos, per adeo abſurdum obſequium preces ac vota felicius in Coelis exaudienda. At S. *Ambroſius* pium vulgi terrorem minime ferens, ita in eos ſcribit lib. de Elia & Jejuno cap. 17. *Et* hæc vota ad Deum pervenire judicant, ſicut illi, qui calices ad ſepulcra Martyrum deferunt, atque illic ad veſperam bibunt, & aliter ſe exaudiri poſſe non credunt. O ſtultitiam hominum, qui ebrietatem ſacrificium putant, qui æſtimant illis ebrietatem placere, qui jejunio paſſionem ſuſtinere didicerunt. Hæc Sanctiſſimus Antiſtes, eodem, quo Nazianzenus, argumento uſus, ut Fideles ab hoc delirio compeſceret. Imo tametſi complures Mediolani forent, qui ſobrie ad iſta Convivia accederent, aut epulas ad ſepulcra Martyrum ferrent, pauperibus deinde diſtribuendas, ne hoc quidem tulit *Ambroſius*, ut omnis aditus reliquorum intemperantiæ precluderetur. Vulgatiſſimum eſt quod matri ſuæ *Monicæ*, dum ageret Mediolani, contigiſſe, S. *Auguſtinus* tradit. Uti in Africa in more poſitum erat ad Mediolanenſium martyrum tumulos detulerat illa quaſdam dapes partim a ſe libandas,

par-

partim pauperibus diſtribuendas. Verum ubi ab Oſtiario didicit, interdictam ab *Ambroſio* Epiſcopo conſuetudinem illam fuiſſe, continuo paruit, ne ipſam quidem interdicti cauſam ſciſcitata. Lib. 6. cap. 2. Confeſſ. rem ita prodit Auguſtinus: *Quum ad memorias Sanctorum ſicut in Africa ſolebat, pultes & panem, & merum attuliſſet, atque ab Oſtiario prohiberetur ubi hoc Epiſcopum vetuiſſe cognovit, tam pie tam obedienter amplexa eſt, ut ipſe miraretur, quod tam facile accuſatrix potius conſuetudinis ſuæ, quam diſceptatrix illius prohibitionis effecta ſit.* Explicat autem *Auguſtinus* quomodo ritus ejuſmodi a matre perageretur, nempe; *quum attuliſſet caniſtrum cum ſolemnibus epulis perguſtandis, atque largiendis* (hoc eſt inopi vulgo diſtribuendis) *plus etiam quam unum pocillum pro ſuo palato ſatis ſobrio temperatum, unde dignationem ſumeret, non ponebat.*

XIII. Ceterum quare conſuetudinem hanc abrogarit S. *Ambroſius*, licet in pauperum utilitatem cederet, juvat ab eodem *Auguſtino* diſcere qui hæc infra ſubdit: *Itaque ubi comperit a præclaro prædicatore atque Antiſtite pietatis, præceptum* eſſe iſta non fieri nec ab eis, qui ſobrie facerent, ne ulla occaſio ſe ingurgitandi daretur ebrioſis, & quia illa quaſi Parentibus *talia ſuperſtitioni Gentilium eſſent ſimillima, abſtinuit ſe libentiſſime, & pro caniſtro pleno terrenis fructibus plenum purgatioribus votis pectus ad Memorias Martyrum afferre didicerat.* Habes heic *Ambroſii* prudentiſſimi & ſanctiſſimi viri decreta, ut a Baſilicis Martyrum tumulentiæ, & ſuperſtitionis periculum averteretur. Verum non ita potui hic uſus antiquari, ut illum populus vetuſtorum rituum tenaciſſimus omnino ejuraret. Ejuſdem veſtigia temporibus etiam S. *Caroli* reſtabant, quum in quibuſdam ſacris piarum ſodalitatum ædibus Convivia ſtatis diebus agerentur, eaque pietatis ſpecie. Idcirco S. *Carolus* in Con. Provinc. 1. parte 3. Conſtitutionum Cap. de piorum locor. adminiſtr. hæc ſtatuit: *Curent Epiſcopi ut retento piæ eleemoſynæ inſtituto tollantur publicæ illæ comeſſationes, ceteraque hujus generis, quæ a Sodalitatibus, quas Confratrias, vel Confraternitates vocant, præſertim intra ambitum Eccleſiarum die Pentecoſtes, & die Cœnæ Domini, & certis aliis ſolemnibus Feſtis diebus pietatis ſpecie fieri ſolent, non ſine bonorum offenſione.* Similia iterum ab eodem ſanctiſſimo Archiepiſcopo conſtituta ſunt in Concilio Provinc. 3. cap. 1. Atque hæc de Mediolanenſi Eccleſia ſint ſatis Sancti enim *Ambroſii* verba lib. 7. num. 43. in Evang. Lucæ examinanda aliis relinquo. Addam heic, in Ravennate etiam Eccleſia morem hunc ſæculo Chriſti quinto valuiſſe; ita quippe illum improbans, S. Petrus Chryſologus Auditores ſuos alloquitur Serm. 129. *Noli, æſtimare chariſſime, quod in ſolis prandiis & profuſioribus epulis Natales Martyrum celebrentur.*

XIV. Atque hactenus quot in provinciis, atque Eccleſiis Convivia in SS. Martyrum honorem celebrarentur, & quanto zelo aut ebrietatem ab iis, aut ipſa ab ædibus ſacris removere Epiſcopi ſtuduerint animadvertimus. Nunc quid Concilia Sacra conſtituerint hac de re, nobis eſt inveſtigandum. Mitto Laodicenam Synodum Can. 27. Carthag. 3. cap. 30. Tullanam Can. 74. Aurelianenſem cap. 12. Autiſſiodenſem Can. 9. aliaſque Synodos, in quibus *Agapæ* univerſæ & Conviviorum in Baſilicis conſuetudo omnis proſcribitur, in præſentia oſtenſurus, quomodo peculiares illæ Ægæ, de quibus nobis eſt ſermo, abrogatæ fuerint. Concilium ut appellatur Africanum, ſeu Collectio variorum Canonum Afrorum ſub hoc nomine facta, cap. 27. hæc decernit: *Illud etiam a religioſis Imperatoribus petendum, ut quæ contra præcepta divina, Convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore Gentili attracta ſunt, veteri talia jubent, & de civitatibus & de poſſeſſionibus, impoſita pœna prohiberi; maxime quum etiam in Natalibus beatiſſimorum Martyrum per nonnullas Civitates, & in ipſis locis ſacris talia committere non reformident.* Eadem repetita videas in Codice Græco-Latino Canonum Africanæ Eccleſiæ cap. 60. Quo autem Anno, & quo in Concilio Africani Patres iſta decreverint, conjecit *Gothofredus* in Comment. ad l. 17. Cod. Theod. Tit. *de Paganis, Sacrificiis, & Templis*, ſcribens in Concilio Carthaginienſi V. Anno 399. petitionem hanc inſtitutam fuiſſe; ſiquidem eodem Anno XIII. Kal. Septembr. promulgavit laudatam Legem *Honorius* Auguſtus, in qua hæc habentur; *Ut profanos ritus jam ſa-*

lubri

lubri Lege ſubmovimus, ita Feſtos Conventus Civium, & communem omnium lætitiam non patimur ſubmoveri. Unde abſque ullo Sacrificio, atque ulla Superſtitione damnabili, exhibere populo voluptates ſecundum veterem conſuetudinem, inire etiam Feſta Convivia, ſi quando exigunt publica vota, decernimus. Nempe ut *Gothofredo* videtur, hac lege *Honorius* piis Africanorum Patrum petitionibus reſpondet non ipſa quidem damnans Convivia, ſed ea ab omni Paganorum ſuperſtitione expurgans. Verum an Carthaginienſium Patrum petitio quidquam conveniat cum Imperatoris Edicto, vehementer dubitare cogor. Epiſcopi *Convivia* illa vetita cupiunt: lex autem decernit, fas eſſe *inire etiam Feſta Convivia*. Tum Convivia ab Imperatore permiſſa non eadem videntur, ac celebrata intra ſacrarum ædium ambitum in honorem SS. Martyrum, ſed potius quæ publice, & profanis de cauſſis, & procul a Templis olim peragebantur, qualia certe Kalendis Januariis diu uſurpata ſunt, ſeu in Feſtis Bacchi (Brumalia nomen iis erat) ſeu publicorum Ludorum, atque Votorum die, ſimilibuſque aliis temporibus.

XV. Quamquam vero ſenſim ſublata e Chriſtiano grege adeo patentia intemperantiæ pericula fuerint, & præcipue e Martyrum Baſilicis, ita tamen abrogari conſuetudo non potuit, ut privatis ſaltem in domibus Feſti ſanctorum dies, Templorumque Dedicationes, Conviviis opiparis non celebrarentur. Quamobrem *Sidonius* Apollinaris ad Baptiſterii Dedicationem invitatus his verbis ad *Elaphium* ſcribit lib. 4. Epiſt. 15. *Epulum multiplex, & capaciſſima lectiſternia para plurimis viis, pluribus turbis. Ita bonorum contubernio ſedit* &c. At quum non in ædibus ſacris, ſed in *viis*; uti *Sidonius* ipſe teſtatur, Epila ejuſmodi parari ſolerent, ſobrietaſque, ut puto, primum illic locum teneret, non fuit cur ille mos improbaretur. Conſtat idem ex *Gregorio* Turonenſi lib. 2. cap. 16. de Mirac. S. *Martini*. Nauta quidam ſolemnem Epiphaniorum diem, epulantibus aliis, præ inopia atque ciborum defectu jejunus celebrare cogebatur. Invocato S. *Martino* in ejus ratem ingens piſcis inſiluit, quo vendito & ipſe cum aliis Feſtum diem inter epulas modeſta hilaritate egit. Ceterum huc potiſſimum facit, quod Anglis recenter ab Idolorum cultu ac Chriſti fidem converſis conceſſit *Gregorius* Magnus. Impios profanæ religionis cultus, & Convivia præcipue ſolemnioribus diebus agi ſolita reprobari prorſus non patiebantur Angli. Quare Sanctiſſimus Pontifex eorum conſuetudinis ſatis conſultum cenſuit, ſi Chriſtianis mentibus dignam faceret, atque expurgaret. Indulſit ergo, ut non in ipſis ædibus ſacris, ſed circa eaſdem, Convivia, & compotationes haberi poſſent ad ſatietatem uſque, non ad intemperantiam. Audi quid ille ad *Mellitum* Abbatem Epiſt. 71. lib. 9. ſcribat. *Quia boves ſolent* (Angli) *in ſacrificio Dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua ſolemnitas immutari, ut die dedicationis, vel natalitio SS. Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula ſibi circa eaſdem Eccleſias, quæ ex Fanis commutatæ ſunt, de ramis arborum faciant, & religionis Conviviis ſolemnitatem celebrent, & donatori omnium de ſatietate gratias referant, ut dum eis reliqua exterius gaudia reſervantur, ad interiora gaudia conſentire facilius valeant.* Ita Paganorum ſacrilegia in SS. Martyrum honorem tranſlata ſunt atque ebrietate a Baſilicis atque Conviviis remota, publicam lætitiam ſobrietas ac temperantia ſacravit. Noſtra autem ætate in nonnullis Belgii Civitatibus, & pagis hujuſmodi Convivia obſervantur, ubi Templorum Dedicationes Sanctorumque Patronorum ſolemnia per annum recurruntur, uti fidem facit C. V. Chriſtianus Lupus in Scholis ad Can. 74. Synodi Trullanæ; ſed cum iſte mos a ſacris Baſilicis longe exerceatur, ibique modeſtiam ac temperantiam non deſideras nihil eſt, cur juſtam illam populorum hilaritatem moleſte feramus. Non tulit quidam Baſilienſe Concilium Seſſ. 21. *turpem illum abuſum in quibuſdam frequentatum Eccleſiis quo certis anni ſolemnitatibus &c. comeſſationes, & Convivia ibidem præparent* &c. Verum jure decretum hoc promulgavere Baſilienſes Patres, quippe quod intra Baſilicas ipſas comeſſationes peragebantur. Non ab iis diſſimiles, quas tum Nazianzenus noſter, tum reliqui, ut vidimus, Eccleſiaſtici ſcriptores acribus verbis ſunt perſequuti.

XVI. Itaque jam, ut reor, dilucide perſpeximus, convivia primi in SS. Martyrum

Digitized by Google

tyrum honorem celebrari ex indulgentia Patrum conſueviſſe , deinde quod ebrietas & luxus vitiarent inſtituti hujus fructum a ſacris . Templis eliminata fuiſſe unaque cum eis omnem *Agaparum* uſum . Certe noſtris temporibus atque in Italia præſertim aut nulla hujuſmodi Convivia , aut ſaltem procul a Domo Dei , peraguntur , quum in animis populorum jam alte inſidiat , non epulis corporiſque voluptatibus , ſed ſpiritus hilaritate , pioque cultu amorem atque obſervantiam erga ſanctos Martyres eſſe prodendam . Ex his porro , quæ hactenus commemorata ſunt , etiam diſcimus , ne eos quidem ritus interdum in Eccleſia , Dei ferendos eſſe , qui tametſi aliquam a pietate originem habeant , abuſibus tamen nimis contaminantur . Non enim inficiari poſſumus, quin *Agapæ* in Martyrum Natalitiis peractæ, ideo Chriſtianæ plebi placerent , quod gratiſſime cœlitibus crederentur : quæ pia opinio fecit, ut ab Epiſcopis toleratæ aliquamdiu fuerint . At quandoquidem in illam conſuetudinem tot abuſus irrepſerant, ſatius viſum eſt, ritum non ſacrilegium prorſus tollere, quam ullam pietati communionem cum vitis relinquere.

XVII. Sed jam ſatis ſuperque de hujuſmodi argumento, cui optaſſem amantiſſime *Boivini*, major jucunditas ineſſet, quo tibi ſeverum Philoſophum agenti crearetur in legendo aliqua honeſta voluptas. Novi enim novi, te fere tam parum remittere de gravibus literarum ſtudiis , ut in Regia Bibliotheca perpetuo abditus , e remi potius , quam ampliſſimæ Urbis incola videare . Tu tamen qualecumque ſit , hoc pignus amoris, & obſequii erga te mei pro tua benevolentia complectere , et numquam patiare, familiaritatem noſtram aut longinquitate locorum , aut progreſſu temporum intercidere. Vale.

AD CAPUT VIII.

JO. LAMIN

De re veſtiaria hominis Chriſtiani primitivi.

DISSERTATIO XVI.

SED in habitum primitivorum Chriſtianorum , adrepta heinc occaſione, paulo curoſius inquiramus ; de iis ſcilicet veſtibus breviter differentes, quæ in novi Fœderis libris memorantur, & a Chriſtianis geſtari ſolitas, vel inde vel ex aliis antiquis Scriptoribus, intelligimus. Non quod communi eos aliorum veſtitu uſos non exiſtimemus, ſed quod communem hunc habitum in homine Chriſtiano contemplari nunc lubeat , dum jucundæ varietatis lenocinia & illecebras in noſtro hoc commentario affectamus .

Jam ſine pileo interdum, & galero , aliove capitis tegimine, proceſſiſſe perſpeximus ; quod quidem ex antiquis Chriſtianorum picturis ſimulacriſque confirmatur, ut apud *Aringhum in Roma ſubterranea*, & *Bonarotium* in *Vitris illuſtratis* & *Lambecium Lib. 11. Commentarior. Cap. VIII.* & *Libro III.* videre eſt ; atque id præcipue in uſum apud Judæos fuiſſe obſervat *Calmetius Diſſert. de re Veſtiar. Hebræorum*. Ceterum & ſi antiqua Ethnicornm hominum ſimulacra, imagineſque, ſpectemus capite nudo fere ſemper intueri ea licet, ut *Cimeliarchium Mediceum* inviſentibus & antiquarios libros conſulentibus, patet. Hæc tamen vere de viris dicta ſunt; de fœminis aliter ſentiendum. Sed non ſtatim exiſtimandum nullo ſemper tegimine caput habuiſſe primos illos Chriſtianos ; nam *Joannem* Apoſtolum auream laminam in fronte geſtaſſe, auctor eſt *Polycrates Epheſi* Epiſcopus apud *Euſebium Lib. V. Hiſt. Eccleſ. Cap. XXIV.* & ex eo *Hieronymus de Vir. Illuſtr.* & id quidem portaviſſe , tamquam Jeſu Chriſti Pontificem; nam Pontifices Hebræorum primi illi Epiſcopi imitabantur; quod loco citato *Euſebius* ſubindicat, adſtruitque ad annum XXXIV. *Baronius*. *Epiphanius Hereſ.* LXXVIII. memoriæ prodidit, ſimile Sacerdotii *Jacobum* etiam Minorem Apoſtolum portaviſſe ; Anonymus autem Auctor *Actor. D. Marci* quum *Marcum*

Evan-

Digitized by Google

Evangeliſtam ex *Aaronis* genere deduxiſſet, eum *pontificalis apicis petaſum* geſtaviſſe, litterarum monumentis conſignavit. *Actorum Apoſtolicorum Cap. XIX. Pauli* ſudaria memorantur, quæ quidem *Theophylactus*, & *OEcumenius*, ad eum locum auctores ſunt, capiti imponi ſolita fuiſſe; & *Theophilacti* verba producemus inferius, ubi de ſemicinthiis agendum fuerit. Et quidem *Lazari* facies ſudario erat ligata, ut ſcribit *Joannes* Cap. XI. 44. Et Cap. XX. v. 7. ubi de linteaminibus, quibus Chriſtus mortuus involutus fuerat, agitur: *Et ſudarium quod fuerat ſuper caput ejus*. καὶ τὸ σουδάριον ὃ ἦν ἐπικεφαλῆς αὐτῶ. *Gregorius Magnus* quoque *Lib. III. Ep. XXX.* ſcribit *B. Pauli* ſudarium Romæ cum reliquis ejus lipſanis exſtitiſſe. Hic obiter tantum obſervaverim *Nonnum Panopolitanum*, elegantem *Joannis* Evangeliſtæ paraphraſten, vocem σουδάριον ὃ ἦν ἐπὶ κεφαλῆς αὐτῶ *Syram* exiſtimaſſe, quum *Latinam* linguam penitus ignoraret; & de eo quædam ſcitu non indigna habere *Jo. Jac. Chifletium Chriſis hiſtor. de linteis Sepulcral. Chriſti Cap. V. & ſeqq.* ut nihil de *Sviccro*, & *Calmetio* in ſuis lexicis dicam. Sed apud laudatum *Aringhum* Sanctorum Martyrum *Abdon* & *Senen*, *Perſarum*, imagines tamquam Phrygio galero tectæ conſpiciuntur, quali etiam trium puerorum Ebrueorum in ignem in *Perſide* conjectorum ſimulacra apud eumdem ornata cernuntur: tali etiam capitis tegumento Magi Chriſtum adorantes ibidem exhibentur. In veteribus quoque Chriſtianorum picturis & imaginibus circulum quemdam, ſeu diſcum caput & crines ambientem videre eſt; ſed quum ille non aliquod frontis velamen indicet ſed præcipui honoris inſigne & ornamentum, quo Deorum ſimulacra veteres Ethnici, & Imperatorum deinde ſtatuas decorarunt, ut apud *Bonarotium* opere ſuperius laudato videre eſt, & quod quidem proprio vocabulo *Nimbus* adpellabatur; de eo nunc agere ſuperſedemus. At quocumque operimento antiquiſſimi Chriſtiani caput tegerent, certe neceſſitatem, non ornatum reſpiciebant, quare nec ſertis, nec floribus Ethnicorum more, redimiti, aut aliter ornati procedebant; quod *Q. Septimius Tertullianus* toto *de Corona Militis* volumine inſinuat, ubi & generalem conſuetudinem adſtruit his verbis: *Omnes ita obſervant a catechumenis uſque ad Confeſſores, & martyres, vel negatores*. Et diſerte quoque docet *Clemens Alexandrinus Lib. II. Pædagog. Cap. VIII.* ubi etiam quatenus & quomodo Chriſtiani homines unguentis & floribus uti debeant, ſapienter oſtendit: quamquam eos, qui baptizati fuerant, ſertis ornari ſolitos fuiſſe, docet ex vetuſtis auctoribus *Jo. Bapt. Caſalius de Veter. Chriſtian. Ritibus Part. II. Cap. V.* At non tantum ullo tegimine, aut ornatu capitis, antiquæ Chriſtianorum imagines proſtant ut plurimum, verum etiam attonſis brevibuſque capillis; quod quidem non Chriſtianorum peculiare, ſed Ethnicorum etiam virorum commune fuiſſe, vetuſta, quæ ſuperſunt ſimulacra maniſeſtiſſime comprobant; & conſulendus eſt ſuper hoc *Salmoſius* ad *Tertullianum de Pallio*. Et quidem Apoſtolus *Paulus Corinthiis* ſcribens, virum detecto ac nudo capite laudaverat, & quadam veluti naturæ lege tonderi debere demonſtrarat, ut ejus quidem verba, quæ producentur inferius, aperte ſignificant. Hinc *Tertullianus Lib. De Velandis Virginibus* ſcribit: *Horum certe omnium contraria efficiunt, ne vir caput velet: ſcilicet quia non ſit naturaliter conſequutus ambitionem capillorum quia radi ſive tonderi non ſit turpe illi*. Capitis tamen tonſura ea fuiſſe videtur, ut crines non ad cutem raſi ac reſecti, ſed decurtati tantum & attonſi eſſent, ut quidem vetuſta ſimulacra præſeferunt; & *Actorum Cap. XVIII. Lucas* tradit ſeu *Paulum* ſeu *Aquilam* (nam ambigua lectio eſt) in Cenchris ſe totondiſſe, & quidem ex voto, more *Nazaræorum*, quod forte ex morticinio, ut *Cajetanus* putat, pollutus fuiſſet: quamquam tunc capilli ex Nazaræorum inſtituto creſcere potuiſſent; de quo conſulatur *Tillemontius* in *Paulo Art. XXVI.* Ceterum *Paulum* Apoſtolum non brevibus tantum crinibus, ſed etiam recalvaſtrum, fuiſſe docet *Philopatridos* Auctor ſupra laudatus, ſic enim illum deſcribit: ἡνίκα δέ μοι Γαλιλαῖος ἐνέτυχεν ἀναφαλαντίας ἐπίῤῥινος, ἐς τρίτον οὐρανὸν ἀεροβατήσας. *Quando autem me Galilæus ille convenit, recalvaſter, naſo aquilo, qui in tertium uſque Cælum per ærem ingreſſus eſt*. Ex hoc ignoti illius Auctoris teſtimonio liquido exſtit, minus vere Apoſtolum, in vetuſta quadam ærea pulcherrimaque *Gazæ Medicæ* lucerna, quæ navem, *Petro* gubernaculo in puppi moderante,

Paulo

Paulo vero in prora prædicante, myſticam refert, capillis etiam in fronte criſpantibus repræſentari, licet brevibus illis & per ambitum concinne attonſis; minus etiam vere crinibus ſimilibus in antiquis vitris apud *Bonarotium* exhiberi, niſi quod *Tab. X.* & *XVI.* etiam calvus depingitur. Itaque Chriſtiani ut plurimum antiquitus tonſi, quod luculentius eminet ex *Cap.XI.v.14. Epiſtolæ 1. ad Corinthios*, ubi *Paulus* ita ſcribit: *Nec ipſa natura docet vos, quod vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi. Mulier vero ſi comam nutriat, gloria eſt illi; quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt*. Et paulo ante dixerat: *Omnis mulier orans, aut prophetans, non velato capite deturpat caput ſuum: unum enim eſt ac ſi decalvetur. Nam ſi non velatur mulier tondeatur. Si vero turpe eſt mulieri tonderi vel decalvari, velet caput ſuum*. Hinc *Actor. Cap. XXI.* quibuſdam ut capita radant injungitur; & hinc non mirum, ſi *Prudentius Hymno in Cyprianum* indicat, Sanctum hunc Martyrem, ſtatim ac Chriſtianus effectus eſt, caput totondiſſe, promiſſamque decurtaſſe cæſariem:

> *Deſlua Cæſariries compeſcitur ad breves capillos.*

Hinc irriſor ille, Dialogi, qui *Philopatris* inſcribitur, Auctor, Chriſtianum quemdam deſcribit κεκαρμένον τὴν κόμην, *attonſa coma*, & huc forte adludens alibi Chriſtianos κεκαρμένους τὰς γνώμας καὶ διάνοια, *detonſos mente & ſententiis* adpellat. Auctor autem *Conſtitutionum* Lib. I. Cap. III. τὴν τρίχα τῆς κόμης *comæ capillum* nequis nutriat jubet. Sed rem magis in propatulo collocat laudatus *Prudentius Hymno in Hemitherium* & *Chelidonium*, ubi ait ignorari, an longa cuſtodia detenti, vincliſque & catenis obligati, *longum capillum paverint*, hoc eſt, comam alias brevem, & crebro attonſam, quum aliter fieri non poſſet, aluerint.

> *Hoc tamen ſolum vetuſta ſubtrahunt ſilentia*
> *Jugibus longum catenis an capillum paverint.*
> *Quo viros dolore tortor, quave pœna ornaverit.*

Nec obſtat quod idem *Prudentius Agone Hippolyti* Chriſtianos crinitos vocet.

> *Carcereo crinita ſitu ſtare agmina contra*
> *Juſſerat, horrendis excrucianda modis.*

Nam ſignanter crinita dixit, quod carceris cuſtodia cohibiti manibuſque revincis præpediti, ſe de more tondere non potuiſſent. Hinc *Hieronymus* ad *Euſtochium*, De cuſtodia virginitatis, viros improbat, *quibus fœmminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba &c.* Quod ſi teſtes non adeo antiquos producere lubet, certe apud P. *Lambecium Lib. II. Comment. de Biblioth. Cæſar. Cap. VII.* pictura quædam Evangeliſtarum ex vetuſto codice exhibetur, in qua *Lucas* tonſura in coronæ ſpeciem efformata cæſariem habet circumciſam, quali fere Franciſcani & Dominicani Monachi utuntur. Sed licet illa omnia, quæ hactenus diſſeruimus, aut certa, aut ſaltem probabilia videantur, nihilo tamen minus univerſas fere Jeſu Chriſti imagines capillo oblongo, & in humeros defluente, cernere eſt, cum apud *Aringhum*, tum in nummo æreo Chriſtiano, quem eruditis Commentariis Eques *Victorius* nuper illuſtravit. Apud *Bonarotium Tab. IX. Fig. 1.* Chriſtus cernitur coma quidem non admodum prolixa, ſed duobus hinc inde concinnis attorta, uti etiam occurrit in Vitro apud *Aringhum* laudatum *Lib. IV. Cap.L.* Et Chriſtum quidem criſpos concinnatoſque capillos habuiſſe tradunt *Theodorus Lector*, *Damaſcenus*, *Theophanes*, & *Suidas in* εἰκὼν, ut apud *Cangium* Diſſ. de inf. ævi Numis. n. XXVIII. videre eſt. Ceterum brevibus etiam attonſiſque capillis Chriſtus occurrit in vetuſtis imaginibus apud *Bonarotium* ſæpe memoratum. Sed & *Jacobum* Minorem Apoſtolum, *Hegeſippus* apud *Euſebium* & *Hieronymum*; & *Joannem* Evangeliſtam numquam capillos totondiſſe, ſcribit *Epiphanius* Hæreſ. XXX. Cap. XXIV. Attamen dubium non eſt, quin Chriſtianorum plerique capillos ſaltem circumciderent, ut vidimus; barbam vero nutrirent, de qua jam agendum. Et profecto veteres prope omnes Chriſtianorum picturæ Chriſtum, & Apoſtolos barbatos ſpectantium oculis obferunt; & quin tunc temporis in Oriente & in *Græcia* barbam alere in uſu eſſet, non video cur ambigendum ſit; licet apud Ro-

Romanos ſerius id inductum fuerit, *Hadriani Cæſaris* ætate videlicet, ut ex antiquis numiſmatis conſtat. *Tertullianus* autem *de cultu fœminarum*, dum viros barbam acrius cædentes & intervellentes, formamque excolentes, damnat, contrarium uſum probare maxime videtur. *Siquidem & viris propter feminas*, inquit, *& feminis propter viros, vitio naturæ ingenita eſt placendi voluntas. Propiaſque præſtigias formæ & hic ſexus ſibi adgnoſcit, barbam acrius cædere, intervellere, circumdare capillum, diſponere, etiam colorare canitiem, primamquamque ſubducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri diſtinguere, cetera pulveris cujuſdam aſperitudine levigare, tum ſpeculum omni occaſione conſulere, anxie inſpicere; quum tamen cognito Deo, adempta placendi voluntate, per luxuriæ vacationem, omnia illa ut ocioſa, ut hoſtilia pudicitiæ, recuſantur. Auctor Conſtitutionum Lib. I. Cap. III.* χρὴ δὲ οὐδὲ γενείου τρίχα διαφθείρειν, καὶ τὴν μορφὴν τοῦ ἀνθρώπου παρὰ φύσιν ὑπαλλάττειν. *Oportet præterea non barbæ pilum corrumpere, nec formam hominis contra naturam mutare.* Sed, ut quæ barbæ apud antiquos Chriſtianos cura eſſet, & capillorum etiam, nam utraque adfinia, diſtinctius intelligatur, verba eruditiſſimi *Clementis* huc tranſcribenda ſunt ex lib. III. Pædag. cap. XI. quæ ita habent: τριχῶν δὲ πέρι. ταῦτα δοκεῖ. Ψιλὴ μὲν ἡ τῶν ἀνδρῶν κεφαλή. πλὴν εἰ, μὴ οὔλας ἔχοι τὰς τρίχας. λάσιον δὲ τὸ γένειον· αἱ δὲ συνεστραμμέναι τῶν τριχῶν, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς μὴ καθιείσθωσαν ἄγαν, εἰς πλοκάμους καταλισθαίνουσαι γυναικείους· ἀποχρῶ γὰρ τὸ γένειον τοῖς ἀνδράσιν. Εἰ δέ τις καὶ κείροιτο τι τοῦ γενείου, οὐ μέντοι παντελῶς ψιλωτέον αὐτό. αἰσχρὸν γὰρ τὸ θέαμα. καὶ κατέγνωσται ἡ τοῦ γενείου ἐν χρῷ κουρὰ παρατίλσει καὶ λειότητι γειτνιῶσα.... ἐπεὶ δὲ οὐχ ὡραϊσμοῦ χάριν ἡ κουρὰ παραληπτέα, διὰ περίστασιν δέ· τὰς μὲν τῆς κεφαλῆς τρίχας. ὡς μὴ αὐξόμεναι τὰς ὄψεις ἐμποδίζοιεν καταβαίνουσαι· καὶ ἴσως τὰς ἐπὶ τῷ μυστακίῳ μολυνομένας κατὰ τὴν τροφὴν περικαρτέον. οὐ ξυρῷ. ἀγεννὲς γὰρ ἀλλὰ ταῖς δυσὶν μαχαίραις ταῖς κουρικαῖς. τὰς δὲ τοῦ γενείου, μηδέν τι παραλυπούσας, οὐχ ὀχλητέον. σεμνότητα μὲν τὸ ἐπιτήδευμα καὶ κατάπληξιν γεννητικὴν ἐμποιοῦσας. *De pilis autem ita videtur. Virorum quidem caput ne ſit hirſutum, niſi forte pilos criſpos habeat, barba autem hirſuta. Intorti autem capilli, ne a capite nimirum demittantur, in comam muliebrem dilabentes: viris enim barba ſufficit. Quod ſi quis etiam barbam nonnihil tondeat, ea tamen non eſt omnino denudanda, eſt enim turpe ſpectaculum: barbæque ad cutem uſque tonſura non videtur multum abeſſe avulſione & levore.. ...... Quoniam autem non decoris gratia tonſura, ſed propter alias accipitur circumſtantias, pili autem capitis ut ſuccreſcant, & deſcendentes viſum impediant, & forte qui in ſuperiori labri parte inter comedendum polluuntur, tondendi ſunt non novacula, eſt enim illiberale, ſed duabus tonſorum forficibus. Barbæ autem pili, qui nihil moleſtiæ adferunt, non ſunt vexandi, ut qui vultui gravitatem adferant, & quemdam paternum terrorem incutiant.* Jam vero aliquid de capitis muliebris cultu delibandum. Non enim de viris tantum agere nobis propoſitum eſt, ſed quatenus præfixa brevitas patitur de muliebribus etiam indumentis quædam obiter differere.

Feminas obnupto capite proceſſiſſe, ſaltem dum orarent, aut prophetarent ex Apoſtoli præcepto ad Corinthios primum ſcribentis colligere eſt. Nam *Cap. XI.* ita inſit: *Omnis autem mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput ſuum; unum enim eſt ac ſi decalvetur. Nam ſi non velatur mulier tondeatur. Si vero turpe eſt mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput ſuum.......... Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos.* Et quidem Chriſtianas olim feminas intonſas fuiſſe, elucet etiam ex *Clemente* Alexandrino, qui dum capitis cultum mulieribus præſcribit, comas eas aluiſſe perſpicue indicat, *Lib. III. Pædag. cap. XI.* Ταῖς γυναιξὶ δὲ ἀπόχρη μαλάσσειν τὰς τρίχας, καὶ ἀναδεῖσθαι τὴν κόμην, ἁπλῶς περόνῃ τινὶ λιτῇ παρὰ τὸν αὐχένα, ἀφελεῖ θεραπείᾳ συναυξούσαις εἰς κάλλος γνήσιον τὰς σώφρονας κόμας. Καὶ γὰρ αἱ περιπλοκαὶ τῶν τριχῶν αἱ ἑταιρικαὶ καὶ αἱ τῶν σειρῶν ἀναδέσεις; πρὸς τῷ εἰδεχθεῖς αὐτὰς δεικνύναι κόπτουσαι τὰς τρίχας ἀποτίλλουσαι ταῖς κανάβοις ἐμπλοκαῖς......... Ἀλλοτρίων καὶ αἱ προσθέσεις τριχῶν, πάλιν ἐκβλητέαι, ἀθεώτατόν τε ἐπισκευάζεσθαι τῇ κεφαλῇ φηλῇ τὰς κόμας, ἀθεώτατον, νεκροῖς ἐνδιδυσκούσαις πλοκάμοις τὸ κρανίον. *Mulieribus autem crines mollire ſufficit & tenui aliqua fibula comam adligare frugaliter, ſimplici cultura pudicas comas in veram & germanam pulchritudinem alentibus. Meretricii enim pilorum plexus, & catenarum nexus, cum eas deformes reddunt, tum etiam pilos diſcerpunt* arti-

Digitized by Google

artificioſis inſertis vinculis evellentes .... *Alienorum autem capillorum adpoſitiones omnino rejiciendæ ſunt, & externas comas capiti adhibere, eſt maxime impium, quæ mortuis pilis cranium induunt*. Idem ex *Tertulliano de cultu feminarum* intelligitur: *Quid enim*, inquit, *tanta ornandi capitis oneroſitas ſalutem ſubminiſtrat? Quid crinibus veſtris quieſcere non licet, modo ſubſtrictis, modo relaxatis, modo ſuſcitatis, modo eliſis? Aliæ geſtiunt in cincinnis coercere: aliæ ut vagi & volucres elabantur non bona ſimplicitate. Adfigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quaſi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtum*. Lubenter hæc *Clementis* & *Tertulliani* loca protuli nam præter propoſitum, & illud oſtendunt, quæ ornatus capitis vanitas jam inter Chriſtianas feminas ſerperet. Certum alere comas feminis apud omnes æque gentes in uſu fuit, ut ex antiqua hiſtoria & vetuſtis ſimulacris intelligere eſt. Sed apud Judæos præcipue; quare legimus in Evangelio mulierem, quum Chriſti pedes lacrimis laviſſet, abſterſiſſe capillis, *Luca* referente *Cap.* 8. *verſ.*38. Caput quidem Chriſtianas feminas velaviſſe, jam ex adlatis Apoſtoli verbis percipiatur: ſed dum orarent aut prophetarent; verum uſu, & Patrum expoſitione, ut apud *Chryſoſtomum* ad hunc locum videre eſt, factum eſſe videtur, ut virgines & mulieres Chriſtianæ velatæ ſemper incederent. Hinc illud *Tertulliani de cultu feminarum*: *Deus vos velari jubet: credo ne quarumdam capita videantur. Clemens* autem *Alexandrinus Lib.* III. *Pædag. Cap.* XI. jubet: πλεον τιν ἐχέτω ἡ γυνὴ κεκαλύφθω. καὶ πάντα πλὴν εἰ μὴ οἴχοι τύχοι: *Hoc amplius habeat mulier; ſemper tecta ſit, niſi quum domi fuerit*. Virgines vero etiam velandas ex eodem Apoſtoli loco laudatus *Tertullianus* comprobat; & ex *Corinthiorum* ipſorum conſuetudine, *Libro de Virginibus velandis*. *Hodie denique*, inquit, *virgines ſuas Corinthii velant*. Et generale etiam antiquumque Eccleſiarum Apoſtolicarum inſtitutum adducit: *Sed eas ego Eccleſias propoſui, quas & ipſi Apoſtoli vel Apoſtolici viri condiderunt, & puto autem quoſdam. Habent igitur & illæ eamdem conſuetudinis autoritatem, tempori & anteceſſores opponunt magis quam iſtæ*. Quatenus autem velarentur indicat idem *Tertullianus*, dum laudato ſtatim libro abuſum quarumdam carpit, & inquit: *Mitris & lanis quædam non velant caput, ſed conligant a fronte quidem protectæ; qua proprie autem caput eſt, nudæ. Aliæ modice linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures uſque demiſſis, cerebro tenus operiuntur. Miſereor ſi tam infirmo auditi ſunt, ut pertegmen audire non poſſint. Sciant quia totum caput mulier eſt. Limites & fines ejus eo uſque poriguntur unde incipit veſtis. Quantum reſoluti crines occupare poſſunt, tanta eſt velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur*. Jam hæc omnia etiam ex antiquis Chriſtianorum imaginibus confirmantur, inter quas feminæ, aut ſparſis promiſſiſque crinibus, aut colligatis, & velamine tectæ, vario tamen modo, frequenter occurrunt, & inter orandum præcipue, ut apud *Aringhum* videre eſt *pag.* 475. 531. 537. 549. quamquam mulier capite nudo, ſed crinibus diffuſis, orans offenditur pag. 461. Quædam vero de virginibus, & ſponſis obſervanda; & eas quidem non velo ſæpe, ſed mitra, aut mitella, tantum caput ornaviſſe dicendum eſt ex *Tertulliano, De Velandis Virg.* & ex antiquis picturis apud *Bonarotium Tab. XVIII. fig. II. & Tab. XXI. fig. I.* Chriſtianas item ſponſas primis illis temporibus *Flammeum* non uſurpaſſe, utpote veſtem Ethnicorum ſuperſtitione profanam, ex antiqua nuptiarum pictura apud laudatum *Bonarotium Tab. XXI. fig. III.* intelligere datur: quod tamen velum adhibere in nuptiis contrahendis inſequentibus temporibus in uſu fuit, ut ex *Ambroſio Exhort. ad Virg. Cap.* VI. & *Epiſt.* XIX. *ex Epiſtola Siricii ad Eccleſiam Mediolanenſem adverſus errores Joviniani, ex Epiſtola Nicolai* I. *ad conſultationes Bulgarorum cap.* III. *ex Iſidoro de Divin. Offic.* cap. XIX. percipimus. In memorata tamen *figura* III. *Tab.* XXXI. ſponſa, veſtibus pretioſis ornata eſt, ut quidem communis conſuetudo ferebat, quod tamen minus probat *D. Paulinus in Juliani Epithalamio*. Non tamen inaures ſponſa habet, non monilia, ut pag. 154. *Bonarotius* obſervat, quum tamen exploratæ fidei ſit Chriſtianas feminas interdum ea geſtaviſſe, dum hunc luxum improbant Patres, *Clemens Lib.* III. *Pædag. cap.* XI. *Tertullianus de cultu feminarum*, *Cyprianus de habitu Virginum*. Adſcititia quoque capillamenta uſur-

T 2 pa-

pabant, ut ex laudatis Patribus eminet, & ornamenta quoque alia, quorum abuſum, quum nec illi, nec ipſe probem, feminæ primitivæ Chriſtianæ facile abjudicaverim. Sed quacumque modeſtia olim incederent feminæ Chriſtianæ, tamen dubitandum non videtur, ſecundo & tertio ſæculo, luxum & ſuperfluum capitis ornatum, veſtiumque pretioſarum uſum, apud eas invaluiſſe, ſi expendantur ea, quæ declamat *Tertullianus de habitu muliebri, & de cultu feminarum, & de Virginibus velandis*; atque inſuper *Clemens Alexandrinus Lib.* III. *Pædagogi*.

Jam de aliis veſtibus verba faciamus. Chriſtum pallio, & tunica, indutum fuiſſe, ex Evangeliſtarum commentariis elucet: nam *Joannis Cap. XIX. verſ. XXIII.* ita ſcribitur: οἱ οὖν στρατιῶται ὅτε ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν ἔλαβον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ καὶ ἐποίησαν τέσσαρα μέρη, ἑκάστῳ στρατιώτῃ μέρος, καὶ τὸν χιτῶνα. *Igitur milites, quum cruſixiſſent, Jeſum, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam.* Ubi obſervat *Salmaſius* τὰ ἱμάτια poſuiſſe Joannem pro τὸ ἱμάτιον ex Græce loquentium uſu, & ἱμάτιον heic pallium ſignificare; quod confirmari poteſt ex iis, quæ adducit eruditus *Suicerus* in ſuo *Rerum Eccleſiaſticarum Theſauro* voce ἱμάτιον. Quare *Euſebius lib. VII. Hiſtor. Eccleſ. cap. XVIII.* Servatoris ſtatuam, quæ *Paneade* proſtabat, διπλοΐδα indutam fuiſſe ait, hoc eſt, pallium duplicatum, quale cernitur apud *Bonarotium Ad vitra Tab. V. Fig. III.* ut explicat etiam laudatus *Salmaſius* dum ſub *Fr Franci* nomine ab *Dionyſ. Petavii* objectionibus ſe tueri conatur. Igitur duas Chriſti veſtes conſiderabimus, tunicam & pallium. Chriſti tunica eſt interior veſtis ut ex *Theophylacto ad Matthæum cap. V.* Intelligere eſt ubi ait: χιτὼν κυρίως τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον ὑποκάμισον. *Tunica proprie dicitur, quam ſubuculam vel induſium vocamus. Erat autem inconſutilis* ἄρραφος auctore Joanne loco laudato: ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄρραφος ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. *Erat vero tunica inconſutilis deſuper contexta per totum.* Hoc eſt, quum duo præcipue eſſent tunicarum genera, unum earum, quæ σχιστοί dicebantur & quum apertæ eſſent, fibulis, aut corrigiis conjungebantur; alterum earum, quæ nullis ejuſmodi vinculis connecterentur, ut noſtræ ſubuculæ ſunt, quum vel Textoris, vel Sartoris ope, jam undique clauſæ, & connexæ ſint; hujus ſecundi generis erat Chriſti tunica. Ἄρραφος autem, ideſt *inconſutilis* dicta eſt, non quod futuras nullas haberet, ſed quod ſciſſa & aperta non eſſet, nec iis fibulis necteretur, quæ ἐνδυταὶ dicebantur, ut late oſtendit doctiſſimus *Suicerus* in voce χιτών. Hujuſmodi tunicis etiam Apoſtoli uſi ſunt ut ex Chriſti præcepto intelligimus jubentis eis unam tantum tunicam geſtare *Matth. cap. X. verſ.* 10. μὴ πήραν εἰς ὁδὸν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον. Et *Marci VI. v.* 9. καὶ μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας. Et ita quidem Apoſtolos ſe veſtire conſueviſſe indicant etiam verba Chriſti *Lucæ cap. XXII. v.* 36. dicentis Apoſtolis ſuis: *Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. Joannis* autem *Cap. XXI. v.* 7. ſcribitur. *Simon Petrus, quum audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.* Sed quomodo locus hic explicandus ſit, inſerius docebimus. In *Actis* vero *Apoſtolorum Cap. XII. v.* 8. ubi de *Petro* vincto agitur, legitur: εἶπέ τε ὁ ἄγγελος πρὸς αὐτὸν, περίζωσαι καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. ἐποίησε δὲ οὕτω, καὶ λέγει αὐτῷ, περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου καὶ ἀκολούθει μοι. Ubi evidenter Tunica indicatur illo verbo περίζωσαι; nam tunica ſuccingebatur, ut ex loco *Joannis* ſtatim producto perſpicue elucet. Quod ſi apocryphorum ſcriptorum auctoritate fungi fas eſt, *Pſeudo-Abdias* Lib. V. §. XXI. *Joannem* Apoſtolum tunica uſum fuiſſe docet, & *Bartholomæum*, colobio, quod eſt tunica ſine manicis auctoribus; *Abb. Rubenio*, *ſ. Valeſio*, & *C. Cangio*, ut ipſius *Abdiæ lib. VII.* videre eſt. Hinc ad Apoſtolorum imitationem Chriſtiani quoque alii, ſeu potius conſuetudinem ſervantes, antiquis illis temporibus tunica induebantur. Si *Stephano* III. Papæ in Epiſtola ad *Hilduinum* Abbatem credendum eſt, *Dionyſius* Areopagita, colobio indutus, ei καθ' ὕπνον viſus eſt. Et quidem Monachi veteres, qui antiquum & primitivum Chriſtianorum habitum retinuiſſe videri poſſunt, tunica, vel colobio, utebantur *Rufinus* de Monachis *Tabenneriis*, ingentis abſtinentiæ viros vocat, *quibus uſus eſt indui colobiis, quaſi ſaccis lineis, & pelle confecta. Hieronymus* in vita *Hilarionis. Igitur octogeſimo ætatis*

tis anno, quum abſens eſſet Heſuſchius, quaſi teſtamenti vice, brevem manu propria ſcripſit epiſtolam, omnes divitias ſuas ei derelinquens, Evangelium ſcilicet, & tunicam ſaccineam, cucullam, & palliolum. Idem ſaccum alio loco adpellat: *Igitur ſacco tantum membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus* Antonius *proficiſcenti dederat, ſagumque ruſticum.*

Tunicæ pallium a pluribus ſuperponebatur, quo Chriſtus uſus eſt, ut ſuperius auctoritate Evangeliſtæ *Joannis* adſtruximus. Eodem etiam Apoſtoli induti ſunt, quare Angelus *Actor. cap. XII. verſ. VIII.* ait *Petro*: περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου, καὶ ἀκολούθει μοι. Ubi τὸ περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου pallium manifeſte denotatur, quod & περιβόλαιον propterea proprie adpellabatur. *Pſeudo-Abdias Joanni* Apoſtolo *Simoni* & *Judæ* & *Bartholomæo* pariter Apoſtolis pallium tribuit, ut *Lib. V. Lib. VI. Lib. VIII.* videre eſt. Et pallio quidem uti Apoſtolos conſueviſſe late demonſtraverunt. *Grotius* ad Acta XII. 8. & *Salmaſius* ad *Tertullianum de Pallio*. Hinc Chriſtus quum eos alioſque in Monte adloqueretur apud *Matthæum Cap. V.* 40. de veſtibus agens nonniſi χιτῶνα tunicam & ἱμάτιον, hoc eſt pallium, commemorat *Stephanus III.* Pontifex Maximus in laudata ſuperius Epiſtola ad *Hilduinum* Abbatem, *Dionyſium* Areopagitam pallio amictum inducit; & certe primitivorum Chriſtianorum pleroſque pallium geſtare ſolitos fuiſſe, tam verum eſt, quam quod maxime; & ſufficit Librum *De Pallio*, *Quincti Septimii Florentis* evolvere. Hinc ab Auctore *Philopatridas* Chriſtianus indicatur τριβώνιον ἔχων *pallium habens*. Sed B. *Rhenanum* in *Librum Tertulliani de Pallio* diſſerentem audiamus: *Quoniam*, inquit, *Græcorum geſtamen erat pallium, ut toga Romanorum, & Chriſtiani Frugalitatis gratia pallio veſtiebantur tamquam veſte ſimpliciore & philoſophica, factum eſt, ut vulgari convicio, qui noſtris ſacris initiati forent* Græci *vocarentur, & ab injectione pallii, quod tunicæ ſuperimponebant, etiam* Imponentes, *ut ita dixerim, ſive* Impoſitores. *Nam pallium, ut* Tertullianus *inquit, interulæ ſupereſt, cujus tota molitio operire ſolutim. ideſt uno circumictu. Quoties ergo Chriſtianus aliquis prodiiſſet, ſtatim illud de trivio audiebat* ὁ γραικὸς ἐπιθέτης. *Id ſimpliciter accipiebat indoctum vulgus ob pallii ſuperimpoſitionem; ceterum litterati figuratum morſum intelligebant in vocabulo* ἐπιθέτης, *in quo fieret ad impoſtoris nomen apud Latinos adluſio, hoc eſt, deceptoris, & hominis ſanctitatem mentientis, atque hoc eſt quod* Hieronymus *ad Furiam ſcribens*, Ubicumque, *inquit*, viderint Chriſtianum ſtatim illud de trivio ὁ γραικὸς ἐπιθέτης, vocant impoſtorem, detrahunt. *Quamquam ut* Eraſmus *noſter illic adnotavit, illa duo verba* vocant impoſtorem *non ſunt in exemplaribus vetuſtioribus, indubie pro gloſſa primum adſcripta in margine deinde recepta in contextum. Senſum ſcommatis idem* Hieronymus *expreſſit in Epiſtola ad* Marcellam *de Chriſtianis agens, qui propter veſtitum viliorem a gentilibus, nonnumquam etiam a Pſeudo-Chriſtianis riderentur*. Nos, *inquit*, quia ſerica veſte non utimur monachi judicamur; quia ebrii non ſumus, nec cachinno ora diſſolvimus, continentes vocamur & triſtes. Si tunica non canduerit, ſtatim illud e trivio, Impoſtor & Græcus eſt. *Ubi vides ad veſtem pertinere dicterium, qua Philoſophi Græcorum peculiariter uterentur, & poſt illos Chriſtiani, quum inquit*, ſi tunica non canduerit. *Porro ob ſuam & utentium eo ſimplicitatem pallium in contemtum venit, ut fieret dicterio locus apud Carthaginenſes, quemadmodum ex hoc libello adparet.* A toga ad pallium, *de mutatione vitæ ſplendidioris in frugalem, & magnarum opum in paupertatem, ſimile illi*: Ab equis ad aſinas. *Inde natum, quod ſummæ apud Gentiles auctoritatis viri relicto paganiſmo Chriſtianæ religioni frequenter nomen dantes pallio veſtirentur*. Atque ita quidem ille. Sed ab hominibus doctis diſceptatum eſt an Chriſtiani omnes pallio philoſophico paſſim uterentur, vel quorumdam tantum auſteriorem diſciplinam profitentium peculiare veſtimentum eſſet. Illud quibuſdam adriſit & *Dionyſ. Petavio* in primis ſub adſcititio *Antonii Cercœtii* nomine latitanti; hoc vero *Cl. Salmaſio*, qui ita in ſuo *Commentario ad Librum Tertulliani de Pallio* inter cetera ſcriptum reliquit. *Sciendum eſt pallium illud, quod quidam ex Chriſtianis tunc geſſere & propter quod* γραικοὶ ἐπιθέται *per convicium vulgo dicebantur non fuiſſe Græcorum commune pallium, ſed proprium ac peculiare philoſophorum*. τρίβων & τριβώνιον *vocabatur*,

tur, quæ vox vilem uſque detritam veſtem ſonat; unde & τριβωνοφόροι *philoſophi dicti. Quemadmodum autem Græci generis haud alii ferme* τρίβωνα *ſive pallium ſoliti erant uſurpare, quam qui philoſophos profitebantur; ſic inter Chriſtianos habitum illum philoſophicum, hoc eſt pallium nemo tunc temporis vere uſurpavit, niſi qui Chriſtianum vere philoſophum agere vellet. Nam qui diſciplinæ Chriſtianæ diligentiſſimos & exactiſſimos cultores præſtare volebat in omnibus, hi Chriſtiani philoſophi erant, & dicebantur. Tales Tertulliani ætate Epiſcopi, Presbyterique, & omnes Clerici, ac poſtea Monachi.* Hactenus ille, qui iſthuc ipſum non ſpernendis rationibus & argumentis confirmare conatur. Et profecto ſi *Ariſtides* & *Juſtinus* Martyr, ut ſuperius vidimus philoſophicum habitum poſt Chriſtianæ ſapientiæ profeſſionem retinuiſſe ſignanter dicti ſunt, quorſum iſthæc, ſi pallium philoſophicum omnium Chriſtianorum commune erat? Inſuper tradit idem *Juſtinus Dialogo cum Tryphone*, ſe veſtis indicio a *Triphone* pro philoſopho cognitum; quod difficile fuiſſet ſi Chriſtiani omnes pallio utebantur hujuſmodi. Sed pallium geſtaviſſe primævos Chriſtianos probabiliter quoque adſtruitur ex eo, quod Monachi, quos antiquæ veſtis modum retinuiſſe mature obſervavimus, pallio ſuperinduebantur, ut ex *Hieronymi* loco in *Vita Hilarionis* ſuperius adlato conſtat, & luculentius exiſtet ex Scriptorum teſtimoniis, quæ inferius proferenda ſunt. Pallii autem forma exhibetur ab erudito *Oct. Ferrario Part. II. de re veſtiar. lib. IV. & Analect. De re Veſtiar. Tab. XXIX.* eamque diſcere eſt etiam ex duobus Philoſophorum marmoreis ſimulacris, quod unum in Muſeo *Gaddiorum*, alterum in ædibus *Nicoliniorum*, *Florentiæ* adſervatur; quæque depingi, & tabulis æneis incidi, feci ad volumen II. Operum *Io Meurſii* a me producenda. Cœterum qui *Tertulliani* tempore præter Chriſtianos pallium uſurparent, ita idem *Tertullianus* docet libro *De Pallio*. *Viderit nunc Philoſophia quid proſit. Nec enim ſola mecum eſt. Habeo alias artes in publico utiles. De meo veſtiuntur & primus informator litterarum, & primus adornator vocis, & primus numerorum arenarius, & grammaticus, & rhetor, & ſophiſta, & medicus, & poeta, & qui muſicam pulſat, & qui ſtellarem conjectat, & qui volatilam ſpectat.*

De tunicæ ac pallii, materia, colore, ornamentis, & longitudine, aliquid etiam dicendum. Pallia igitur, tunicas, chlamides chlænas, & alias id genus veſtes laneas fuiſſe oſtendit *Ferrarius* laudatus *Part. II. De re Veſtiar. lib. IV. cap. XI.* At *Hegeſippus* apud *Euſebium Hiſtor. Eccleſ. cap.* XXIII. (ſi tamen is ille eſt) *Jacobum Jeroſolymorum* Epiſcopum linea tantum veſte uſum fuiſſe, lanicio autem abſtinuiſſe, memoriæ prodit οὐδὲ γὰρ ἔριον ἐφόρει, ἀλλὰ σινδόνας. *Neque enim lanicio, ſed linea tantum veſte, utebatur. Epiphanius Hæreſ. XXX. Cap. XXIV.* idem de *Joanne* Evangeliſta litteris mandavit. Sic adoleſcens ille, de quo loquitur *Marcus cap. XIV.* erat περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ, *amictus ſindone ſuper nudo*, hoc eſt, *linea veſte, ſeu tunica*, quam cœnatoriam fuiſſe veſtem cenſet *Baronius ad annum XXXIV. num.* 39. & de qua pluribus agit *Jo. Jacobus Chiffletius* in ſua *Criſi Hiſtorica De Linteis ſepulcral. Chriſti cap. V.* Sed paſſim ſericis auratiſque & pretioſis, veſtibus Chriſtiani abſtinebant. *Clemens lib. II. Pædagog. Cap. X.* Τὰς μεμηχανημένας λεπτουργίας, καὶ τὰς ἐν ταῖς ὑφαῖς περιέργους πλοκάς, ἐκ ποδῶν μεθιστάντας· νήματα χρυσοῦ, καὶ σηρὰς Ἰνδικούς, καὶ τοὺς περιέργους βόμβυκας χαίρειν ἐῶντας. *Nimis ſubtiliter per ſummam ſtultitiam laborata opera, curioſæ quæ in texturis plicaturæ, longiſſime amandentur: auri fila, & Indicos ſeres, & operoſas bombyces, valere jubentibus.* Tunicæ color albus. Hinc illud *Hieronymi*: *Si tunica non canduerit.* Et pluribus oſtendit *Oct. Ferrarius* Par....... lib. III. *De re veſt.* cap. XII. Hinc in *Actis SS. Perpetuæ* & *Felicitatis* legitur: *Pridie quam pugnaremus, video in oramate huc veniſſe* Pomponium *Diaconum ad oſtium carceris & pulſare vehementer: & exivi ad eum & aperui ei, qui erat veſtitus diſcinctam candidam*, ut locum corrigit eruditiſſimus *Ph. Bonarotius ad Vitra antiqua.* Monachis tamen etiam pulla tunica in uſu fuiſſe videtur. *Hieronymus* ad Ruſticum Monachum: *Videas nonnullos accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa, a mulieribus non poſſe diſcedere, &c.* Idemque indicat *Epiſtola ad Salvinam*. Et quidem *Clemens Alexandrinus Libro III. Pædagagi* cap. XI. candidam

Digitized by Google

didam veſtem, ceu maxime Chriſtianos decentem commendat: nam & Apoſtoli tunica alba utebantur, quum *Pſeudo-Abdias* candidum colobium *Bartholomæo* tribuat: & candidiſſima tunica amictum *Dionyſium* Areopagitam *Stephanus* III. in ſua Epiſtola repræſentet. Sed num & Chriſtus tunica alba utebatur? at quorſum tunc *Herodes*, ut illuderet, veſte alba illum induiſſet? Obſervandum igitur *Lucam Cap.* XXIII. v. 11. non veſtem albam dixiſſe, ſed λαμπρὰν *ſplendidam*, quam *Syrus* Interpres coccineam dicit. Et quum *Jacobus cap. II. v. 2.* ἐσθῆτα λαμπρὰν opponat veſti ſordidæ, nil aliud illo *Lucæ* loco ſignificari credendum eſt, quam *Herodem* veſtem Chriſto circumjeciſſe privata ſplendidiorem, licet utraque candida eſſet, joculare indicium adfectati regni. Quum vero generaliter *Clemens* candidum veſtium colorem in Chriſtianis hominibus adprobet, oportet ut in *Ægypto* pallio Chriſtiani minime uterentur; quum ſatis compertum ſit pulli coloris fuiſſe pallium philoſophorum. *Baſilius* Presbyter in *Nazianzenum*: τρίβωνες, περιβλήματά τινα. τῶν μὲν ῥητόρων ἐρυθροὶ καὶ φοινικοῖ, φαιοὶ δὲ τῶν φιλοσόφων. *Pallia, amictus quidam; rhetorum quidem rubra & purpurea, pulla vero Philoſophorum.* Hoc item ſcriptum habetur in Lexico *Cyrilli*. Pallium etiam Monachorum & Aſcetarum nigrum. *Syneſius* Ep. CXLVI. ad *Joannem*, qui aſceticum habitum ſumſerat: Καὶ φαιὸν τρίβωνιον ἀμπέχεσθαί σε φασι. *Et nigro pallio amiciri te dicunt.* Hinc de Monachis humilitatem adfectantibus & hypocritis *Hieronymus Epiſtola ad Euſtochium de Cuſtodia Virginitatis*. *Viros quoque fuge, quos videris catenatos: quibus feminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientia frigoris pedes.* Quamquam vero hæc ita habent, tamen exploratæ fidei eſt univerſa veſtimenta Catechumenorum, qui luſtrali aqua tingendi erant, candida fuiſſe, & ideo φωτεινὰ ἱμάτια adpellabantur. *Pachymeres ad Dionyſ. Areopagitæ* Cap. II. de Eccleſ. Hierarchia. φωτεινὰ ἱμάτια ὁ τελούμενος ἀμφιέννυται διὰ τὸ ἀπαθὲς καὶ ἀῤῥύπωτον; καὶ τὴν πρὸς τὸ ἓν φῶς συνένευσιν, καθ' ὃν ὁ φωτεινὸς βίος καὶ ἀχειμέρος, καὶ αἰδέσιμος ὁ ταῖς ἐνώσεις. *Candidis veſtibus initiatus induitur, propter paſſionum ac Sordium vacuitatem, & ad unum lumen inclinationem, per quam ſordida & immunda informiſque vita quaſi diſparuit.* Eorumdem veſtem *Baſilius Magnus Exhort. ad Baptiſm.* ἐσθῆτα φωτεινὴν *veſtem ſplendidam* vocat, & in *Prato ſpirituali Joannis Moſchi cap.* CCVII. νεοφώτιστοι ἐν ὄψει dicuntur. *Nazianzeno* autem Orat. XL. ἐνσώματος ἐσθὴς nuncupatur. Quare recens Baptizati λαμπροφόροι dicebantur. *Jobius* apud *Photium* Cod. CCXXII. οἱ φωτιζόμενοι ἑπτὰ ἡμέρας λαμπροφοροῦσι *Baptiſſati ſeptem diebus candidati incedunt.* Sed fides ne habenda erit *Siſinnio Novatianorum Conſtantinopoli* Epiſcopo, qui candidis indumentis *Chriſtum* uſum fuiſſe opinabatur, ut apud *Socratem lib. VI. Hiſt. Eccleſ.* cap. XXII. videre eſt? Fides *Stephano* III. Papæ qui *Dionyſium Areopagitam* pallio purpureo circumamicit? Certe *Clemens Alexandrinus* Lib. II. Pædagogi *cap.* X. veſtium tincturas omnino improbat παραιτητέον δὲ τὰς ἐσθῆτας καὶ τὰς βαφάς. *Rejiciendæ quoque ſunt veſtimenti tincturæ.* Non me quidem latet in antiquis vitris Chriſti & Apoſtolorum imagines occurrere veſtibus vario colore eſſloreſcentibus indutas; ſed eorum non eſt fortaſſis antiquitas tanta & auctoritas, ut vetuſtiorum apertiſſimis teſtimoniis præferendæ ſint. Et *Phil.* quidem *Bonarotius* obſervat non veritatem pictores in hoc ſequutos eſſe ſed ſuæ ætatis morem; & propenſioni ita Chriſtum & Apoſtolos honorandi indulſiſſe. Hinc & ornatus alios veſtium, & luxum, primitivos Chriſtianos rejeciſſe credibile eſt. Veſtis tamen Chriſti fimbria legitur in Evangelio Matthæi cap. IX. v. 20. ἥψατο τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ. *Et tetigit fimbriam veſtimenti ejus*, hoc eſt *pallii*. *Theophylactus* ad hunc locum Κράσπεδον exponit τὸ ἄκρον τοῦ ἱματίου, *oram veſtimenti extremam*. Sed, ut quæ nam hæ veſtimentorum extremitates eſſent perſpicue comprehendamus, ſciendum eſt Deum *Deuteronom. cap.* XXII. *verſ.* 12. ita præcepiſſe. *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris.* Itaque pii *Iſraelitæ*, non luxu, ſed religione, pallii ſui angulos ornabant, funiculis contortis, ſeu filis contortis duplicatis, qualia videre eſt in his ornamentis quæ *vernacule* dicimus *Nappe & Peneri*; tantum enim ſonat vox גדלים *ghedilim* loco *Deuteronomii* adlato. Hinc intelligitur alter *Matthæi* locus

cus *Cap.* XXIII. *verſ.* 5. ubi de *Scribis* & *Phariſæis* agitur : μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν. *Producunt fimbrias palliorum ſuorum*. Ad quem locum ita commentatur *Hieronymus* : *Juſſerat quoque aliud Moyſes, ut in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent, ad Iſraelis populum dignoſcendum : ut quomodo in corporibus circumciſio ſignum Judaicæ gentis daret, ita & veſtis haberet aliquam differentiam. Superſtitioſi magiſtri captantes auram popularem, atque ex mulierculis ſectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, &c.* Super quo tamen loco conſulendus eſt idem *Hieronymus* etiam *Epiſtola ad Celantiam*, ſeu quicumque auctor eſt. *Theophylactus* ad eumdem locum eas violaceas aut coccineas fuiſſe ſcribit. Ubi autem hæ fimbriæ adligarentur, & qua forma eſſent docet *Epiphanius Hæres*. XV. de Scribis agens. Φοίνικας γὰρ τινας ἐπὶ τὰ τέσσαρα πτερύγια τοῦ τριβωνίου ἕκαστος εἶχεν ἐξ αὐτοῦ τοῦ στήμονος δεδεμένους. *Corymbos enim quoſdam ad quatuor alas pallii unuſquiſque habebat adligatos ex eodem ſtamine*. Pallium enim erat quadrangulare. *Pſeudo Abdias lib.* VIII. ita de *Bartholomæo* ſcribit : *Veſtitus colobio albo, clavato purpura. Induitur pallio albo, habente per ſingulos angulos ſingulas gemmas purpureas*. *Salmaſius* ad *Tertullianum de Pallio* huic *Abdiæ* loco hanc cenſuram ſubjungit: *Pallium utique quadrangulum habuit, ſed illa de gemmis ſingulis ad ſingulos pallii angulos; ac de purpura colobio intexta, de fabula plane attexta ſunt, & commentitium Scriptorem arguunt*. Idem judicium ferendum eſt de *Dionyſii Areopagitæ* colobio *candidiſſimo clavato, & pallio toto purpureo auro interſtellato, ut habet Stephanus III.* in *Epiſtola ad Hilduinum Abbatem*. Quamquam diſſimulandum non eſt in antiquis picturis *Chriſti*, & Apoſtolorum, tunicam clavis aut aureis, aut purpureis adſutis inſignem exhiberi, ut apud *Bonarotium* ſæpe laudatum videre eſt ; ſed quanta fuerit in hoc pictorum licentia jam animadvertimus, quum præſertim illæ imagines IV. & V. ſæculi ut plurimum ſint. At laudatus *Bonarotius* quoad gemmas recte ſentire *Salmaſium* cenſet ; non tamen quoad clavos, qui ſaltem, ſi minus purpurei ; aureique . eſſent, rubri coloris tantum in plebei ordinis, & pauperioribus, hominibus eſſe potuerunt. Aut etſi, vere ex purpura conſtitiſſent, id vulgare, & cujuſvis, conditionis, ſervis & id genus exceptis hominibus proprium, & non temere quidem opinatur. *Tabulis* inſuper X. & XI. apud laudatum *Bonarotium* fibulæ quædam gemmatæ ante pectus Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* occurrunt, de quibus etiam mox opportunius agemus. Et quidam antiqui Chriſtiani veſtium ſimplicitatem, vilitatem & illuviem ipſam ſectabantur. Hinc apud Auctorem *Philopatridis* Chriſtianus eſt τριβώνιον ἔχων πολύτρηθρον, *pallium habens, admodum lacerum*. Hinc illud apud *Hieronymum* ſupra commemoratum. *Si tunica non canduerit*. Hinc pallium pulli coloris, quod humilitatem præſert, & pauperiem. Nam color hic vulgi pauperioris, & deſpectioris, erat, quare vulgus a *Plinio*, *pullatum hominum genus*, & a *Quinctiliano*, *pullatus circulus*, ac *pullata turba* vocatur. Quo forte reſpexit *Calpurnius*, quum dixit.

Venimus ad ſedes ubi pulla ſordida veſte
Inter femineas ſpectabat turba cathedras

Et alibi eidem *pulla paupertas* dicitur:

.... ſed mihi ſordes
Pullaque paupertas, & adunco fibula morſu,
Obſtiterunt.

Quare *Hieronymus de vitando ſuſpecto contubernio: Veſtis ipſa vilis, & pulla*. Quam quidem ſordium illuvieique, rationem Monachi, vetuſtæ ſimplicitatis tenaciores, jugiter habuerunt, eaſque adfectarunt quodammodo ; & quam ſemel tunicam induiſſent, numquam exſuebant, priuſquam penitus tota uſu detrita, & ſciſſa eſſet, ac de altera habenda cogitandum foret. *Hieronymus Vita Hilarionis*. *Saccum quo ſemel fuerat indutus, numquam lavans, & ſuperfluum eſſe dicens munditias in cilicio quærere : nec alteram tunicam mutavit, niſi prior penitus ſciſſa eſſet*. *Rutilius* autem *Numatianus* de ſolitario Chriſtiano agens *in Itinerario*.

Infelix putat illuvie cœleſtia paſci;
Seque premit ſævis ſævior ipſe Deis

Hinc

Digitized by Google

Hinc laudatus *Hieronymus Ruſtico* Monacho ita præſcribit: *Sordidæ veſtes, candidæ mentis indicia ſint, vilis tunica, contemptum ſæculi probet*. Et epiſtola ad *Salvinam*: *Aliis nihil prodeſt vile palliolum furva tunica, corporis illuvies, &c.* Nil mirum igitur, ſi gemmarum lapillorumque, auri argentique, uſum maxime improbent in feminis Chriſtianis *Tertullianus* de *habitu muliebri*, & *de cultu fœminarum*, & *Clemens lib.* II. *Pædag. cap.* XII. quod eo magis in maribus feciſſent, ſi illa geſtare auſi eſſent. In Actis nihilominus SS. *Perpetuæ* & *Felicitatis* legitur Diaconus tunicam albam indutus *multiplices* habuiſſe *calliculas*; qui ornatus quidam veſtium erant ob pulcritudinem ita adpellati, & interdum ob rotunditatem τροχάδες dicti, obſervante P. *Lambecio Tom.* IV. *Biblioth. Cæſar. in Append.* Has autem *multiformes calliculas ex auro argentoque factas fuiſſe* aliquando ex laudatis Actis elucet. *Ph. Bonarotius Ad Vitra antiqua* in Figura II. Tab. V. & in figura II. Tab. VI. hujuſmodi calliculas ſe deprehendiſſe arbitratus eſt, cenſuitque eas non ſemper pretioſas eſſe potuiſſe, & ex panno etiam purpur m colore referente veſtibus adſui; & figuras quaſdam apud *Aringhium* adlegat. Sed quamquam ſimplicitatem veſtium, & frugalitatem amarent vetuſti illi Chriſtiani, non tamen credendum omnibus ſordes, & lurida veſtimenta, adeo hæſiſſe, ut & munditiem quamdam innocentem minime præſeferrent. *Hæc utique* inquit *Tertullianus de cultu Feminarum, non ad crudam in totum & ferinam habitudinem inſinuandam vobis ſuggeruntur, nec de bono corporis ſqualorem, ſed de pudoris ſuademus, ſed de modo, & cardine, & juſtitia corporis excolendi. Nonſupergrediendum ultra quam quod ſimplices & ſufficientes munditiæ concupiſcunt, ultra quam Domino placere.* Egregie *Hieronymus* ad *Euſtochium* De Virginitate ſervanda: *Nec adfectatæ ſordes, nec exquiſitæ munditiæ, conveniunt Chriſtiano.* Tunica & pallium veſtimenta longa erant; & *Clemens* quidem Alexandrinus veſtes talares eſſe vult. τῷ γοῦν μηκέτι δεδουλωμένῳ ἐν ποικιλίᾳ χρωμάτων, ὅλον δὲ λελευκωμένῳ δι' ὅλου ἀπὸ κεφαλῆς ἄχρι ποδῶν ἐσχάτων ποδηρὸν εἶναι ἔθελε. *Eum ergo qui varietate colorum minime efflore-ſcit, totus autem a vertice capitis uſque ad extremos pedes eſt candidus, mundum eſſe vult, &c.* Attamen non adeo longas veſtes Chriſtianorum fuiſſe crediderim, ut ad pedes uſque defluentes, illos tegerent, ut elucet ex antiquis Chriſtianorum ſimulacris, quæ *Aringhus*, & *Boſius*, in *Roma ſubterranea*, & *Bonarotius* in *Vitris antiquis* exhibent; & ex communi uſu veſtiendi etiam apud Ethnicos, quem tibi obſeret *Oct. Ferrarius* in ſuis *de re veſtiaria* eruditis lucubrationibus. Sed nec ipſe *Clemens* longas adeo veſtes probare videtur; Libro enim II. laudati operis *Cap. X.* ita ſcribit: τὸ δὲ καὶ σύρειν τὰς ἐσθῆτας, ἐπ' ἄκρους κατιεὶς τοὺς πόδας κομιδῇ ἀλαζονικὸν ἐμποδὼν τῇ ἐνεργείᾳ τῇ περιπατητικῇ γινόμενον, καλλύντρου δίκην ἐπισυρομένης τῆς ἐσθῆτος τὰς ἐπιπολαίους τῆς γῆς ἀχυρμίας, &c. *Trahere autem veſtes ad ſummos uſque pedes demiſſas, valde eſt adrogans & ſuperbum, quod ambulandi actionem impedit, quum veſtis inſtar verriculi, quæ in ſoli ſunt ſuperficie, ſordes ſecum attrahat, &c.* Sed nec nimis breves e contra commendat, n m, ut ipſe ait, τῆς χρείας τὴν ἀμετρίαν εὐλαβητέον, *vitanda eſt uſus immoderatio.* οὐ γὰρ ὑπὲρ γόνυ καθάπερ τὰς Λακαίνας φασὶ παρθένους, ἐσταλθαι καλόν. *Neque enim ſicut Lacænas virgines ſupra genu veſtiri honeſtum eſt.* Ergo veſtes Chriſtianorum juxta *Clementem* infra medium crus & prope talos, deſcenderint, quales hodienum *Armeni* ferunt; quales in feminis agri Rœtici, quum illuc tranſirem adſpexi. Sed tractu temporis apud Romanos longæ, & uſque ad imos pedes fluentes, tunicæ in uſu fuere & tunc zonarum quoque uſus, & cingulorum, invaluit; nam tunicæ paulo breviores minime cingebantur ut ex *Tertulliano Libro de Pallio* intelligitur; adeoque *tunicæ rectæ, & diſcinctæ*, Græcis ζωστοὶ, ὀρθοστάδιοι, ἄζωστοι χιτῶνες adpellabantur, ut eruditiſſimus *Bonarotius* noſter obſervat. Apud *Hebræos* tamen talares tunicas fuiſſe oportet; nam Chriſtus Apoſtolorum pedes lavaturus, pallio depoſito præcinxit ſe apud *Joannem cap.* XIII. *verſ.* 4. *Petrus* quoque in *Actis* præcingi jubetur; & tunica ſeu ἐπενδύτῃ ſuccingitur apud laudatum *Joannem cap. XXI.*

At non hæ tantum Apoſtolorum veſtes fuiſſe videntur. Penula *Paulus* induebatur, de qua *Tertullianus De corona militis*: *Habebit* inquit *etiam Penulam* Pau-

Paulus. Et quidem *Paulus* ipſe id teſtatur II. ad *Timoth.* cap. IV. v. 13. Τὸν φαιλόνην ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρῳάδι παρὰ Κάρπῳ ἐρχόμενος φέρε. *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens adfer tecum*. Nec mirandum quod *Paulus Judæus*, peregrina, ideſt, *Romana*, veſte uſus ſit; nam ad eum locum *Hilarius* Diaconus obſervat id eveniſſe, *quia erat ex Tarſo quos conſtat in ſocietatem Romanorum receptos, ut de cetero adpellarentur cives Romani; idcirco neceſſe eſt & curiam habere, in quam more Romanorum* penulati conveniunt. Et laudatus *Tertullianus* libro *De Oratione* Chriſtianos penula pariter indutos nobis commemorat. Sed alii φαιλόνην, non Penulam, ſed ſaccum interpretantur, in quo ille membranas & volumina haberet. Vide *Tillemontium* Art. XLVII. Ceterum in vita S. *Hugonis* Abbatis *Eluniacenſis* planeta *Petri* Apoſtoli memoratur, quam ille *Antiochia Lutetiam Pariſiorum* attulerit, & in D. *Genovefæ* collocaverit. Penula autem planeta fuiſſe videtur, & hac veſte antiquos paſſim Chriſtianos uſos *Tertullianus* ad *Martyres* innuere videtur, ubi ſcribit: *Deus ſcilicet non audiat penulatos, qui tres ſanctos in fornace Babylonii regis orantes cum ſarabaris, & tiaris ſuis exaudivit*. Et certe credibile eſt etiam ἀρχαίως quoſdam fuiſſe qui rudioribus aſperioribuſque indumentis amicirentur. Ecce *Joannes Baptiſta*, deſerti & nemorum cultor, veſte pilis camelorum contexta tegebatur, cingebatur autem zona pellicea, Auctoribus Matthæo cap. III. v. 4. & *Marco* cap. I. v. 6. Igitur *Joannis* veſtitus, potius cilicium erat, factum ἀπὸ τριχῶν καμήλου, quam ipſa cameli pellis, ut quidam cenſent, quod recte animadvertit & illuſtrat B. *Lamius* in *Harmon. Evang.* Ceterum in atiqui nummi Chriſtiani, quem *Victorius* illuſtrat, averſa parte *Joannes Baptiſta* pelle cameli tectus adſpicitur; quemadmodum in antiqua gemma apud eumdem. *Chryſoſtomus* ad *Cap. III. Matthæi* hujuſmodi habitum utpote iis, qui quotidie in urbibus atque agris oberrabant, maxime adcommodatum *Petro* quoque ac *Paulo* Apoſtolis tribuit. Et quidem Apoſtolos, ſaltem dum iter agerent, zonis accinctos fuiſſe conſtat ex *Matth.* X. 9. *Marco* VI. 8. Zona autem *Pauli* memoratur *Actor. Cap. XXI.* 11. Eodem referri poſſunt illa loca, quæ *lumbos noſtros præcinctos eſſe jubent*, *Lucæ* XII. 35. & *ad Epheſ.* VI. 14. Si autem Apocalypſeos cap. 1. 13. Chriſtus adparet περιεζωσμένος ζώνην χρυσῆν *præcinctus zona aurea* & cap. XV. 6. Angeli prodeunt περιεζωσμένοι περὶ τὰ στήθη ζώνας χρυσᾶς, *præcincti circa pectora zonis aureis*; & id myſteria altiſſima continet, & zonarum uſum confirmat. *Ph. Bonarotius* ſubſpicatur quaſdam tunicas apud *Judæos*, ut diximus prælongas fuiſſe, & non uno loco eas zona præcingi ſolitas, ita ut uno cingulo circa pectus & mammas adſtringerentur; altero vero, circa lumbos, quando veliter facere, vel aliquo miniſterio exerceri, opus erat, quo expeditior quis eſſet ad operandum. Sanctum *Polycarpum* cingulo uſum fuiſſe ejus martyrii acta teſtantur. *Matthæi Cap.* X. 10. pera memoratur, ſed ibi ſacculum viatorium ſignificat. Ceterum *Ægyptii* Monachi melotas & pelles caprinas, quibus etiam induebantur, ſicut & cucullo peras adpellabant, ut apud *Caſſianum De habitu Monachorum Cap.* XI. videre eſt. *Hieronymus* in *Vita Hilarionis pelliceum ependytem vocat*. Sed *ependyte Petrum* etiam Apoſtolum uſum fuiſſe docet *Joannes cap.* XXI. 7. ubi de *Petro*: τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο. *Vulgatus & Eraſmus*, *Tunica ſuccinxit ſe*. *Ideſt*, inquit *Eraſmus*, *pallio, ſive penula, aut toga. Nam tunica veſtis eſt interior, ependytes dicta, quod ſuperne induatur. Et veriſimile eſt, piſcatoribus tunicam fuiſſe ſummam veſtem*. *Fullerus* etiam *Miſcellaneorum Lib.* II. *Cap.* XI. vult hac voce intelligi *veſtem ſuperiorem*. *Boiſius* interpretatur *velamentum earum partium, quæ honeſte conſpici non poſſunt*. *Ludovico* ἐπενδύτης; nec ſuprema nec infima veſtis, fuiſſe videtur, ſed inter induſium & ſtolam media. *Gloſſæ Græco-Latinæ* habent: ἐπενδύτης, *inſtata*, *ſuperaria*. Et *Latino-Græcæ*: *Superaria* ἐπενδύτης. *Superaria*, quæ ſupra induſium, ſupra primam veſtem, induitur. Eratque ex levi ſemper, tenuique materia, goſſypina plerumque & interdum linea. Unde etiam *Theophilactus in Cap.* XXI. *Joannis* dicit ἐπενδύτην fuiſſe λινοῦν τι ὀθόνιον, *linteum quoddam*.

Jam de femineis veſtibus aliquid dicendum eſt. Femineam veſtem a virili aliquatenus diverſam fuiſſe non dubitan-

dum

dum; & earum tunica, ſtola; pallium, palla dicebatur ut plurimum, quas veſtes antiquæ feminæ induebantur, ut apud *Octav. Ferrarium Analectis de re veſtiaria*, & *Baifium* ejuſdem tituli opere, videre eſt. At ſimplicitas veſtium & vilitas, eadem in illis debuit eſſe, atque in viris, ut ex *Tertulliano de Habitu muliebri, & de cultu feminarum*; intelligimus. Præclariter *Clemens* Alexandrinus *Lib. II. Pædagogi cap. X.* Φημὶ τοίνυν οὐκ ἄλλης τινὸς ἕνεκα δεδεῆσθαι ἱματίων τὸν ἄνθρωπον, ἢ σκέπης σώματος πρὸς ἀναλέξησιν κρυμῶν τε ὑπερβολῆς καὶ καυμάτων ἐπιτάσεως, μή τι ἡμᾶς παραλυπῇ τὸ περιέχοντος ἡ ἀκρασία. Εἰ δ' οὗτος ἐστὶ τῆς ἐσθῆτος ὁ σκοπὸς, ὅρα μὴ οὐκ ἄλλη μὲν ἀνδράσιν, ἄλλη δὲ ἐσθὴς ἀπονεμητέα γυναιξίν. κοινὸν γὰρ ἀμφοῖν τὸ σκεπέσθαι, καθάπερ αὐτὸ τὸ ἐσθίειν, καὶ πίνειν. Κοινῆς οὖν οὔσης τῆς χρείας, τὴν ὁμοίαν κατασκευὴν δοκιμάζομεν. ὡς γὰρ τὸ δεῖσθαι τῶν σκεπόντων κοινὸν ἑκατέροις. οὕτως καὶ τὰ σκέποντα παραπλήσια εἶναι χρή. *Dico ergo hominem non alia de cauſa opus habere veſtimentis, quam ut tegatur corpus, ad maxima frigora & vehentes æſtus propulſandos, ne nos lædat ambientis æris immoderatio. Quod ſi hic eſt veſtis ſcopus, vide ne non alia quidem viris, alia vero feminis, veſtis tribuenda ſit: tegi enim utriſque commune eſt, quemadmodum comedere & bibere. Quum uſus itaque ſit communis, conſtructionem ſimilem comprobamus. Quemadmodum enim utriſque commune eſt, ut egeant iis, quæ tegunt, ita a quibus tegendi ſunt eſſe oportet ſimilia.* Denique ad ſummum veſtibus paulo mollioribus indui feminis concedit, at iis uſque ſimpliciſſimis. Ipſe quidem de muliebris habitus cum virili ſimilitudine, quæ heic *Clemens* differit, de ſimili veſtium ſimplicitate intellexi; ſed ſi vera perſequi lubet, non ea erat inter muliebrem & virilem veſtem diverſitas, ut illæ tunica & pallio indutæ fuiſſe dici non poſſent, quod ex antiquis imaginibus apud *Aringhium*, & *Bonarotium* comprehendere datur. Immo & breviores tunicæ, & clavatæ, & diſtinctæ, iis fuiſſe videntur. Non tamen heic quæſierim an Mariæ Deiparæ tunica cingeretur, quod quidem veroſimile; nec ejus zonam alicubi, ut perhibent adſervatam morabor; quum alicujus gentis credulitatem nec nocere mihi, nec juvare poſſe deprehendam. Unum heic de Sanctimonialibus obſervandum ſupereſt, ſcilicet eas antiquitus virile pallium uſurpaſſe, quod *Canon* XIII. Synodi Gangrenſis prohibuerat. Et neſcio an huc partim ſpectent illa *Hieronymi* ad *Euſtochium*, quæ cuncta exſcribere lubet, quod rem veſtiariam religioſarum mulierum illuſtrent, atque ita habent: *Sunt quippe nonnullæ exterminantes facies ſuas, ut adpareant hominibus jejunantes: quæ ſtatim ut aliquem viderint; ingemiſcunt, demittunt ſupercilium: & operta facie vix unum oculum liberant ad videndum. Veſtis pulla, cingulum ſacceum, & ſordidis manibus, pedibuſque, venter ſolus, quia videri non poteſt, æſtuat cibo..... Aliæ virili habitu, veſte mutata erubeſcunt eſſe quod natæ ſunt, crinem amputant, & impudenter erigunt facies eunuchinas: ſunt quæ ciliciis veſtiuntur, & cucullis fabrefactis: ut ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones.*

Actorum cap. XIX. *Pauli* ſudaria, & ſimicinthia memorantur, ad quem locum ita commentatur *Theophylactus*: Σουδάρια καὶ σιμικίνθια, λεντιά εἰσιν ἀμφότερα, πλὴν τὰ μὲν σουδάρια ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεται, τὰ δὲ σιμικίνθια ἐν ταῖς χερσὶ κατέχουσιν οἱ μὴ δυνάμενοι ὠράριον φορεῖν οἷοί εἰσιν οἱ φοροῦντες, ὑπατικὰς στολὰς πρὸς τὸ ἀπομάττεσθαι τὰς ὑγρότητας τοῦ προσώπου. *Sudaria & ſimicinthia linea ſunt utraque, ſed ſudaria quidem capiti imponuntur, ſemccinthia vero in manibus tenent, qui non poſſunt oraria geſtare quales ſunt qui ferunt conſulares veſtes, ut abſtergant humores faciei.* Eadem fere habet *OEcumenius*. Et quidem σιμικίνθιον eſſe τὸ ἐν χερσὶ κατεχόμενον confirmat etiam *Baſilius Seleucienſis Homil.* εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς Θεοτόκου quando σιμικίνθιον, de quo in Actis vocat ἐγχείριον, *quod manu geſtatur*. Sed *Ludovicus* ἀπὸ Θεοῦ *Heſychii* auctoritate fretus, qui σιμικίνθια ait eſſe quoque ζωνάρια *cingula*, ſimicinthia cingula intelligit, quibus *Paulus* præcingeretur, ut expeditius incederet; & ſimicinthiis etiam præcingi oſtendit *Ferrarius Analect. de re Veſtiar. Cap. XV. Joannis* autem *Cap. XIII. verſ.* 4. & 5. *Chriſtus* linteo quodam ſe præcinxiſſe legitur. Quando autem orariorum mentio incidit, ſciendum eſt orarium probabiliter nihil aliud eſſe, quam faſciam quamdam laudato *Ferrario cap.* XXIII. memorati operis demonſtrante & *Suicero* in Ὠράριον; & veſtes vulgares erant, omnibuſque commu-

V 2   nes,

nes, de quibus multa egregie diſputavit *Caſaubonus* ad illa *Vopiſci ipſumque primum donaſſe oraria populo Romano quibus uteretur populus ad favorem*; fuiſſe ſcilicet veteribus ut hodie quoque, linteamina quædam parva ad munditiem corporis, uſus magni, & multiplicis, ſudaria, ſimicinthia, oraria, & quorum unus meminit *Arnobius*, muccinia. Orariis igitur antiqui etiam Chriſtiani utebantur, ut elucet ex *Prudentio*, qui Hymno *Hemitherii & Cheledonii*, qui milites ſtipendia meruerant, ait eos quum mortem violentam ſubituri eſſent, munera Deo quemlibet obtuliſſe, unum, annulum aureum; alterum candidum orarium: quæ quidem ſublime lata cælo recepta fuerunt.

Illa Laus occulta non eſt, nec ſeneſcit tempore,
Miſſa quod ſurſum per auras evolarunt munera
Quæ viam patere cœli præmicando oſtenderent.
Illius fidem figurans, nube fertur annulus,
Hic ſui dat pignus oris (ut ferunt) orarium
Quæ ſuperno rapta flatu lucis intrant intimum
Per poli liquentis axem fulgor auri abſconditur
Ac diu viſum ſequacem textilis candor fugit:
Subvehuntur uſque in aſtra, nec videntur amplius.

Item *ex Ambroſii* Oratione *De obitu Satyri Fratris: Divinum illud fidelium ſacramentum ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita ſe dejecit in mare. Ex Auguſtino Lib. de Civit. Dei cap. VIII. Tunc ſicut potuit oculum lapſum atque pendentem, loco ſuo revocatum, ligavit oraria.* Tandem orarium veſtis ſacerdotalis & Eccleſiaſtica factum eſt, & ita adpellarunt *pannum oblongum*, brachio ſacerdotis imponi ſolitum, quod Græci etiam λῶρον adpellant. Orarium etiam vocata eſt faſcia illa, quæ collo ſacerdotis imponitur, & ἐπιτραχήλιον *Græcis*, *ſtola* a noſtris, nuncupatur, quamquam *Codinus Lib. de Officiis* ἐπιτραχήλιον ab *orario* ſeparat. Conſulendus de his inter alios *Suicerus* in Ὀράριον, λῶρον ἐπιτραχήλιον & *Ferrarius* ſupra laudatus. Hic autem ἐπιτραχήλια geſtandi mos ex ipſo Apoſtolorum inſtituto aut tempore defluxiſſe videatur. Nam Judæi, quum orarent ἐπωμίδος ſpeciem quamdam, ab ephod ſacerdotis ſummi diverſam humeris circumjeciſſe, ex II. *Reg. Cap.* VI. *v.* 14. facile credantur: quare non mirum ſi *Judæi*, qui Chriſtianos ritus amplexi fuerant, hunc morem retinuerunt, primis illis Eccleſiæ temporibus, & Apoſtoli ipſi uſurpaverunt, & quidem imagines Apoſtolorum *Petri & Pauli*, hujuſmodi velaminibus contectæ circa humeros occurrunt apud *Bonarotium* Tab. X. XI. XII. quæ quidem faſciæ fibula, ut videtur, gemmis ornata ante pectus adſtringuntur. Conſulatur etiam Tab. XVIII. Fig. III.

Sed ex elegantibus *Prudentii* verſiculis Chriſtianos annulos geſtare conſueviſſe, & quidem aureos, etiam edicimus. Ipſe quidem *Caſtri Franci*, *Etruriæ* in valle *Arni* inferiori oppido *Severi* martyris λείψανα contemplatus, aureo annulo ejus digitum inſigniri conſpexi. Et quidem aurei annuli meminit etiam *Jacobus* cap. II. 2. *Etenim ſi introierit*, inquit, *in conventum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida, introierit autem & pauper in ſordido habitu*. *Pſeudo-Craton* vero ſcribit *Bartholomæum* Apoſtolum annulis ac gemmis ornatum proceſſiſſe; cujus rei fides penes auctorem eſto. Annulum Mariæ Deiparæ nuptialem Peruſii exſtare perhibent; ſed mihi de eo liquido nihil conſtat, & forte ejuſdem generis eſt cum D. *Zenobii Florentini* Epiſcopi annulo, qui *Florentiæ* a quibuſdam oſtenditur. Quales autem annulos, & quomodo, quibuſque figuris inſignitos, veteres Chriſtiani aut ferrent, aut ferre deberent, docet *Clemens Lib. II. Pædagogi Cap. XI.* Ἀλλὰ καὶ τὸν δακτύλιον οὐκ ἐπ' ἄρθρῳ φορητέον τοῖς ἀνδράσι, γυναικεῖον γάρ. τοῦτο εἰς δὲ τὸν μικρὸν δάκτυλον καὶ τοῦτο εἰς τὸ ἔσχατον καθιέναι ἔσω γὰρ οὕτως ἐνεργὴς ἡ χεὶρ, ἐν οἷς αὐτῆς δεῖσθαι. Καὶ ἡ ῥᾶσα ὁ σημαντὴρ. ἐκπεσεῖται, τῷ μείζονι τῷ ἄρθρῳ σωθεῖσα φυλαττόμενος· αἱ δὲ ἡμῖν ἔστων πελειάς, ἢ ἰχθῦς ἢ ναῦς οὐρανοδρομοῦσα· ἢ λύρα μουσική, ᾗ κέχρηται Πολυκράτης ἢ ἄγκυρα ναυτική, ἣν Σέλευκος ἐνεχαράττετο τῇ γλυφῇ. Κἂν ἁλιεύων τις ᾖ Ἀποστόλου μεμνήσεται. καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων. οὐ γὰρ εἰδώλων πρόσωπα ἀνατυπωτέον οἷς καὶ τὸ προσέχειν ἀπείρηται οὐδὲ μὴν Ξίφος ἢ

ἢ

ἢ τόξον τοῖς εἰρήνης διώκουσιν· ἢ κύπελλα, τοῖς σωφρονοῦσιν· πολλοὶ δὲ τῶν ἀκολάστων γεγλυμμένους ἔχουσι τοὺς ἐρωμένους, ἢ τὰς ἑταίρας κτλ. *Sed neque eſt a viris annulus in articulo ferendus, hoc enim eſt muliebre: ſed in parvo digito, atque adeo in extrema ejus parte eſt collocandus: ita enim erit manus maxime ad operandum expedita in iis, in quibus ea egemus, neque facile excidet ſigillum, quod majore articuli ligamento cuſtoditur. Sint autem nobis ſignacula, columba, vel piſcis, vel navis, quæ celeri curſu a vento fertur, vel lyra muſica, qua uſus eſt* Polycrates, *vel anchora nautica, quam inſculpebat* Seleucus; *& ſi quis ſit qui piſcetur, meminerit Apoſtoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum ſunt imprimendæ facies, quibus vel ſolum attendere prohibitum eſt: ſed nec enſis vel arcus iis, qui pacem perſequuntur: nec pocula iis, qui ſunt moderati & temperantes. Multi autem libidinoſi nudatos habent eos, quos amant, vel amicas, &c.* Et quidem *Eques Victorius* in ſuo commentario, quo veterem Chriſtianorum nummum illuſtrat, gemmam annullarem profert, in qua anchora & duo piſces, hinc & hinc ſculpti ſunt, in ſuperna autem parte ΙΗCΟΥC, in inferna ΧΡΕΙCΤΟC, ſcriptum eſt. Idem tres quoque Chriſtianorum æreos annulos profert, in quibus Chriſti monogramma conſpicitur & in uno A & ω ad monogrammatis latera. Achatem quoque varium antiquum exhibet, in quo crux, & YESU, & YAVA, ad quatuor Crucis cornua diviſim inſculpta ſunt quem annularem fuiſſe non videtur dubitandum. Item gemmam in cujus antica facie Χω, in poſtica vero columba cernitur; & aliam gemmam, in cujus averſa parte anchora adſpicitur. Non ἀπροσδιόνυσον videatur adnotare Chriſtianos quidem illos vetuſtos, ſed hæreticos *Baſilidis* ſectatores, alioſque *Gnoſticos*, quædam nominum & figurarum, portenta in ſuis annulis incidere aut exſculpere ſolitos fuiſſe, qualia videre eſt in antiquis gemmis, quas *Abraxas* vulgo adpellant, & de quibus Fr. Chiffletius commentarium pereruditum conſcripſit. Dignus etiam qui videatur *Jo. Kirchmanus De Annulis Cap.* XIII. Baculum ne ferrent *Chriſtus* Apoſtolis præcepit ut *Matthæus Cap.* X. 10. *& Lucas Cap.* IX. 3. memoriæ prodiderunt. *Marcus* tamen *Cap.* VI. 8. virgæ uſum eis conceſſiſſe ſcribit: quæ divinorum Scriptorum diſcordia quomodo concilietur, vide apud B. *Lamium* in *Harmon. Evangel.*

Calceamenta quod attinet, *Chriſtum* ſoleis ſandaliiſque, uſum ex eo conſtat, quod in Evangelio *Johannes Baptiſta* ſe indignum, qui corigiam *Chriſti* calceamentorum ſolveret, profeſſus eſt, ut apud *Matthæum Cap.* III., *Marcum Cap.* I. *& Lucam Cap.* III. legere eſt. *Hebræorum* calcei plantarum calces tantum infime tegebant; cetera prope nuda & teretibus habenis juncta erant; quales Romanorum ſoleæ & gallicæ, dictæ a *Græcis* κονπόδες. Non tamen perpetuo ſandalia illa *Chriſtus* uſurpaſſe videtur quare *Hieronymus Epiſtola XIII.* ſcribit: *Militec veſtimentis Jeſu ſorte diviſis, caligas non habuere, quas tollerent. Non enim habere Dominus potuiſſet, quod Servos ſuos habere prohibuerat.* Domi autem ſaltem ſæpe non habuit, unde apud *Lucam Cap. VIII.* 35. *Mulier ſtans retro Secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & unguento ungebat.* Et *Joannis Cap. XIII.* v. 4. 5. *Chriſtus* poſt Cœnam Apoſtolorum pedes lavat; qui certe non alio habitu ac illi erat. Non enim videntur antiqui, ſaltem in calidis regionibus, domi calceati manere conſueviſſe, ut *Calmetius* quoque *Diſſert. De re veſtiar. Ebræorum* non difficulter concedit. Quare Angelus *Petro* in cuſtodia vincto ait: ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, quod vulgatus Interpres vertit. *Calcea te caligas tuas* & quod ſervat etiam *Pſeudo-Abdias lib.* 1. quum tamen vertendum ſit *crepidas*, ſive *ſoleas*, ut patet, & oſtendunt *Salmaſius adverſus Cercœtium*, & *Nigronus de Caliga*. Et hinc elucet Apoſtolos ſandaliis eſſe uſos; & ſandaliorum Apoſtolorum frequens mentio apud *Pſeudo-Abdiam*. Et quidem *Marcus Cap.* VI. *v.* 9. ſcribit *Chriſtum* ſandaliorum tegmen Apoſtolis conceſſiſſe. Sed quid *Matthæo* faciemus, qui *Cap.* X. *v.* 10. ait Chriſtum præcepiſſe Apoſtolis ne calceamenta ſecum tollerent? Ad quem locum *Joannes Chryſoſtomus* habet: *Apoſtoli cum una tunica, & diſcalceati circumibant totum mundum, &c.* Sunt qui inter ὑποδήματα, quæ apud *Matthæum* a Chriſto prohibentur, & σανδάλια, quæ apud *Marcum* permittuntur, diſtinguant, & cenſeant illa, quæ totum pedem tegunt, inhiberi; hæc, quia.

quia plantam pedum dumtaxat ſubtegebant, concedi. Et quidem ſandaliorum, quibus Apoſtoli utebantur, mentio frequens, ut diximus, apud *Abdiam*; & in eburneo Dypticho Muſei Riccardiani *Petrus* & *Andreas* ſandaliis inſtructi conſpiciuntur; & hoc ſenſu Dominicum præceptum accipiebant Ægyptii Monachi, qui calceos recuſabant, ſandalia vero induebant, ut apud *Caſſianum de Habitu Monachorum lib.* 1. *Cap.* X. videre eſt. Quidquid autem ſit in antiqua ærea lucerna Gazæ *Medicæ*, quam alibi laudavimus, Eccleſiam ſub navis ſymbolo referente, *Petrus*, qui gubernaculum regit, habet pedes calceis undique veſtitos, quod quidem in Anaglyphorum imaginibus quas *Aringhus* exhibet, nuſquam cernere eſt; licet in iiſdem nudis omnino pedibus *Chriſtus* & Apoſtoli non frequenter occurrant, ſed omnes fere ſemper ſubligaculis & ſandaliis inſtructi, quemadmodum & apud *Lambecium lib.* II. *Comment. cap.* VIII. *Polycarpus* autem *Joannis* Apoſtoli diſcipulus calceatus extitiſſe traditur in inſigni *Smyrnenſis* Eccleſiæ Epiſtola, in qua ejus martyrium deſcribitur apud *Euſebium*. In hac diſcordi conſuetudine, & non una Evangelicorum verborum intelligentia, nil mirum, ſi Chriſtiani antiquiſſimi nudis pedibus ingrederentur. Hinc Chriſtianus apud crebro advocatum *Philopatridis* Scriptorem eſt ἀνυπόδητος. *Tertullianus* autem *libro de Pallio*, *Calceos* inquit *nihil dicimus proprium togæ tormentum immundiſſimam pedum tutelam, verum & falſam. Quem enim non expediat in algore, & ardore rigere nudipedem, quam in calceo unquipedem*. Et mox: *ſiquis calceatus induitur mundiſſimum opus eſt* (ſcilicet cum pallio) *aut pedes nudi magis, certe virile magis, quam in calceis*. Sic *Libro De Corona militis*, militem commendat calceos exuentem, quia Chriſtianus, & terræ nudis pedibus inſiſtentem. *Idem graviſſimas penulas poſuit relevari auſpicatus, ſpeculatoriam moroſiſſimam pedibus abſolvit terræ Sanctæ inſiſtere incipiens*. Sed perſpicue diſtincteque exponit *Clemens Alexandrinus lib.* II. *Pædagog. cap.* XI. quomodo pedibus ingredi Chriſtiani conſueſcerent, ſeu mares, ſeu feminæ. Ἡ γὰρ χρῆσις, inquit τῶν ὑποδημάτων, ἡ μὲν αὐτῶν εἰς σκέπην ποδῶν ἡ δὲ εἰς προφυλακὴν τῶν προσπταιομένων, καὶ τῶν ὀρειβατικῶν τραχυτήτων τὸ πέλμα ποδῶν σώζουσαν. Γυναιξὶ μὲν οὖν τὸ λευκὸν ὑπόδημα συγχωρητέον· πλὴν μὴ ὁδοιπορούσῃ δὲ τῷ ἀλείπτῳ χρηστέον· ἡλωμένων δὲ δέονται τῶν καττυμάτων αἱ ὁδεύουσαι· πλὴν τὰ πολλὰ ὑποδήμασι χρηστέον αὐταῖς· οὐ γὰρ ἁρμόζει γυμνὸν ἐπιδείκνυσθαι τὸν πόδα. ἄλλως τε καὶ ἐπίθυμον εἰς βλάβην ἡ γυνή. Ἀνδρὶ δὲ ἡ μάλα ἁρμόδιος ἀνυποδησία πλὴν εἰ μὴ στρατεύοιτο. Καὶ γὰρ τοῦ ἐγγύς τὸ ὑποδεδέσθαι τῷ δεδέσθαι. ἀσκητικώτατόν γέ τοι. γυμνοῖς χρῆσθαι τοῖς ποσίν, καὶ πρὸς ὑγείαν καὶ εὐκολίαν εὔθετον, ἔνθα μὴ ἀνάγκη τις διακωλύοι. εἰ δὲ μὴ ὁδεύοιμεν, ἀλλὰ μηδὲ φέροιμεν τὴν ἀνυποδησίαν, βλαύταις ἢ φαικασίοις χρηστέον. *Calceorum enim uſus hic quidem eſt ad tegendos pedes: alius autem ad propulſandas offenſiones, & a montanis aſperitatibus plantam pedis conſervans. Sunt itaque mulieribus albi concedendi calcei, niſi iter ineant: tunc autem eis unctis utendum eſt. Clavis autem perforatis opus habent Soleis, quæ viam conficiunt: quamvis illis ut plurimum calceis utendum eſt. Neque enim feminam decet pedem oſtendere: & alioqui mulieri tener eſt ſenſus, ut facile lædatur. Viro autem pulcre convenit nullos habere calceos, præterquam ſimiliter*. Τὸ ὑποδεῖσθαι enim non parvam habet adfinitatem cum δεδέσθαι quod eſt, *eſſe ligatum*. *Optimum quidem eſt exercitationis genus nudis uti pedibus, & ad ſanitatem, & ad expeditam facilitatem, ubi non prohibeat neceſſitas. Quod ſi iter non ingrediamur, nec nudis incedere pati poſſimus, ſoleis utendum eſt*. Illud autem quod a viduis ſpectatis Apoſtolus exigit, ut ſcilicet ſanctorum pedes laverint, tam ad eos qui nudis pedibus ingrederentur, quam ad eos qui ſandaliis & ſoleis uterentur, referri poteſt. Ceterum *Hieronymus* ad *Euſtochium*, *nudos patientia frigoris pedes* in Monachis quibuſdam non probat, & adfectatæ eos abjectionis inſimulat. Feminas autem nudis pedibus incedere vetitum idem *Clemens* Lib. II. cap. X. quoque ait, quemadmodum velari præceptum. Καὶ εἰδὼς ὅτι τὸ παραγυμνούμενον τὸ σφυρὸν κεκώλυται μόνον, ἐγκεκαλύφθαι δὲ καὶ τὴν κεφαλὴν καὶ τὸ πρόσωπον ἐπισκιάσθαι προσέταττε. *Neque vero ſolum* calcaneum eſt *probibitum ut nudent iis, verum etiam caput ut tegant, atque obnubant, illis eſt impoſitum*. Et quidem in antiquis anaglyphis ab *Aringhio* productis feminæ pedibus calceatis fere ſemper occurrunt. Ceterum id multum differt ab Ethnicarum feminarum moribus & inſtituto, ſiquidem

hæ,

hæ, quum ſoleis tantum & crepidis uterentur, pedis ac cruris partem nudam oſtendebant, ut recte docet *Oct. Ferrarius Analect. De re veſtiar.* vetuſtorum ſimulacrorum imaginibus in medium adductis. Harum ſolearum figuram habes etiam in antiquo marmore ſepulcrali, quod in Muſeo *Medicæo* adſervatur, & quod v. cl. I. *Gruterus*, & *B. Monfalconius*, & *Ant. Fr. Gorius* edendum curaverunt. Sed ut exemplum Chriſtianorum, qui nudis tantum pedibus incedebant, opportune proferam; ita conſuevíſſe *Origenem* Adamantium presbyterum tradit *Euſebius Lib.* VI. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* III. quod ex Evangelii verbis calceorum uſum a *Chriſto* interdictum opinaretur.

Duo interim a nobis obſervanda ſunt, quæ rem noſtram veſtiariam illuſtrabunt: Unum, etſi tam multa de Chriſtianorum veſtibus peculiariter diſſeruerimus, tamen exploratæ fidei eſſe, Chriſtianos veſtes cum Ethnicis, juxta regionis & patriæ ſuæ mores, generaliter loquendo, habuiſſe communes; necenim verum eſſe videtur, ut *Cl. Salmaſius* advertit, ſtatim ac quis Chriſtianus effectus eſſet, habitum veſtemque mutaviſſe, aut id ſemper perpetuumque ſervatum. Inſuper pro loco, pro ætate, pro dignitate, conditione, & officio varios fuiſſe Chriſtianorum amictus perſpicue docet *Clemens Alexandrinus* lib. III. *Pædagog. cap.* XI. & iis adplicanda ſunt, quæ de habitu Monachorum *Caſſianus lib.* I. *cap.* XI. habet. *Hæc dicta ſunt, nequid prætermiſiſſe de Ægyptiorum habitu videamur. Ceterum a nobis tenenda ſunt illa tantummodo, quæ vel locorum ſitus, vel uſus provinciæ, admittit. Nam neque caligis nos, neque colobiis, ſeu una tunica, eſſe contentos hyemis permittit aſperitas.* Hinc apud *Aringhium Abdon & Sennen* martyres *Perſæ*, more *Perſarum* induti, non aliarum gentium ritu, conſpiciuntur. Magi item, qui Jeſum adoratum ex Oriente venerunt, apud eumdem *Aringhium*, braccis, ſeu ſarabaris, ut cum *Tertulliano De Oratione* loquar & brevibus palliis, pileoque acuto, & inflexo, veſtiti occurrunt, non ſecus ac Martyres laudati; de quorum habitu & veſtibus multa diſſerunt. *Aringhius* laudatus, aut *Severanus*, & *Bonarotius*. Alterum eſt etſi Chriſtianos primi ſæculi multam in veſtibus ſimplicitatem præſetuliſſe ſatis demonſtraviſſe credamus, tamen inficiandum non eſſe, ſæculo ſecundo jam & tertio, luxum inter Chriſtianos ſenſim irrepſiſſe, id quod ex *Tertulliani Libris De Habitu muliebri, & de cultu feminarum & de Virginibus velandis*, atque ex *Clementis* Pædagogi *Lib.* II. & III. & *Cypriano de Lapſis* colligere proclive eſt, & perſpicue intelligeretur ex figuris *Tab.* XXI. XXII. XXIII. XXIV. apud *Bonarotium Ad vitra antiqua*, niſi ætate poſteriores eſſent.

Jam tempeſtive inquirendum videatur, an ulla eſſet primis illis Eccleſiæ temporibus inter Clericos, & laicos, veſtium diſcretio, & adfirmat quidem *Cl. Salmaſius* in ſuo ad *Tertullianum De Pallio* Commentario *Pallium igitur*, inquit, *Tertulliano* Sacerdos habitus *adpellatur, quod eo habitu tunc ſacerdotes uterentur Chriſtiani, eumque præferendum adſerit, non ſolum omnibus veſtibus, & ornamentis quibus paganæ* θρησκείας *antiſtites uterentur, ſed etiam omnibus exuviis & peplis, quibus Deorum ſimulacra veſtiri & ornari ſolebant. Ex hoc vel unico* Tertulliani *loco ſatis liquide liquere arbitror, illa ætate non paſſivum, & communem omnium, qui Chriſtianam fidem profiterentur, habitum fuiſſe pallium, ſed ſolorum presbyterorum*. Locus *Tertulliani*, quem laudat *Salmaſius*, eſt qui ſequitur: *Enimvero quum hanc primum ſapientiam veſtit, quæ vaniſſimis ſuperſtitionibus renuit, tunc certiſſime pallium ſuper omnes exuvias & peplos auguſta veſtis, ſuperque omnes apices ac titulos Sacerdos habitus*; quorum poſtremorum verborum lectionem ſtrenue eruditeque contra *Gelenium* tuetur. Et *Heraclas* quidem Presbyter pallium philoſophicum geſtaviſſe traditur ab *Euſebio Lib.* VI. *Hiſt. Eccleſ. cap.* XX. *Ceterum*, pergit ex intervallo *Salmaſius*, *ne illa quidem ipſa tempeſtate perpetuum hoc fuit, aut pro regula obſervatum, ut omnes Clerici pallium ſumerent, aut ſoli iſtum habitum uſurparent. Multos quippe ex laicis propter* ἄσκησιν, *hac eadem veſte philoſophica & aſcetica uſos eſſe ſcimus, & ex presbyteris eos ſolum, qui aſceticam profiterentur, hoc eſt, qui Apoſtolicæ humilitati, & ſeveriori Chriſti diſciplinæ, congruam & conſentaneam ſectam ſectarentur. Nondum enim aſcetarum* πολιτεία, *qui Monachi poſtea dicti ſunt, certis legibus ac*

regu-

regulis conſtituta in notitiam venerat &c. Sed quantas mutationes decurſus temporis invehit ? Hoc pallium , quod prima Eccleſiæ ætate ſacerdotum erat & clericorum , præcipue indumentum , ſub *Conſtantino* principe ita exoleverat , quum Epiſcopi & Clerici communi cum aliis veſte uterentur , ut indecens & incongruum Clericis veſtimentum haberetur , id quod ex *Synodi Gangrenſis Epiſtola* & *Socrate lib.* II. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* XXXIII. late *Salmaſius* laudatus oſtendit.

At hæc pauca de hominis Chriſtiani primitivi habitu , & re veſtiaria delibaſſe ſuffecerit, quum ex divortiis hiſce in regiam viam & ad propoſitum revertendi tempus jam ſit; quamquam & [illegible] hoc intentioni meæ conducere deprehenditur . Nam & heinc antiquorum Chriſtianorum humilitas , ſimplicitas , paupertas , exſiſtere ſorte aliquatenus , atque eminere, videatur; id quod ipſe demoſtrandum ſuſceperam , quodque vere dici poteſt, eſſe verasdivitias, veras delicias , de quibus ſoli Chriſtiani participant , quia boni & honeſti , ut late exſequitur *Clemens* eruditiſſimus *Lib.* III. *Pædag. cap.* VI. & VII.

MONITUM

Eſſent aliqua in hac Lamii diſſertatione caſtiganda; verum ſatis erit , Lectorem ad *Atromi Trajeomachi* Italicas epiſtolas amandare .

AD CAPUT XII.

P. EMMANUELIS DE AZEVEDO S. J.

De Diſciplina Arcani, & de Liturgiis.

DISSERTATIO XVII.

I. PAradoxa ſcribere , imo & deſipere mihi videntur , qui tanto labore ſuadere conantur , quatuor primis Eccleſiæ ſæculis nullum Canonem Liturgicum , hoc eſt formulam ſacrificalem privatis Codicibus , & Chartis conſignatam fuiſſe . Referam primo aliqua ſpectantia ad diſciplinam Arcani, qua illius ſæculi illigabantur divina Chriſtianorum Myſteria; quam diſciplinam tamen , ut ſæpiſſime commendatam legi ab Epiſcopis illorum temporum , prout magis, vel minus a gentilibus timebant; ita nullo Conciliari Decreto ſancitam ullibi memini; quod diligenter adnotandum eſt : deinde aliqua ad rem facientia breviter addam.

II. Ad diſciplinam Arcani hæc faciunt. Ruffinus Aquilejenſis in explicatione Symboli , non longe ab initio pag. 170. Edit. Pariſ. 1580. : Idcirco denique hæc non ſcribi chartulis , aut membranis, ſed retinoni credentium cordibus tradiderunt , ut certum eſſet hæc neminem ex lectione , quæ interdum pervenire poteſt etiam ad Infideles , ſed ex Apoſtolica traditione didiciſſe &c, : S. Hieronymus tom. 2. Operum per Vallarſium Edit. Veron. pag. 435. cap. 28. libri contra Joannem Joroſolymit. , alias Epiſt. 61. ad Gammachium pag. 124. Edit. Manutii : In Symbolo Fidei, & Spei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum non ſcribitur in charta, & atramento , ſed in tabulis cordis carnalibus &c. Sozomenus ſcribens ſub Theodoſio Juniore lib. 1. cap. 19. abſtinet a recenſendo Symbolo Nicæno : quia id debet tradi , & explicari a Sacerdotibus ; & quia periculum eſt , ne liber deveniat in manus non initiatorum myſteriis ; & cap. 20. vocat Arcanum reticendum.

III. S. Cyrillus Hieroſolymit. Catech. V. num. 12. Edit. Pariſ. per Toutte . Maur. Symbolum quidem ipſis verbis meminiſſe vos volo , & apud vos volo , & apud vos ipſos. cum omni ſtudio recitare, non chartis mandantes, ſed in corde inſculpentes memoriæ : dum vero meditando revolvitis , cavete , necubi Catechumenorum quiſquam , quæ vobis tradita ſunt exaudiat . Et Catech. VI. num. 29. Hæc myſteria , quæ nunc tibi pate-

patefacit Eccleſia, ex Catechumenorum ſorte transgreſſo Gentilibus exponere mos non eſt: Non enim Gentili, quæ Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum ſpectant, myſteria declaramus; neque Catechumenis etiam de Myſteriis palam loquimur, ſed multa ſæpe tecte dicimus, ut qui norunt fideles intelligant, qui vero neſciunt non lædantur. Legatur locus pulcherrimus ejuſdem S. Cyrilli in Procatheſi cap. 12. ubi iterum de non vulgando Symbolo, & myſteriis Gentilibus, & Catechumenis, ne iſti non intelligentes lædantur, & deriſui habeant.

S. Auguſtinus eadem habet de non vulgando Symbolo ſerm. 212. num. 2. tom. 5. & lib. de Symb. ad Catech. num. 1. tom. 6. Edit. PP. Maurin.

IV. Mirum eſt, quam crebris, & efficacibus verbis arcanum circa Symbolum commendet S. Petrus Chryſologus: fortaſſe aliquid incommodi acciderat in ejus Eccleſia ex Symboli evulgatione. In ſex Sermonibus a 56. ad 62. de Symbolo ſemper id ipſum inculcat Catechumenis ex ea ratione, ne Gentiles lædantur, & irrideant &c.

V. Eamdem Arcani diſciplinam fuiſſe circa Euchariſtiæ myſteria, Sacramentum Confirmationis &c. patet abunde ex notiſſima Epiſtola Decretali S. Innocentii I. data anno 416. ad Decentium, quam ſic concludit: Reliqua, quæ ſcribi fas non erat, cum adſueris, interrogati poterimus edicere. Citantur etiam pro hac diſciplina Tertullianus de corona militis cap. 3. S. Baſilius Magnus lib. de Spiritu Sancto cap. 27. ſed perperam: quæ enim hi ſcribunt, ſunt ſolum in commendationem traditionis Apoſtolicæ, & ſolum negant ſcripto aliquo Canonico, & publicæ auctoritatis hæc myſteria comprehenſa fuiſſe.

VI. Præterea Concilii Illiberitani Canon. 34. prohibuit, ne Dei, & Trinitatis imagines pingerentur in Eccleſia Dei: id factum ratione Arcani, ne Gentiles ſæpius ad Eccleſias convenientes ſcirent Chriſtianorum myſteria, interpretantur Albaſpineus in explicatione illius Canonis; Scheleſtrat. de Diſcipl. Arcani cap. 6. art. 3. Bona Liturg. lib. 5. cap. 6. Pagius n. 5., & 6. Critices ad an. 57. Baronii. SS. Benedictus XIV. lib. 4. de Canonizatione SS. part. 2. cap. 2. ſed incerta aliquibus videtur hæc interpretatio.

VII. Diſciplinam hanc Arcani, præcipue circa Symbolum, Epiſcopos aliquos retinuiſſe uſque ad VIII. ſæculum patet ex Paulino Epiſcopo in Synodo Forojulienſi celebrata anno 791. apud Harduin. tom. 4. pag. 854., ubi commendatur ſymbolum non ſcribendum.

VIII. Cetera de diſciplina Arcani videri poſſunt apud citatum. Scheleſtrat. Opere integro; & Bona lib. 1. cap. 16., & lib. 2. cap. 8. n. 1., & apud notatores ad citata ſcripta Patrum.

IX. Non obſtante tamen hac ſecreti diſciplina, S. Juſtinus Apol. 2. ad Antonium deſcribit omnes fere partes ſacrificii, in eoque mixtas fuiſſe Preces, Gratiarumque Actiones multiplices Reſponſiones populi &c. Eadem ſuſius proſequitur S. Cyrillus Hieroſolimitanus Catech. 23. quæ eſt 5. Myſtag. Ex quibus apparet Liturgicam formulam fuiſſe ſatis longam, nec adeo breviſſimam, ut putant aliqui id ſibi aſſumentes, ut tueantur opinionem de ea numquam ſcriptis tradita. Præterea idem S. Cyrillus pleraque omnia tradit de Sacramento Confirmationis Catech. 21. Myſtag. 3. & in aliis fere omnia de Baptiſmo. Formula vero Symboli ubique apparet in cit. Catecheſi, præcipue 4. & 14. licet ipſe adeo commendaverit, ne ſcriptis daretur; has enim Catecheſes vel ipſe ſcripſit, vel quod verius puto, exceptæ fuerunt ab ejus Clericis, dum ex tempore ab eo recitabantur. Symbolum etiam chartis tradiderunt. Tertullianus lib. 6. de velandis Virginibus cap. 1. & lib. de præſcript. cap. 13. adverſus Praxeam cap. 2. Item S. Athanaſius: Baſilius de Fidei Confeſſione. Ruffinus citatus. S. Auguſtinus in pluribus locis. S. Petrus Chryſologus. S. Maximus Taurin. S. Irenæus lib. 1. cap. 2. Origenes initio lib. Periarchon. S. Chryſoſt. Homilia 2. de Symbolo.

. Profecto mirum eſt, pleroſque ex his Doctoribus, qui tantopere ſilentium circa divina myſteria inculcaverant, eadem ſuis ſcriptis conſignaſſe. Quomodo ſibi conſtant Cyrillus, Auguſtinus, Petrus Chriſologus, Ruffinus, & in ſententia adverſariorum S. Baſilius, Tertullianus, &c.? Dicam facile ſi hæc diligenter res, alios minus, prout cujuſcumque indoles, & periculorum occaſio ferebat. Secundo. Id maxime voluiſſe Patres, ut hæc

non ſubjicerentur Gentilium oculis, aut Catechumenorum, quibus adhuc non ſatis ſidebant. Hinc Tertio. Miſſalia non fuiſſe Codicibus conſignata, qui in vulgus ſpargerentur, ſed ſcripta hujuſmodi fuiſſe, vel apud ipſos Patres, vel apud Clericos, & Sacerdotes, qui Patribus loquentibus, quæ dicebantur excipiebant, & diligentiſſime ſervabant. Hinc Quarto. Maxime caviſſe, ne hæc ſcriberentur pagellis Litteris Miſſivis, quæ facile deperderentur, & in manus Gentilium pervenire poterant. Ceterum hæc omnia ſervata etiam ſcripto, præcipue apud Epiſcopos, & Sacerdotes in Eccleſiis, dubitari non poteſt, cum apud eoſdem ſervarentur libri ſacri, & Codices ſcripturarum cum maxima diligentia, & in iiſdem omnia divina myſteria contineantur.

Hinc Quinto. Credimus ex hac diſciplina nullum ſolidum argumentum deſumi poſſe, quo ſtatuatur primis quatuor ſæculis nullam ſcripto conſervatam fuiſſe formulam Liturgicam apud Eccleſias, & Sacerdotes cum cautela jam indicata. Nam qui citantur horum ſæculorum ſcriptores, dum ajunt hæc myſteria, & ritus haberi ex traditione non ſcripta, non ſcriptis conſignata fuiſſe &c. & ſimilia; id unice innuunt hæc non haberi ex ſcriptura ulla Canonica, & ex libris publicæ auctoritatis in Eccleſia, non vero negant generaliter inſerta ulli libro, ſeu Rituali particularium Eccleſiarum: Et in hoc ſenſu locutus eſt Tertullianus, Baſilius, & Sanctus Auguſtinus: alioquin quis credat eos chartis conſignaſſe, quod retinendum ſola traditione in hoc ſenſu toties ſcripſerunt? Imo ſi ex traditione conſtabant Preces, & Ritus Liturgici, impoſſibile erat conſervari apud populos, & perſuadere univerſas. Eccleſias ſine ſcripti adminiculo; apud Patres enim, & Theologos, id dicitur haberi ex traditione, quod non ſcriptum Libris Canonicis ſervatum eſt moribus Eccleſiæ; atque de illis teſtantur Scriptores per omnes ætates ſuis privatis ſcriptis: Ex ſcriptoribus enim conſtat de traditione. At impoſſibile videtur tot ſcriptores in diverſiſſimis regionibus Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis referre adeo uniformiter fere omnes Ritus Liturgicos, niſi legiſſent formulas ſacrificales ſuarum Eccleſiarum ſervatas apud Epiſcopos, apud quos non dubitamus ſcripto repoſitas fuiſſe una cum ſymbolo, & aliis ſpectantibus ad adminiſtrationem Baptiſmatis reconciliationis Pœnitentium, & aliorum Sacramentorum. Credat, qui voluerit, hæc omnia ſola memoria tenuiſſe Epiſcopos, Diaconos, &c. qui tam multa in ſacrificio ipſo interloquebantur,

Ego non credam.

XI. At Patres cum impugnant vel hæreticos, vel adverſarios aliquid immutantes de Ritibus Liturgicis, nunquam citant Liturgias ſcriptas, ſed conſuetudinem, & traditionem Eccleſiæ. Item Chryſoſtomus, & Baſilius, qui ſuas Liturgias ſcripſerunt, nullam laudant Veterem Liturgiam. Sed hæc nullius ſunt momenti. Quid enim proferrent ad convincendos adverſarios libros privatos, & particularium Eccleſiarum, qui non erant Canonici? Cum præcipue illis ſæculis formulæ ipſæ ſacrificales ſecundum diverſum morem Eccleſiarum in pluribus accidentalibus diſcreparent. Ad Baſilium, & Chryſoſtomum dico, quod antequam ipſi novam ſuam Liturgiam proponerent, utique in Eccleſiis celebrabatur ſacrificium, unde non dubito fuiſſe illis ſuam formulam ſacrificalem: hanc reformaſſe Baſilium, & Chryſoſtomum tradunt hiſtorici; nec opus habebant illam citare, cum eandem proponerent, paucis immutatis.

XIII. At proferamus jam argumenta, quibus ſuadetur ſcriptam fuiſſe formulam Liturgicam primis illis ſæculis.

Primo ab abſurdo; Nam ſi hæc omnia peragebantur memoriter, quot errores admiſſi fuiſſent a Sacerdotibus, cum nihil facilius, quam memoriam deficere circa Ritus & verba, præcipue in Viris ſenio gravatis, & actionis longitudine defatigatis! Hinc etiam originem duxiſſet mira deformitas in ſacrificando, non ſolum in diverſis Provinciis, & Sacerdotibus; ſed in eadem Civitate, eodemque Sacerdote, quia una die orationes, & preces uno modo, altera diverſo modo enunciaſſet; at ex antiquis Scriptoribus conſtat, conſtantem fuiſſe ritum, & orandi, & agendi in re tanti momenti. Nec eluditur hoc argumentum nunquam ſolutum a ſententia oppoſita, fingendo priſcis illis temporibus ſacrificalem formulam fuiſſe breviſſimam,

pauci-

Digitized by Google

pauciſſimoſque Ritus complexam: Nam toto cœlo falluntur, qui ita ſcribunt: eoſque ſatis redarguit S. Cyrillus Hieroſol.; qui utebatur Liturgia non a ſe denuo cuſa, ſed antiqua Hieroſolymitana: Legatur Catech. 23. Myſtag. quinta, & ex ſimplicitate Rituum, & Orationum ſtatim apparebit, quam longe ſacrificium protenderetur. Præterea Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus circa annum 434. in Tract. de Trad. Miſſæ teſtatur Chryſoſtomum, cui fuerat Amanuenſis, & Baſilium ideo præcipue Liturgiam reformaſſe, quia longior moleſtia afficiebat populum. Nemo autem dubitat Liturgiam, qua uſi ſunt Chryſoſtomus, & Baſilius, ante ſuam reformatam antiquam fuiſſe, & jam uſitatam tertio ſæculo, & fortaſſe etiam ſecundo. Iterum interrogo, quis credet Liturgiam Baſilii, & Chryſoſtomi peracta fuiſſe a Sacerdotibus memoriter? Multo minus igitur credam, Veterem longiorem nullum adminiculum habuiſſe ex Codice ſcripto. Plinius in ſua diſſertatione de hoc argumento num. 49. ingenue ſcribit: Cum floruerit S. Cyrillus ſæculo quarto, dubium eſſe non poteſt, quin ſi pro Codice aliquo Liturgico ante ejus tempora ſcripto ſolidi aliquid afferri poſſet, ſententia negans ullum hujuſmodi Codicem quatuor primis Chriſti ſæculis, ſcriptum extitiſſe plane corrueret. At ſubjungit non corruere, quia Cyrillus non refert diſtincte verba, quibus comprehenſæ erant Orationes, quaſi ex formula concepta recitarentur. At nos ex eodem Cyrillo argumentum noſtrum urgemus ita. Actio ſacrificalis ſatis longa erat, ut refertur a Cyrillo in ſua Eccleſia; plurimæ erant Preces, & Ritus; intermixtæ etiam reſponſiones populi &c.; At parum quid ſolidi cuipiam videri poteſt difficultas, & impoſſibilitas hæc omnia peragendi memoriter, ad adſtruendum Codicem Scriptum? Secundo: Primis illis ſæculis in Eccleſia ſacrificii tempore lectum Evangelium, ex Codice teſtantur Euſebius lib. 2. Hiſt. cap. 15. & alii apud Bonam lib. 2. cap. 7. num. 1. Item nemo dubitat pſalmos, & hymnos in Codicem relatos, nec memoriter decantatos a populo. At quis credat partem præcipuam ſacrificii, & quæ ſpectat ad Sacerdotem, caruiſſe ſubſidio libri cum periculo turpiter errandi? Tertio: In Conſt. Apoſtolicis S. Clementis I. Papæ lib. 2. cap. 57., & lib. 8. cap. 5. & 6. habetur fere integra Liturgia, quam ſe ab Apoſtolis accepiſſe, & deſcripſiſſe dicit. Scio Scriptorem illius Operis non credi Clementem; at opus eſſe antiquum, & ſcriptum tertio ſæculo plerique credunt apud Bonam lib. 1. cap. 8. 3. 4. imo conflatas has Conſtitutiones ex variis Opuſculis Virorum Apoſtolicorum circa finem ſecundi ſæculi concedit Eterodoxus Caveus in Clemente.

XIII. Quarto: Jacobum Minorem Fratrem Domini Liturgiam tradidiſſe, & ſcriptam perſeveraſſe in Eccleſia Hieroſolymitana, & pervaſiſſe pleraſque Orientis Eccleſias videtur certum: id agnovit Nicolaus Methones Epiſcopus, Marcus ipſe Epheſinus, Card. Beſſarion in Opuſculo de Sacramento Euchariſtiæ, Claudius Saintes in Præfat. ad Liturgias Patrum cap. 8. Leo Allatius integra Diſſertatione in ſuis Synomiſtis part. 2. pag. 176. Bona lib. 1. cap. 8. 5. 3. Martenius, & alii non pauci. Difficultates quæ fiunt in contrarium, tanti non ſunt, ut credere non debeant auctoritati S. Cyrilli Hieroſolymitani, quæ refert pleraque, ut in hac Liturgia Jacobi: item auctoritati Procli Conſtantinopolitani de Traditionibus Miſſæ (quod fruſtra negatur eſſe ipſius; legatur Vincentius Ricardus in notis ad Opera Procli Romæ 1630. & Caveus) ubi diſerte aſſerit Jacobum ſcripſiſſe Liturgiam; & demum Auctoritati Concilii Trullani Can. 32. quod ſcriptam aſſerit Jacobi Liturgiam. Celebratum fuit anno 691.

XIV. Quinto: Canonem noſtrum Latinum, & Mozarabum etiam, ſcriptum ante ſæculum quartum non levis eſt conjectura, quod nullum ibi recitetur nomen S. Confeſſorum, ſed tantum Martyrum. Cultus Confeſſorum haberi cæpit initio ſæculi quarti, & ideo Confeſſores non apparent in Canone Noſtro. Legatur SS. Benedictus XIV. lib. 1. cap. 5. num. 3. Bona lib. 2. cap. 12. num. 3. In Canone Mozarabo præterea oratur pro Hilario, Athanaſio &c. tamquam pro ſpiritibus pauſantium, & non commemorantur tamquam Sancti, quæ omnia oſtendunt tempora antiquiora quarto ſæculo.

XV. Circa hanc controverſiam de Liturgiis ſcripto conſignatis in quatuor primis ſeculis legendi ſunt Le Brun in explicatione Miſſæ tom. 2. Diſſert. 1. Ambroſius Gandeborſe in Hiſt. Eccleſ. Synopſi tom. 1. Diſſert. 5. Joan. Plinius de Liturgia Mozarabica ad frontem tomi 6. Julii Bolland. a 53. ad 5., qui non diſſimulat ſe adhærere ſententiæ negan-ti fuiſſe aliquam formam Liturgicam ſcriptam quatuor primis Eccleſiæ ſæculis; ſed ejus argumenta mihi non ſolide probant. Honoratus a S. Maria Carmelita de uſu Critic. lib. 5. diſſert. 3. a §. 3. ubi pugnat pro ſcriptis Liturgicis. Legatur etiam Marten. lib. 1. cap. 3.

XVI. Sunt, qui putent S. Joannem Chryſoſtomum, & Baſilium primos ſcripſiſſe Liturgias, quod quidem confirmant, ex eo quod nullam anteriorem Liturgiam Patres iſti laudant. Sed his apte reſpondemus verbis Claudii de Saintes in Præfat. ad Liturgias Patrum cap. 6. Poſtulamus, quod eſt in Dei noſtri Religione uſitatiſſimum, animadverti: Inſtituta, imo etiam antiquitus jam præcepta, ſæpe iterum quaſi nova præcipi, aut quia, neſcio quorum culpa, deſinant, aut non legitime obſerventur, aut quia, ne aliquando antiquentur obrepentibus hominibus vitiis, cautius ſit proſpiciendum &c. Id fecere Baſilius, & Chryſoſtomus, non quod ante illos nulla fuerit ſcripta Liturgia.

AD CAPUT XIV.

P. PETRI LAZERI S. J.

De Perſecutionibus in Eccleſiam excitatis Ævo Apoſtolico.

DISSERTATIO XVIII.

Apoſtolicum ævum quod dicitur, Trajani imperio concluſit Hegeſippus *apud Euſebium lib. 3. H. Eccl. cap. 32.*; poſtquam *Apoſtolorum chorus & omnis illa ætas, quæ a Domino ſuſceperat vivæ vocis auditum de hac luce diſceſſit*, ut eum locum vertit Rufinus. Hæc in illam ætatem laus ibidem confertur, quod ſingulari Dei Providentia fuerit a violentiori Hæreſum incurſu & manifeſtiori libera; *corruptoribus veritatis & Divini Verbi temeratoribus aut nuſquam omnino extantibus, aut etiam, ſi qui forte fuerant, in occultis & abditis terræ hiatibus deliteſcentibus*. Itaque vehementiori vi Perſecutionis illius caruit, quam Auguſtinus *enarrat. in pſ.* 1x. *v.* 27. vocat *fraudulentam*. Habuit vero quam ille primam Perſecutionem Eccleſiæ dixit, *cum proſcriptionibus, tormentis, cædibus Chriſtiani ad ſacrificium cogerentur*, ejuſdem Providentiæ illuſtriori documento; cum in Eccleſiam recens fundatam non ſolum portæ inferi prævalere non potuerint, ſed quod Tertullianus *Apol. cap.* 5. poſtea animadvertit, *plures efficerentur Chriſtiani, quoties a Paganis metebantur*. Quare valuit, valetque obſervatio Perſecutionum ad Eccleſiæ Chriſtianæ veritatem demonſtrandam; quam PP. ita propoſuerunt, ut ab infelici Perſecutorum & lapſorum Chriſtianorum exitu modo eam repeterent, ut inter ceteros Tertullianus *adv. Scapulam*, & Auctor *de mortibus Perſecutorum*, & Hieronymus; modo a Fidei inter has ærumnas propagatione & Eccleſiæ perpetuitate, ut Arnobius & ceteri Apologiſtæ atque Auguſtinus *de Civit.*; vel a Martyrum conſtantia, ut Athanaſius *de Incarnatione Verbi*; ſpectato ſcilicet ingenti eorum numero, ætatis & conditionis variæ, vitæ anteactæ ſanctitate, vel virtutis ſpecimine in morte edito, aliiſque adjunctis; ſine quibus bene Noſtri docent idoneum argumentum non hinc confici ad Eccleſiæ veritatem oſtendendam. Quas vero Perſecutionis cauſas PP. fuiſſe aſſerunt, vel Ethnicis intentandæ, vel Deo permittendæ; non omnes ſed aliquæ tantum valent in ævum Apoſtolorum. Immi-

minu-

Digitized by Google

minutum Deorum cultum & auctum numerum Chriſtianorum ex Auctore *de M. P.* Ethnicis cauſam fuiſſe aſſerimus inſectandi Chriſtianos hoc etiam tempore, non vero altera quam Apologiſtæ præſertim repetunt a calumniis & criminibus Chriſtianis afflictis, quæ ad aliud tempus pertinet, quando Gnoſticorum aliæque Hæreſes invaluerunt. Si autem homini fas eſt *Deum*, ut Tertullianus ait, (*in Scorpiac. cap. 7.*) *ventilare*, hæc videtur ob eam potiſſimum cauſam Deus permiſiſſe, quod Perſecutio eſſet *Fidei documentum*, ut eam vocavit Hilarius *in pſ. 118. l. 12. n. 7.* & quemadmodum Cyprianus *in Epiſt. ad Lucium*; ut ad Eccleſiæ hoſtes *confundendos & retundendos oſtenderet Dominus quæ eſſet Eccleſia*.

II. *Cenſus diſciplinæ* noſtræ *a Tiberio eſt; cum odio ſui cœpit ſimul veritas atque apparuit inimica eſſe*, vere omnino ſcripſit Tertullianus *Apolog. cap. 6.* Itaque a Tiberii tempore Perſecutiones numerare poſſemus cum Auguſtino *lib. 4. de Civ. cap. 52.* primamque facere, *qua ipſe Dominus crucifixus eſt*. Quod ſi numerandæ ſint, *quæ ad corpus pertinent non qua ipſum caput eſt appetitum, & occiſum*, admonente eodem Auguſtino, plures Perſecutiones occurrunt in Actis Apoſtolorum, 1. quando Stephano occiſo *facta eſt Perſecutio magna in Eccleſia quæ eſt Hieroſolymis*, quando etiam *Saulus devaſtabat Eccleſiam per domos intrans, & trahens viros & mulieres tradebat in cuſtodiam Act.* VIII. Altera Perſecutio narratur *Act.* XII. cum *miſit Herodes Rex manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſia; occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio &c.* Harum Perſecutionum primam anno 1. poſt Chriſti Domini mortem, ideſt juxta rationes noſtras, anno vulg. æræ 30. collocamus, alteram anno 42. Nec vero Hieroſolymis ſolum ſævitum eſt in Chriſtianos; & bene Henſchenius (*Act. SS. ad 10. Febr.*) ex antiquis Martyrologiis SS. Andream & Aponium in altera hac Perſecutione Bethleemii paſſos putat. Nihil tamen huc facere putamus, atque ad Eccleſiæ Perſecutiones pertinere, quod eodem anno ex Dione *lib.* LX. *pag. 668.* habetur; Judæos prohibitos conventus agere. Quamvis enim Judæorum nomine venire Chriſtianos aliquando apud Ethnicos Scriptores non diffiteamur; tamen cum ibi multitudinem tantam Dio ſignificet, ut ſine tumultu Roma exigi non poſſent, id in Chriſtianos convenire non videtur, recens Romam advecto Petro, quem primum Fidem in hanc urbem intuliſſe cum Irenæo, Euſebio, Epiphanio, Chryſoſtomo, Theodoreto cenſemus. Aliam omnino rem, atque aliud tempus (Claudii annum IX. ex Oroſio *lib. 7. H. cap. 6.*, & ex Joſephi loco non illo quidem ſuppoſito, ſed qui periti) ſignificavit Suetonius *in Cl. cap. 25.*, cum de Claudio ait *Judæos impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes Roma expulit*. Hic quoque ex *capit. ult. Act.* Chriſtianos intelligi debere negamus, quos proprio ipſorum nomine cognitos Suetonio fuiſſe ex alio ipſius loco (*Neron. cap. 16.*) liquet: falſumque omnino eſt, quod Binghamus (*Orig. Eccl. lib. 1. cap. 1.*) hic *omnes omnino eruditos* Judæorum nomine Chriſtianos accipere pronuntiavit. An vero Hebræi tantum peculiari ejus gentis odio; an, quemadmodum Valeſius vult, peregrini omnes Roma expulſi fuerint, nobis non conſtat. *Chreſtum* etiam qui a Suetonio nominatur (etſi ex Tertulliano, & Lactantio Chriſtum Dominum errore ita appellatum a Paganis aliquando novimus) vulgaris hominis nomen fuiſſe arbitramur, ſive Romani, ut Pitiſcus contendit; ſive, ut alii volunt, Græci. Alias in Paleſtina adverſus Chriſtianos excitatas fuiſſe Perſecutiones ex Jacobi Hieroſolymorum Epiſcopi Martyrio certum exploratumque eſt. Eam Hiſtoriam, cujus auctor dicitur Hegeſippus ab Euſebio *lib. 2. H. cap. 23.*, defendimus; excipimuſque ſolum, quod additur; prope templum adhuc eo tempore fuiſſe, quod τὴν ςήλην, merito fortaſſe ſuſpectum eſt viris doctis. Jacobum hunc, etſi fateri malumus eumdem eſſe, ac Jacobum minorem filium Alphæi, abſtinemus tamen ab *imprudentiæ* nota, quam recens vir eruditus ei opinioni inuſſit, quam Euſebius, Epiphanius, Nyſſenus, Hieronymus adamaſſe videntur, atque hos ſecuti Florentinius, Combefiſius, Henſchenius; ut omittam Michaelem Glycam, Nicephorum Calliſti, & pleroſque Græcos recentioris ætatis.

III. His Perſecutionibus omiſſis multi Vett. cum Oroſio *lib. 7. H. cap. 27.* Perſecutiones numerant X., totidem quot

paſſus

paſſus eſt Moyſes a Pharaone *contradictiones*, quas decem *plagæ* pariter ſecutæ ſunt. Duo nos aſſerimus 1. quod antiquorum nonnullis viſum eſt, præter illas, nullas unquam Eccleſiam paſſuram Perſecutiones, uſque ad poſtremam Antichriſti; quam alii undecimam, alii cum Severo Sulpicio *lib.* 2. *H. S. cap.* 23. decimam dixeruut, ſimilem plagæ illi, *qua Ægyptii dum hoſtiliter perſequerentur Hebræos, in mari rubro, populo Dei per ſiccum tranſeunte, perierunt*; falſum id eſſe, & jure refutatum ab Auguſtino *lib.* XVIII. *de C. cap.* 52.. Alterum eſt: etſi ibidem Auguſtinus plures alias Perſecutiones coacervat, retinere tamen cum pleriſque Vett. denarium illum numerum Perſecutionum poſſumus; eas ſcilicet intelligentes, quæ vel plures mundi plagas comprehenderunt, vel publicorum edictorum, ſive exquiſitorum apparatu ſævierunt &in quibus præcipua quadam ratione periclirata eſt Eccleſia, antequam Criſtianorum Imperatorum edictis ſtabiliretur. Ex his Perſecutionibus duæ ab Oroſio, Auguſiino, Sulpicio, Auctore de M. P. ceteriſque recenſentur, quæ ad ævum Apoſtolicum pertinent, Neronis, & Domitiani, quibus plerique tertiam addunt Trajani. Haſce tres nos admittimus.

IV. Primus Nero (quo *dedicatore damnationis noſtræ*, ut Tertullianus ait *Apolog. cap.* 5. *gloriamur*) in Chriſtianorum Eccleſiam *tum maxime Romæ orientem Cæſariano gladio ferociit*; quod Ethnici ipſi Auctores teſtantur. Ad eorum *Commentarios* provocat Tertullianus; quo nomine intelligere putamus Taciti Annales præſertim *librum* XV. *cap.* 45., & Suetonium *in Nerone cap.* 16. Quare idem *in Scorpiac. cap.* 15. *Vitas Cæſarum legimus; orientem Fidem Romæ Rimus Nero cruentavit*. Hi vero dicendi modi faciunt, ut credamus primum omnino Neronem Romæ capite damnaſſe Chriſtianos. Quamobrem ſuſpecta nobis ſunt quæcumque Romæ Martyria ſub prioribus Imperatoribus narrantur, quale eſt S. Priſcæ, ſi ſub Claudio 1. non Gothico collocetur. Nec vero aliquid Baronium adjuvat Tacitus *repreſſam Chriſtianorum ſectam* dicens. Vel enim de eodem Nerone intelligendum, ut multi faciunt; vel explicanda verba illa cum Henſchenio *Act. SS. tom.* 2. *Jan. pag.* 183. de Pilato. Qui Priſcam hanc putant, quam Paulus ſalutat *Rom. XVI* 3. magis etiam urgentur, quod ſcribens alteram epiſtolam ad Timotheum ſub Nerone eam iterum ſalutet. Nos diverſam putamus; Priſcamque & Aquilam eoſdem, qui alibi Aquila & Priſcilla vocantur; quos Martyres unus Veterum aſſerere exiſtimatur Chryſoſtomus; non tamen nobis, qui eo loco (*oper. tom.* 3. *pag.* 186. *E.*) nihil aliud indicare videtur, quam gravia eos pro Paulo pericula adiiſſe; atque eodem ſenſu Martyres alibi(*oper. tom.* 9. *pag.* 741.*B.*)appellaſſe. Cæterum Priſcæ illius quæ die 18. Januarii colitur Martyrium ignoraſſe videtur Veteres omnes, qui Theclam ſub Nerone paſſam feminarum πρωτομάρτυρα apellant.

V. Theclæ antiquiſſima Acta que legebantur nomine *circuitus Pauli & Theclæ*, ſuppoſita tamen, ut Tertullianus & Hieronymus teſtantur, vix inducere in animum poſſumus, nunc extare, atque illa eſſe quæ Grabius vulgavit, ſupplevitque Thomas Hearne. Illud aſſerimus, Baſilio Seleucienſi abjudicandum librum *de vita & miraculis S. Theclæ*, tum ob ſtili diverſitatem ab eo, quem Photius Baſilio tribuit, tum quod idem Photius teſtetur eum librum metro ſcriptum, a Baſilio: utroque autem modo ſcriptus, ut Tillemontius putat, nemo Veterum prodidit. Sanctæ huic Virginipræconia illa vindicamus, quæ apud PP. frequentiſſima occurrunt; *ut cum quid ſuperexcellens de femina dictum vellent eam Theclæ nomine donarent*, ut bene Baronius ſcripſit, & ex Hieronymo conſtat. Titulum tamen *Apoſtoli*, qui in libro cit. Baſilii nomine, atque apud alios Græcos Scriptores ei collatus reperitur, ſuſpicor ex *circuitu* illo depromptum, ex quo libro, Tertulliano teſte *de baptiſm. cap.* 17. Hæretici colligebant, licere mulieribus publice in Eccleſia docere & baptizare, quod Thecla Paulum ſecuta palam docuiſſet, & baptizaſſet: niſi mavis ita excuſare, atque in eo ſenſu accipere, quo, adnotante Spelmanno, *Apoſtola* nuncupata eſt Clotildis Clodovei uxor, quod prima fuerit apud eos Chriſtiana: *& Apoſtolici* olim dicti ſunt proximi ab Apoſtolis, antiquitate *& conſanguinitate doctrinæ*, ut loquitur Tartullianus *de Preſcr. cap.* 32., atque ita Thecla vocetur ἀπόστολος quod feminarum antiquiſſima & prima martyrii ſui teſtimonio publico fuerit Fidem profeſſa. Martyris enim titulum obti-

obtinuiſſe, & antiquiſſimum fuiſſe hoc nomine ejus cultum affirmamus, cujus teſtis Evagrius, Procopius, Nicæna II. &c. in Occidente etiam & Romæ, ut monumenta declarant, quæ Dominicus Georgius (*ad Adon. Martyrol.*) protulit. Nihilominus Tillemontio aſſentimur contra Baronium pugnanti Theclam pluribus tormentis objectam, igni præſertim & feris, ut PP. dum habet docent, *in pace requieviſſe*; quemadmo- Romanum Martyrologium *die 23. Sept.* Atque hæc cauſa fuiſſe videtur cur ex Martyrologiis alii alium locum ejus recolendæ memoriæ deputent (in qua re explicanda mire ſe torquet Florentinius) quod alii locum paſſionis, mortis alii locum deſignent; cum vetuſtiſſimum Hieronymianum Epternacenſe, Sollerio teſte, *orientem* dumtaxat nominet. Etſi de anno non conſtat, quo tormenta ſubivit, longius tamen ab eo tempore quo Iconii paſſus eſt Paulus: & ſupplicia quibus Thecla fuit deſtinata declarant, non Judæorum, ſed Ethnicorum rabiem expertam.

VI. Hinc vehementer a Dodvvello diſſentimus (*in diſſet. de paucit. MM.*) quod ille Neronianam Perſecutionem intra urbis mœnia concludat, nos latius multo patuiſſe, & Orientis etiam regiones comprehendiſſe cenſemus; in quibus multi omnino Martyres extiterint. Hinc vero auguror ortam opinionem illam, quæ illis temporibus invaluerat apud Chriſtianos, Neronem, vel ipſum eſſe Antichriſtum qui jam advenerat; vel *translatum, ac vivum reſervatum*, *Sybilla dicente*; *Matricidam profugum a finibus eſſe venturum*; *ut quia primus perſecutus eſt, idem etiam noviſſimus perſequatur, & Antichriſti præcedat adventum*, ut eſt aqud *A. de M. P.* Primum ex his opinatos eſſe *multos* teſtis eſt Hieronymus *in Daniel. cap. 11. v. 27.* alterum Auguſtinus nonnullis tribuit *lib.* xx *de Civ. cap. 19.*, & Sulpitius Severus *lib. 2. H. S.*; qui pariter *lib. 2. Dial.cap. ult.* teſtatur, id ſenſiſſe B. Martinum; Neronem & Antichriſtum ſimul venturos, atque alterum ab altero perimendum. Sybillæ verſus quos A. commemorat nunc quoque extant *lib. 5. Sybil. orac. v. 364.* & *lib.* v. *v. 91.*; de quibus eadem quæſtio eſt, quæ de ceteris Sybillinis.

VII. Primi Romæ MM. fuere, quos Ethnicorum *commentarii* narrant a Tertulliano allegati; cum nimirum Nero Romani incendii *abolendo rumori ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affectos, quos vulgus Chriſtianos appellabat*, ut refert Tacitus *l. c.*; a quo *multitudo ingens* vocatur. Horum MM. commemoratio VIII. kal. Jul. conſignata eſt in Romano Martirologio, ſed multo recentiori ætate, quam ut hinc necis illorum verum diem, ut Lualdus facit, colligere debeamus. Necatos illos dicimus cum Papebrochio paulo poſt inſenſam Romam; cui incendio Tacitus *lib.* xv. *An. cap.* 41. XIV. Kal. Sextiles principium factum tradit L. Lecanio Baſſo M. Licinio Craſſo Coſſ. id vulg. æ. 64. Ergo hos illo anno *primitias Martyrum Romana Eccleſia tranſmiſit ad Dominum*; ut ha bet Martyrologium Romanum. Ante hoc tempus nullum dicimus Martyrem Romæ paſſum poſſe demonſtrari. Itaque Neronianæ Perſecutioni eo anno initium factum, quæ ferme duravit ad Neronis necem a. 68.

VIII. Quod apud Euſebium *lib. 2. H. cap. 25.* Dionyſius Corinthius tradit, Apoſtolorum Principes martyrium paſſos κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν, hanc putamus interpretationem habere, ut unum eumdemque annum deputet utriuſque paſſioni; quod diſerte affirmat Liberianus catalogus, Epiphanius, Hieronymus, Leo Papa, Caſſiodorus, Idatius &c. Itaque hoc malumus, quam quod Prudentius, Arator, & Auctor Sermonis 205. *Append. Auguſtin.* (*tom. 5. oper. col.* 340. *num.* 4.) affirmavit, eodem die, ſed non non eodem anno paſſos. Diem hunc ſtatui debere III. kal.Jun. *exploratiſſimum* eſſe jure dixiſſe Baronium aſſerimus contra Dodvvellum *l. c.* §. 14., neque illum eſſe diem translationis alicujus. Hinc colligimus Apoſtolorum Martyrium ſtatui non poſſe ante annum vulg. æ. 65. Ne vero ultetius differamus obſtant anni Petri Succeſſoribus aſſignandi. De loco Martyrii Principis Apoſtolorum, contra Baronium, Sommier, Ciacconium &c. aſſentimur Papebrochio, & Franciſco Blanchinio, a quo vere dictum *in not. ad Anaſtaſ. in Petr. Conſenſus omnium ætatum docet in Circo Vaticano eum cruci affixum inter utramque metam Circi, prope quem locum Evariſtus titulum ſuperſtruxit ſepulcro, Conſtantinus Baſilicam Vaticanam*. Vegius ceterique, qui *metam utramque* interpretantur

tur

tur ſepulcra Hadriani & Cæſtii nugas agere velle nobis videntur. Cum vero Cajus, qui Zephirino Papa floruit, apud Euſebium *lib.* 2. *H. cap.* 25. teſtetur *Apoſtolorum trophæa* in Vaticano fuiſſe & in Oſtienſi via; hinc, ſpectata etiam antiqua Chriſtianorum diſciplina, niſi aliter facere prohiberentur, Martyres in loco quo paſſi fuerant ſepeliendi, & martyria ibi conſtruendi, nolumus cum Papebrochio locum Martyrii S. Pauli longius removere ab Oſtienſi via. Martyrii genus diſerte ſignificavit apud Euſebium *lib.* 3. *H. cap.* 1. Origenes; crucifixum fuiſſe Petrum capite deorſum demiſſo; Petri vero & Pauli Euſebius *lib.* 2. *cap.* 25., Tertullianus *de Preſcript. cap.* 36. aliique quos ad hunc Tertulliani locum congeſſit Chriſtianus Lupus, ut jam de eo dubitare non liceat. Quam cauſam intentatæ a Nerone mortis Græcus commentarius a Papebrochio productus *ad d.* 29. *Jun. num.* 13. *pag.* 416. *&* *pag.* 423. *num.* 27. narrat, fuiſſe ejus Imperatoris pellices duas ad caſtam vitam traductas ab Apoſtolis; cum eamdem Pauli rerum diligens ſcrutator Chryſoſtomus tradat non uno in loco (*lib.* 1. *adv. oppugnat. Vit. Monaſt. n.* 3. *tom.* 1. *pag.* 48. *in II. epiſt. ad Timoth. hom.* 3. *num.* 1. *tom.* 11. *pag.* 673.) veram fuiſſe cenſemus, atque ex traditione vel monumentis antiquioribus fide dignis hos Scriptores accepiſſe.

IX. Quamobrem de Cæſaris ideſt Neronis domo quoſdam amplexos fuiſſe Chriſtianam fidem arbitramur; quos Paulus *ad Philip.* IV. 22. *Sanctos de Cæſaris domo* vocet. Nolumus enim cum Dorotheo, quicumque ejus nomine circumferatur ineptus fabularum conſarcinator, in libro de LXX. diſcipulis (*tom.* 3. *Bibl. PP. L. pag.* 429.) Cæſarem Dyrrachii Epiſcopum facere: præſertim cum videamus apud eumdem Chryſoſtomum *hom.* 46. *in Act. tom.* 9. *pag.* 349. perhiberi, Paulum ſalutaſſe Neronis [illegible] καὶ [illegible] Nec vero non aſſentimur iis, qui horum nonnullos Martyrium obviſſe affirmant, præcipue Torpetem; de quo bene a Papebrochio (*A. SS. d.* 17 *Màji.*) & Sollerio (*ad M. Ult.*) pronuntiatum; quantum illuſtris & antiquus ejus eſt cultus, tantum incerta eſſe omnia quæ de ipſius Martyrii hiſtoria vel Sæculo VII. notâ inveniuntur: quod idem de S. Evellio, quem eſſe *de familia Neronis* Romanum Martyrologium affirmat (*d.* 11. *Maji*), Pudente Senatore, & ceteris ferme dici poteſt. Et ſi duos Pudentes cum Papebrochio (*ad d.* 19. *Maji*) diſtinguamus, alterum antiquiorem SS. Apoſtolorum hoſpitem, alterum Praxedis, & Pudentianæ patrem Sæculo II., nihilominus de Actis, quæ a Paſtore ſcripta feruntur aſſentimur Solerio (*ad Mart. Uſuard.*) *prudenter* dubitari poſſe an ejus Scriptoris ſint cui tribuuntur. An vero Pudens alteruter Martyr dicendus ſit, qui in Kalendario Carthaginienſi *ap. Mabillon. tom.* 3. *Annal.* inſcriptus fuerit, ut Fontaninus *Hiſt. Aquil. lib.* 2. *cap.* 2. ſuſpicatur, nobis non liquet.

X. Martyrum plurimorum, qui Neronianæ Perſecutioni, adſcribuntur, incertam eſſe ætatem lubentes concedimus, atque *ex ſola vetuſtatis præſumptione* huic tempori fuiſſe adſcriptos, ut de S. Clateo Papebrochius ſuſpicatur *ad d.* 4. *Junii*. Epocham Martyrii Hermagoræ, quam ejus Acta exhibent *nutantem eſſe*, & cum nulla Perſecutionis Neronianæ mentio in vetuſtis Martyrologiis occurrat, ultra Neroniana tempora differri poſſe idem vir doctus *de SS. Gervaſ. & Protaſ.* §. 5. & recens monumentorum Eccleſiæ Aquilejenſis diligens ſcriptor *cap.* 3. obſervarunt. Gervaſii & Protaſii paſſionem, quam aliqui in hoc tempus conſerunt, Baronius ad M. Aurelii rejecit *in Martyr.*, *& ad a.* 171. Nos Pebrochio accedimus, qui nihil certi haberi poſſe de tempore eorum Martyrii affirmavit *tom.* 3 *Act. SS. Jun. pag.* 824. & ceteris eruditis viris, qui epiſtolam de illis *ad Fratres Italiæ* ſuppoſitam Ambroſio cenſent. Tempus quoque Martyrii SS. Nazarii, & Celſi, quod ipſum Neronis eſſe, Ennodius *carm.* 18. tradit, ignotum fuiſſe Ambroſii ætate, teſtis eſt hujus vitæ ſcriptor Paulinus; quod animadverſum etiam a Sirmondo eſt *ad Ennod.* Ambroſio perperam adſcriptum de his ſermonem, & auctori Sæculi IX tribuendum eruditioribus Criticis concedimus. Ab his, quorum Martyrii ætas incerta dicitur excipimus SS. Proceſſum & Martinianum, ac jure putamus ſcripſiſſe Solerium (*Act. SS. ad d.* 2. *Jul.*) *conſtantiſſimam Eccleſiæ traditionem nequaquam eos eſſe dubitaſſe, qui SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli carcere Mamertino*

deten-

detentorum cuſtodes fuere, ab ipſis ad fidem converſi, baptizati, & paulo poſt Martyrii laurea donati: qui etiam Dominico Georgio teſte (*ad Ad M.*) *in omnium Latinorum veteribus monumentis celebrantur*. Et ſi interpolata eorum Acta ſint, nullum eſt tamen argumentum Tillemontii & Bailletii ex *Prædeſtinato*, quo eos non ſatis tuto ad Sæculum I. referri arbitrantur. De Mamertino carcere & Tulliano eadem eſt Sententia noſtra quæ Baronii, quam in altera Martyrologii editione a. 1588. copioſius contra Pompejum Ugonium defendit, probavitque Ricquius *de capit. cap.* 45.; eos diverſos fuiſſe; atque hunc ad occidentalem Fori Romani partem ſitum, Mamertinum ad Aquilonarem plagam.

XI. Incertitudinem hanc ætatis Martyrum fortaſſe fecit Scriptorum penuria qui hæc literis conſignarent; quod nimirum, ut Papebrochius animadvertit *tom. 4. Act. SS. Junii pag. 808. in prima ubique conſternatione veriſimile non ſit cuiquam in mentem veniſſe hæc ſcripto mandare*. Idem Notarios Eccleſiaſticos conſtitutos vult *ad ſummum* Domitiano Imperatore; poſtquam ſub Veſpaſiano & Tito quietius agentes Chriſtiani Eccleſiaſticas res commodius ordinare potuerunt. Si quis id ulterius protrahere vellet etiam poſt Domitiani tempus, libentibus nobis faceret, in eadem cauſa incertitudinis & penuriæ monumentorum. Nec vero libri Pontificalis ſive Anaſtaſii auctoritas multum urgeret, quem narrantem multarum rerum conſtitutionem, aut falſi arguunt viri docti, aut benigne excuſandum cenſent; ut nihil dicamus de laciniis antiquo illi Scriptori recentius aſſutis. Quid quod idem Fabiano Papæ dum ſimilem inſtitutionem tribuit, diu non perduraſſe, aut rem neglectam fuiſſe ſignificat? Utcumque ſit, id ſub Nerone factum, & diligentiſſime omnium Martyrum nomina recenſita probare non potuit Dodvvellus, atque hinc colligere Martyrum paucitatem. Ex antiquioribus hujus inſtituti teſtibus, qualis eſt Cyprianus; ex vetuſtioribus monumentis, nimirum Kalendariis Bucherii quod ad Sæculum IV. pertinet, Mabillonii *tom. 3. Anal.* Sæcul. V., Martene *tom. 5. Theſaur. nov. anecdot.* quod ab eodem habetur ejuſdem ætatis, novimus, non omnes omnino Martyres, ſed aliquos tantum certæ Eccleſiæ vel regionis proprios, recenſitos. Idem valet de Faſtis, ſi hæc a Kalendariis diſtinguenda ſunt. & ad profanorum faſtorum normam confecti fuere, ut Papebrochius cenſet *ad Ephem. Græco-Moſch.*; quorum meminit Tertullianus *de coron. mil. cap.* 13. Idem de diptychis, aliiſque omnino monumentis quæ antiquiora ſunt Martyrologiis, quorum primum indicium Sæculo VI., & quidem Romani: ut male id extitiſſe ante Siſtum V. Valeſius negaverit. Ceterum non recte Dodvvellus ex antiquis monumentis collegit Martyrum paucitatem. Addimus tantum abſuiſſe ut in his omnes Martyres nominarentur, ut ii etiam vicinorum & comprovincialium Eccleſiarum, ut plurimum omitterentur; aliqui etiam in aliena Eccleſia culti, cultum in propria non haberent, quod vel corpora deeſſent vel eorum Acta; ut bene Ruinartius obſervavit *in præf. ad Acta MM. num.* 18. Joanni etiam Frontoni conſentimus (*in prænot. ad Kalend.* §. 3.) in Kalendariis appoſitos fuiſſe eos tantum MM. *quorum dies feſtivo populi concurſu & publicis ſacrificiis celebrabatur*.

XII. Apollinaris Ravennæ Epiſcopus Martyrium Veſpaſiano Imperatore conſummavit, ut ex Adone, Beda, Agnello Bacchinius aliique docent. Alii præterea MM. nominantur Leontius, Hypatius &c. Neque omne populari furore contra Imperatoris voluntatem, aut Præſidium necatos fuiſſe innuere videtur cum Theodoretus, qui *ſerm. 9. de curand. Gr. aff. tom. 4. pag.* 611. Veſpaſianum cum Tito adjungit Domitiano, atque inter Perſecutores recenſet, tum vero Hilarius eumdem Veſpaſianum nominans cum Nerone & Decio *quorum in nos odiis*, ait (*ſub init. lib. contr. Auxent.*) *confeſſionem Divinæ prædicationis effloruiſſe*. Quamobrem, quod ſcripſit Euſebius *lib. 3. H. cap.* 17. Veſpaſianus adverſus nos nihil *ατοπ.* geſſiſſe, malim ſic interpretari, ut ſingulare quoddam ſævitiæ genus, & in perſequendis Chriſtianis diligentiam, ſive etiam nova edicta propoſita neget, non, quemadmodum poſt Rufinum interpretantur ceteri, *injuriam* omnino *nullam* intuliſſe Chriſtianis.

XIII. Vere de Domitiano Euſebius *lib. 3. H. cap.* 17., eum Neronianæ impietatis, bellique, & odii adverſus Deum ſucceſ-

ſucceſſorem ſe profeſſum fuiſſe ſcripſit: apud quem *lib. 3. cap. 20.* idem tradit Tertullianus, cujus locus extat *Apolog. cap. 5.* Quod Dæmonum inſtinctu excitatum moviſſe hanc Perſecutionem tradit *A. de M. P.* non pugnat cum eo quod Melito apud Euſebium *lib. 4. cap. 46.* affirmat; feciſſe id Domitianum inductum malevolorum conſiliis. Duo de hac perſecutione affirmamus, eaque contra Dodvvellum. Primum ac præcipuum eſt; Domitianum non exilio tantum in Chriſtianos animadvertiſſe, ſed corporis cruciatibus, & capitis ſententia. Itaque bene *crudeliſſimæ Perſecutionis edicta ubique data* Oroſius *lib. 4. cap. 10.* affirmat; Theodoretus *l. c.* πολλοὺς τῷ θανάτῳ παρέδωκε καὶ ποικίλαις κολαστηρίων ἰδέαις χρησάμενος ſcripſit: imo ex Brutio ipſo, quem in ſui præſidium advocat Dodvvellus, id conſtare dicimus, dum apud Euſebium *in Hiſtoria & in Chronico* narrat vel alienos a Religione noſtra τὸν τότε διωγμὸν καὶ τὰ ἐν αὐτῷ μαρτύρια mandaſſe litteris. Si quæ enim non id diſerte ſignificare videntur; ex Tertulliano, Euſebio, ceteriſque quos laudavimus, interpretanda ſunt.

XIV. Quos Dio. *lib. 67. pag. 766.* damnatos refert, quod in Judæorum mores tranſiviſſent, hos ipſos putamus fuiſſe Chriſtianos; itemque Fidei Criſtianæ profeſſionem, quod ibidem vocat crimen ἀθεότητος: hanc enim accuſationem Chriſtianis impingi ſolitam, ipſoſque vocatos ἀθέους ex Vett. liquet, multiq. viri docti jam pridem obſervarunt. Itaque quos ibi nominat Flavium (ita enim legendum non *Fabium*) Clementem, Conſulem, Domitiani patruelem, & Flaviam Domitillam ejus uxorem, Domitiani conſanguineam, pro Chriſtiana fide Perſecutionem paſſos dicimus. Et Flavium quidem Clementem occiſum a Domitiano, ex Scriptorum æque Chriſtianorum atque externorum teſtimoniis conficimus, quos diligenter perſecutus eſt Baronius *ad a.98. a d.96.* Veriſſima nobis videtur conjectura Eduardi de Vitry *in Tumul. Fl. Clem. illuſtr.* Conſulem proceſſiſſe cum Domitiano XVII. nondum Chriſtianum; poſt abſolutos in Conſulatu duos menſes Chriſtianis Sacris imbutum, & tandem eodem anno interemptum. Nullam extare hujus tanti Martyris illuſtrem memoriam vel in Martyrologiis (maxime enim dubia eſt quod ſibi invenire aliqui videntur in Bucheriano, & Hieronymiano 9. die Novembris); quod Baronius miratur *ad a. 98. n. 7.* id confirmat quod de Notariis nondum inſtitutis ſuperius dicebamus: probamus vero Doctiſſimi Annalium parentis conjecturam, hinc factum ut Clementi Papæ, quæ T. Flavii erant, genus aliaque tribuerentur. An id dicendum de antiqua Baſilica S. Clementis viri docti judicent, quam tamen Hieronymus Clementi Papæ dicatam aperte ſignificat *in Catal.* Ex pluribus feminis quatuor vel quinque eodem nomine *Flaviæ Domitillæ*, quas bene Nicolaus Antonius, Edmundus de Vitry recens Baronii Adnotator, aliique diſtinxerunt; quæ Fl. Clementis uxor fuit ex iiſdem vett. Scriptoribus pro Chriſti Fide in inſulam Pandatariam, ſeu Pandariam relegatam dicimus non multo ante Domitiani necem. Flavia Domitilla Plautillæ Fl. Clementis Sororis filia ex Euſebio *lib. 3. H. cap. 18.* Chriſtianis Sacris cum matre initiata, primum a Domitiano in inſulam Pontiam relegata, deinde Trajano Imperatore martyrium conſummavit: atque hæc ea eſt quæ die 7. & 12. Maii in Romano Martyrologio *Virginis & Martyris* titulum obtinuit; ut male Scaliger *ad Euſeb. Chron. pag. 188.* primam ei laudem deneget, & cum Fl. Clementis uxore confundat. Quæ de ea traduntur in Actis SS. Nerei & Achillei ſuſpecta nobis ſunt, uti & Bollandianis, prudentioribuſque Criticis *ad d. 12. Maii tom. 3. pag. 6.*

XV. Pauci præterea Martyres ſunt ſub Domitiano, de quorum Martyrio conſtet. De Valerio Lucæ in Etruria M. incerta eſſe omnia, uti de Paulino, cujus iſte diſcipulus dicitur, Bolandus & Pinius docuerunt *in Act. SS. ad d. 29. Januar. & 12. Jul.*; utcumque ſtrenue eos vindicet Florentinius. De S. Marco Atinenſi Epiſcopo, etſi Paſſionis ejus Acta ſcripta ferantur ſæculo 11. a Salomone Atinenſi Epiſcopo, ſæculo deinde XI. ab Adenulpho Archiepiſcopo Capuano recognita atque emendata, nihilominus Tillemontius *not. 3. in Perſec. Domit.* nihil tuto de eo dici poſſe cenſet, præter pauca illa quæ in ſermone inveniuntur qui Bonifacii Epiſcopi Atinenſis nomen præfert. Papebrochius quoque, qui Marci Acta ab Adenulpho expolita recenſuerat *tom. 3. April. pag. 551.* alibi poſtea

in

Digitized by Google

in Actis recognoſcendis SS. Nicandri & Marciani *tom.* 3. *Jun. pag.* 267. Marci martyrium cenſuit ſpectare ad M. Aurelii tempora, atque ita primorum Atinenſium Epiſcoporum ſeriem ordinandam, ut ante Marcum tres alii ſederint incruenta omnes morte defuncti; Marcum vero ideo antiquiorem habitum, quod in catalogis Atinenſibus non invenientes nomen a quo fuerit ordinatus, Petrum ſubſtituerint. Probabilis hæc nobis viri docti conjectura videtur, ſpectato ſcilicet more eorum temporum, quo a Petro factum dicebat quod a quocumque Romano Pontifice fuerat patratum. Antipæ martyrium quod Apocalypſis *cap.* 2 commemoratur, in Domitiani tempora incidit. In populari ſeditione eum interfectum, contra id quod in *Martyrio* ejus a Papebrochio producto (*ad d.* 11. *April.*) legitur, nullo fundamento dici a Grotio *in cap.* 2. *Apoc.* & Dodvvello affirmamus. Sub Theodoſio bovem æneum inſtrumentum ejus Martyrii Conſtantinopoli allatum ſcribit Cedrenus *p.* 323. Non eſſe hoc novum ut in Paganorum templis hominibus exurendis hujuſmodi inſtrumenta ſervarentur aſſerimus; ut nullum hinc contra Acta repeti argumentum poſſit.

XVI. Alterum quod contra Dodvvellum affirmamus eſt, Domitiani perſecutionem non ita brevem fuiſſe ut vix annum complecteretur. Recruduiſſe quidem illam anno Domitiani XV. cum Domitilla acta eſt in exilium, putamus; ſed multo antea excitatum, vel triennio ante Domitiani mortem, ut in Chronico ſuo Proſper; vel quadriennio, ut habet Chronicon Paſchale, quod Petavius, Pagius, Blanchinius, aliique ſecuti ſunt, ejus initium conſtituentes a. vulg. æ. 93. Domitiani vero necem a. 96. His accedimus, nec magnopere repugnamus Blanchinio aliiſque, qui primam hujus Perſecutionis originem referunt ad tempus quo Domitianus ſe Deum ac Dominum appellari juſſit anno imperii a. vulg. ær. 87. aut iis qui Philoſophorum nomine quos urbe expulit, comprehenſos Chriſtianos volunt. Quin etiam ita rem componendam, & Scriptorum varietatem putamus, ut ante Perſecutionis æſtum, ſæpius Chriſtiani vexati ſint: quare *multarum ſub Domitiano Perſecutionum procellas* nominant Acta vetuſta Sancti Ignatii. Sæpius etiam efferbuiſſe hanc Perſecutionem illud confirmat, quod ex Hieronymo *in catal.* anno Domitiani XIV. Joannes Apoſtolus in Patmos inſulam relegatus eſt. Antea in ferventis olei dolium immiſſum idem Hieronymus *in Matt. cap.* 20. *& lib.* 1. *contra Jovinian. cap.* 14. tradit Tertulliani auctoritate, qui id ipſum narrat *de Præſcript. cap.* 36. cujus rei memoria in M. R. conſignatur die 6. Maii. Quod aliqui Domitiani Perſecutionem videre ſibi viſi ſunt expreſſam in nummo Iſiaco apud Otrechtum, non illi verum credent, qui ſimilia in Ægyptiacis monumentis ſæpius occurrere norunt, atque ad Domitiani potius fortunam referent, cum habitu Iſiaco occultatus latuit.

XVII. Quod Dio *init. lib.* 68. narrat a Nerva reos impietatis abſolutos τὰς κρινομένας ἐπ' ἀσεβείᾳ δίκας de Crhiſtianis interpretamur, præſertim cum Euſebius cum in Cronico, tum *lib.* 4. *H. cap.* 20. inter exules reſtitutos Joannem Apoſtolum commemoret. Atque id ipſum eſt quod ait *A. de M. P.* occiſo Domitiano reſciſſiſque Actis ejus, *in ſtatum priſtinum Eccleſiam reſtitutam*; imo multo *clarius ac floridius enituiſſe*. Quod Tertullianus *Apolog. c.* 5. Domitiano id adſcribere videtur; atque eum laudans Euſebius *lib.* 3. *H. cap.* 20. addit, miſſis edictis Perſecutionem compreſſiſſe, ne pugnet cum vetuſtiſſimorum monumentorum auctoritate, interpretamur de Perſecutione contra Servatoris noſtri propinquos ab eo commota, quos liberos poſtea abire permiſit, hominum humilitatem aſpernatus: nam quod alii volunt a Domitiano reduci juſſos, eo intermortuo rediiſſe Nerva Principe, contrariis AA. non ſatisfacit. Sub Nerva martyrium obiviſſe nonnulli dicendi ſunt, ut Timotheus, ſi Polycratis narrationem recipimus quam Photius legiſſe videtur, & Bollandus, ac Tillemontius defendunt. Id tamen non diffitemur in populari ſeditione accidiſſe cum feſtum celebrarent *catagogium*, quod feſtum etſi apud Græcos Scriptores fortaſſe nunquam occurrat, nihil tamen inde damni aliquid provenire *Actis* debet; cum ſimilia vocabula ad ſignificanda ipſa ſacrificia ex Polluce habeamus, atque ex aliis ad funebres ceremonias deſignandas, quales illæ fortaſſe erant infernæ Deæ conſecratæ.

XVIII. Ad Apoſtolicum ævum pertinet Trajani Perſecutio. Tertiam hanc numerant Sulpicius Severus, Auguſtinus, Oroſius. Ex Auctore vero *de Mortibus Perſecutorum* nihil eſt quod ſententiæ ſuæ præſidium quærat Dodvvellus §. 17. Nam quod affirmat *ſecutis temporibus* a Domitiano ad Decium, *multos ac bonos Principes Romani imperii clavum regimenque tenuiſſe*; Eccleſiam *nullos inimicorum impetus paſſam &c.* certo excuſari explicarique quocumque tandem modo debet: Paſſam enim Eccleſiam, multaque paſſam, ipſe quoque admittit ex Euſebio *lib.* 3. *cap.* 32., qui diviſim μερικῶς quamdam per ſingulas civitates populari motu adverſus Noſtros excitatam eſſe perſecutionem affirmat. Contra id vero, quod ipſe ſtatuit in ea tractatione qua μερικῶς illas Perſecutiones conſiderandas ſumit, hæc nos aſſerimus.

XIX. Primo falſum eſſe dicimus; ad Imperatorem ſpectare ſolam Antiochenam Perſecutionem, in qua paſſus Ignatius. Imo, quod Catholici etiam nonnulli recentiores veriti ſunt affirmare, nos aſſeveramus; novis edictis promulgatis moviſſe hanc Perſecutionem Trajanum; quod ex Actis S. Ignatii M. iis quæ latina ab Uſſerio edita. Græca a Ruinartio pro genuinis ab ipſis Heterodoxis habentur, colligimus. Diverſum ab his edictum a Plinio in epiſtola ad Trajanum commemoratur, quo *betæriæ* prohibebantur: *betærias* autem de ſolis cœtibus in quibus Agapes celebrabantur male interpretatus eſt Dodvvellus. Quod præterea Dodvvellus affirmat præter Ignatium, Ruſum, & Zoſimum neminem in Syria obiviſſe Martyrium, ex Polycarpi epiſtola apud Euſebium *lib.* 3. *cap.* 36., revincimus, ex Ignatii genuina epiſtola *ad Romanos*, & ejuſdem Actis. Tertio Dodvvello negamus Judæorum dumtaxat infenſis odiis adverſus Chriſtianos Perſecutiones fuiſſe commotas. Simeonem ipſum Hieroſolymitanum accuſatum ab Hæreticis teſtis eſt apud Euſebium *lib.* 3. *H. cap.* 32. Hegeſippus; idque nequaquam eſt de Hebræorum Sectis intelligendum; de cujus etiam martyrio fidem omnino fefellit Dodvvellus, cum affirmavit accuſatum fuiſſe potius quod ex Davidica ſtirpe oriundus eſſet, quam quod Chriſtianus; cum Hegeſippus ex utraque pariter cauſa accuſatum narret; Euſebius vero poſtremam tantum cauſam afferat. Argumentum quod ille reperit, ex eo quod ἀθεότητος crimen a Gentilibus illatum Chriſtianis, ad inferiores ætates ſpectet, nullum eſt. Contrarium enim ex Ethnicis ipſis Scriptoribus evincitur, & ex Chriſtianis qui eam veluti inveteratam accuſationem pronunt; imo ex Actis ipſis MM., præſertim Polycarpi, quæ pro ſe laudat Dodvvellus apud *Euſeb. lib.* 4. *c.* 15., in quibus formula veluti jamdiu in uſu inducta repreſentatur αἶρε τοὺς ἀθέους.

XX. Tiberiani ad Trajanum epiſtolam, quæ apud Joannem Malalam extat, & a Suida laudatur, haud equidem auſim defendere. Rationes tamen adverſus eam, vel Cotelerii ex Euſebii ſilentio, vel aliorum ex ignota eo tempore diviſione Paleſtinæ in primam & ſecundam, atque ex titulis Trajano attributis, non adeo firmas judicamus, ut non ad eas probabilem reſponſionem adhibere poſſimus; multa alia præterea præteriviſſe Euſebium; ſæpe a recentiore vetus aliquid proferri phraſi paululum immutata atque accommodata temporibus ſuis, quod recentiſſima ætate fecit Surius, aliaque hujuſmodi, quæ eam epiſtolam paraphraſi potius aliqua ornatam aut leviter mutatam, quam ſine cauſa totam confictam perſuaderent; niſi aliter ſentire Pagium, Valeſium, Tillemontium &c. videremus: a quibus tamen diſcedit Uſſerius. Quoad epiſtolam Plinii ad Trajanum, illa contineri illuſtre omnino teſtimonium multitudinis Martyrium interfectorum eo tempore exiſtimamus; & male Euſebium quod ita eam interpretetur reprehendi a Dodvvello.

XXI. Ex his quæcumque de Perſecutionis hujus duratione Hæreticus idem affirmavit refutamus. Et primo divinationem illam ſuam de tempore Martyrii Simeonis ſub finem imperii Trajani ex cauſa necis ei intentatæ. Cum vero diſerte Euſebius in Conſulatu Suræ & Senecionis decimo anno ante Trajani mortem ſtatuat, nihilque huic epochæ obſtare videamus; eam cum Papebrochio *de Patriarc. Hieroſ. tom.* 3. *Maji*. Tillemontio *not.* 1. *in Traj. Perſ.* aliiſque recipimus. Plinii Proconſulatum male circa Imperii Trajani initia collocat Dodvvellus Trajani XII. Trajanum a. X. ante obitum ſuum Perſecutionem inchoaſſe ſcri-

bit

bit in Chronico Euſebius & Proſper Conſules adnotans Trajanum VII. & Africanum', quos Conſules & Faſti vulgo Idatiani dicti recenſentes addunt; *His Coſſ. Perſecutio Chriſtian* XII. annum ante obitum Imperatoris habet Chronicon Paſchale. Euſebium & Proſperum ſequitur ex Recentioribus Petavius *lib. 3. D. T.* conſignans anno ær. vulg. 107., Blanchinus a. 106., Pagius a. 107. auctam putat, atque ideo hoc anno ab Euſebio in Chronico conſignari; qui omnes in eo conveniunt quod a. 117. conſignent Trajani mortem. Quamobrem brevis non fuit ut Dodvvellus cenſuit. Nam etſi *ex parte fruſtratus eſt vetando inquiri Chriſtianos* ut Tertullianus ſcribit *Apol. cap. 5.* ad Plinium nimirum ſcribens; nihilominus cum ibidem mandarit; *ſi deferantur & arguantur, puniendi ſunt*, a Judæis vel Ethnicis delatos eſſe multos, multoſque punitos fuiſſe nemo inficiare poterit.

XXII. Ex his conſtare arbitramur Auctorem de M. P. aut falſi arguendum, aut opportuna aliqua explicatione excuſandum. Primum ex his concedit Nourry *diſſert. in Cæcil. cap. 6. art. 3.* deceptumque eum non negat *aut librorum inopia, aut memoriæ lapſu, aut denique falſis rumoribus*. Nos animadvertimus, in exequendis aliis ante Diocletianeam Perſecutionibus breviter nimium jejuneque verſari. Itaque valet apud nos ſuſpicio, non ea quæ ipſe viderat, aut audiendo cognoverat a teſtibus ſpectatoribuſque rerum, ſcripſiſſe; ſed incertiorem rumorem quemdam ſecutum eſſe, aut monumenta hominum, quæ res fortaſſe regionis ſuæ dumtaxat narraverant. Cum vero in cenſu Perſecutorum inſtituendo prætereat M. Aurelium & Severum, quos in eorum numero ceteri collocant, Oroſius, Auguſtinus, Sulpitius Severus &c; & Maximinum etiam quem Perſecutoribus Auguſtinus, & Oroſius adjiciunt: id vero omne faciat etiam Tertullianus *in Apolog. l. c.* ejus popularis ſi ille Lactantius fuit; Tertullianum habitum præ oculis ab Auctore de M. P. arbitramur. Atque hinc, cum de Trajano Tertullianus ſolum narret, vetuiſſe Chriſtianos inquiri; hoc Tertulliani effatum perinde ab eo acceptum, quaſi eſſet a Perſecutorum numero Trajanus excludendus. Non id quidem revera ſentiendum de Tertulliano, vel ſi ille Trajanum excludit, laudatque, dicendus eo modo facere de Trajano, quo de Vero ideſt M. Aurelio (*Verum* enim non *Severum* habent probatiſſimi codd. eumque poſtea rurſum nominat): vel quod Perſecutionem aliquando inhibuerint, vel nulla nova edicta tulerint contra Chriſtianos. Denique illud univerſim affirmamus nihil prodeſſe Dodvvello ad ſtabiliendam Sententiam ſuam de paucitate Martyrum, antiquorum Scriptorum teſtimonia; & multo fuiſſe diuturniores, ac ſæviores Perſecutiones, numero etiam plures, quam ille probare conatus eſt.

XXIII. Prudentius *contr. Symmach. lib. 2. v. 669. &c.* Neronianæ Perſecutioni, ceteris omiſſis adnectit Decianam. Male hunc locum ad Dodvvellum defendendum produxit ejus ſuffragator Giſbertus Cuperus *in not. ad Lactant. de M. P.* Adverſus hunc tuemur quod ex Prudentio ipſo contra Dodvvellum attulit Mabillonius *Inter. Ital. tom. 1. part. 1. pag. 139. 1. edit.* Cæterum multa potuit priore illo loco ſpectare Prudentius cur præteritos illos Perſecutores vellet. Nos inter cetera illud afferimus ad eum explicandum; de Domitiano idem fortaſſe opinatum quod Tertullianus & Euſebius, illorum auctoritate inductum; Domitianum ſcilicet Perſecutionem cohibuiſſe ad extremum, exuleſque revocaſſe: ceteros omiſiſſe, quod crudeliores non fuiſſent in exquiſitioribus noviſque ſuppliciis adhibendis contra Chriſtianos; qualia ſupplicia deſcribere amat verſibus ſuis Prudentius. Atque hoc ſenſu Tertullianus quoque potuit bonis Imperatoribus nullas, ideſt ſæviores & tormentorum novitate vehementiores Perſecutiones, tribuere, ſed malis dumtaxat. Nam qui probi habiti ſunt ita in Chriſtianos animadvertebant, ut uſitata legibuſque præſcripta ſupplicia adhiberent quæſtione habita, & ſervata utcumque legitima judicii forma; improbi fuere & ſcelerati ad inuſitata quoque ſupplicia deſcenderent. Ex eo Criticum Canonem ſtatuimus ad diſcernenda Acta MM. ſincera a vitiatis ſive confictis dicimuſque in Trajano, M. Aurelio, Severo & ſi qui alii ſunt probitatis aliquam famam apud Veteres conſecuti, ſuſpecta eſſe debere Acta omnia, in quibus exquiſita tormenta quædam atque inuſitata repræſentantur; ubi judiciaria forma ſervata ſit, non populari tumultu res peracta. Rem longius etiam protrahere poſſemus, cum noverimus,

in

in ceteris quoque Impp. genera quædam tormentorum inaudita ſolum torquendis Chriſtianis adhibita, non in aliis, cum in eos quoque ſævirent; eruditioribus Criticis ſuſpecta eſſe ſolere.

XXIV. *Matidiam Auguſtam Imperatoris Cæſaris Trajani Sororem diſcipulam ſecretam S. Clementis* fuit qui in medium produceret (*Julian. Petr. in Adverſar. cap. 75.*) Nos Matidiam Marcianæ Trajani ſororis filiam, Sabinæ Hadriani uxoris matrem novimus; neque hanc Chriſtianam vetera ulla monumenta exhibent. *Illuſtriſſimum Virum Præfectum urbis Romæ Hermetem* Ado in Martyrologio & Acta Alexandri Papæ habent, eumque conſtantiſſime Martyrium pertuliſſe narrant. Hanc ei dignitatem aſſeruit contra Tillemontium Joannes Stiltinæus *Act. SS. ad d. 28. Auguſti* poſt Contelorium *de P. U.*, & hiſtoriam S. Hermetis vindicavit; cujus nomen *in tabulis omnibus celeberrimum hac die eſſe* Georgius *ad Adon* tradit; & Sollerius *ad Uſuard.* clariſſimum Martyrem *vetuſtiſſimo, & perenni cultu celebratum* oſtendit ex antiquis Kalendariis & Martyrologiis. Cœmeterium etiam memorat Aringus *lib. 4. cap. 34.* aliique Romæ ſubterraneæ Scriptores, in quo extat eximium quoddam ſacræ vetuſtatis monumentum. Hermetis martyrium ſpectare arbitramur ad annum Trajani XIX.

XXV. Inter illuſtriores Martyres ſub Trajano merito recenſetur Ignatius in Antiochena Sede poſt Evodium Petri Succeſſor. Ex Actis Martyrii diem colligimus fuiſſe XIII. Kal. Januar. Sura, & Senecione Coſſ. id. a. vulg. æ. 107. quo Antiochiæ Trajanus verſabatur. Scaligero mirum quoddam exiſtimanti, Ignatium Romam mitti, cum judicium & Gentilium & Chriſtianorum ad Provinciarum Rectores pertineret, reſpondemus; id juſſiſſe ipſum Imperatorem, ut in ludis publicis P. R. ſpectaculum præberet, quod de inſignioribus reis ſæpe factum legimus. Alter, de quo diximus, inſignis Martyr Simeon Hieroſolymitanus Epiſcopus; cui qui ſucceſſit Juſtus appellatus ab Euſebio, ab Epiphanio, & Syncello Judas, etſi Martyr alicubi appellatur, tamen Papebrochio *ad d. 9. Maji & in Epiſcop. Hieroſol.* nequaquam viſus eſt aut Martyribus, aut etiam Sanctis accenſendus, mortuus ſub Trajano a. 113. Atque illud univerſim nobis aſſerere poſſe videmur, paucos hac ætate fuiſſe præcipuarum ſaltem Sedium Antiſtites de quibus vetera monumenta extent ad Martyrii lauream eis aſſerendam. Nam Anianus, Abilius; Primus ſeu Ephrem Alexandrini Epiſcopi, Martyres ab antiquioribus non memorantur, etſi de primo Adonis Martyrologium & Romanum *ad d. 25. Apr.* . Evodio Antiocheno Martyris laudem vindicat Henſchenius *ad d. 6. Maji* ex Uſuardi Martyrologio & Adonis libello *de feſtiv.* licet nihil tale habeat in Martyrologio; dies etiam & Martyrii annus incertus: ſub Nerone paſſum cum ipſe Henſchenius, tum Petrus Boſchius vult *in Hiſt. Chronol. Patriarch. Antioch.* S. Marcus qui primus Alexandriæ ſedit, is eſt, de quo recte Tillemontius *not.* 12. negavit dubitari poſſe quin Martyrium pertulerit; quod & Baronius *ad a. 64. n. 1.* ante ſtatuerat. Acta quæ Henſchenius protulit *ad d. 25. Apr.* atque eodem illo ſæculo ſcripta exiſtimavit, ad Sæculum IV. aut V. reijcienda eſſe contendit Tillemontius *not.* 1.. Quæ tamen is objecit commode ſolvi poſſe exiſtimamus. De anno Martyrii, etſi lubentes confitemur non liquere; malumus tamen Euſebio adhærere, illudque cum Sollerio ſtatuere ad a. 62. ær. vulg. quam cum Tillemontio & Renaudotio *Hiſt. Patriarch. Alexandr.* ad a. 68. & componi poſſe exiſtimamus Chronologicos characteres omnes in Actis aſſignatos; modo cum eodem Sollerio permittamus, non ita apte tunc Paſchalem diem conſtitutum ac poſtea fuit, quod ex Polycarpi etiam Martyrii diem probamus.

XXVI. De Romanis Pontificibus idem nonnulli ſentiunt, eos ſcilicet vere Martyrium non conſummaſſe, ex quibus Tillemontius *in not. ad SS. Linum & Clementem*, Bailletus *in V. eorumd.*; ut Pearſonium omittamus *oper. poſth. diſſert. 1. cap. 4.* alioſque Heterodoxos, quibus præcipuum argumentum eſt Irenæus, qui ſeriem texens RR. PP. neminem uſque ad Teleſphorum Martyrem vocat, etſi eos commendare velle videatur atque uberius loquatur de Clemente . Contra hunc poſtremum Dominicus Georgius *ad Martyrol. Adon d. 23. Nov. impia & execranda* vocat quæ ejus apud Dodvvellum leguntur *in dubium*, inquit, *vocantem Clementis Martyrium, propterea quod Rufinus primus eum Martyrem appellavit* . Si de dubitatione loquatur, quam Dodvvellus

&

& Pearſonius admiſerunt de Clementis vero Martyrio, acrior & vehementior videri poſſet hæc cenſura, quam non effugere Catholici Scriptores poſſunt, eorumque recentiſſimus, ut unum aliquem nominemus, Remigius Ceillier *Hiſt. Auct. Sac. tom. 1. pag.* 599. Nos ſtatuimus Martyribus accenſendum Clementem qui vere Martyrium conſummaverit aut certe tormenta pertulerit. Non utimur auctoritate Vaſenſis Canonis, in quo abeſſe verba quæ producuntur a vett. mſs. teſtatus eſt etiam Harduinus *tom. 1. collect. CC. col.* 1789. Neque id colligimus aut ex Canone Miſſæ ubi etiam alii Pontifices recenſentur, aut ex Romana Baſilica tunc fortaſſe extructa quando jam cœperat cultus Confeſſorum. Fatemur etiam Acta quæ circumferuntur ſuſpecta merito eſſe viris eruditis, ex quibus temperantioris Criticæ Sollerius de iis ſcripſit, *ad tuendam eorum ſinceritatem quaſi in mari magno brevia occurrere ſcopulos & ſyrtes*; præſertim cum alia omnino ab iis habeat Menologium Baſilii. Nobis videtur ſatis eſſe debere vel unius Rufini auctoritas, quando cum Martyrologiis & veteribus monumentis concordat a Cotelerio præſertim prolatis. De ceteris Romanis Pontificibus efferimus Martyres eos vocari & coli debere; ex hoc tamen titulo ſolo non conſtare utrum mortem aut etiam tormenta paſſi ſint pro Chriſto; etſi proprie nomen illud ſumatur, contra quam cenſet Petrus Boſchius *Act.SS.tom.1.Aug.p.*113.

XXVII. Longe etiam abſumus ab opinione eorum qui omnes omnino aut Chriſti aut Apoſtolorum diſcipulos Martyres eſſe volunt. Nec in iis admittendis in Martyrum numerum aut excludendis ſatis fidimus catalogo LXX. Diſcipulorum, qui Hippolythi nomen præfert *in Append. edit. Fabric. pag.* 41. etſi quinque ibi ſolum Martyres nominentur. Tichichum, Silam ſeu Silvanum (nam Hieronymus unum eumdemque hominem facit) Ariſtarchum; etſi Græci hic omnia involventes Martyrem faciant ut *Bolland. tom. 1. Aug. pag.* 314. verum Martyrium obiviſſe non arbitramur. Soſipater & Jaſon diſcipuli ipſi quoque Pauli in pace deceſſiſſe dicuntur in Menologio Baſilii, nec aliunde teſtimonium reperi poteſt eorum Martyrii. Ephaphram, Solerius *ad Uſuard. d.* 19. *Jul.* negat adhuc reperiſſe, unde Adoni conſtiterit Coloſſis *Martyrii palmam virili agone percepiſſe*. Philippi Diaconi martyrii nulla apud probatiores Scriptores mentio; & in Martyrologio Uſuardi & Romano *requieviſſe* dicitur, quo verbo violenta mors excludi videtur. Græci die 28. Julii colunt Prochorum, Nicanorem, Timonem, Parmenam; qui in Adone inter Apoſtolorum feſtivitates una ſerie, licet diverſis diebus referuntur, dicunturque *apud Cyprum glorioſiſſime coronati*. Sollerius *ad Uſuard. d.* 10. *Januar. aliunde incertam* eſſe hanc Martyrii lauream obſervavit. Sintyches S. Pauli diſcipula colitur die 22. Julii non tamen ut Martyr; item Lydia purpuraria die 3. Auguſti, & die 4. Perpetua. Excipiendum inter ceteros putamus S. Oneſimum. Etſi non magnopere repugnare concedam unum Oneſimum eſſe in Martyrologia relatum die 16. Februarii, eumque eſſe ipſum Philemonis ſervum quem Paulus [illegible], ut ait Nilus lib. 3. ep. 332., qui ideo, non cum Cedreno & Nicephoro ſub Domitiano paſſus dicatur, ſed ut Petavius & Nenſcenius, ſub Trajano a. 108., nec Tillemontii argumentis deterreri ſe jure fortaſſe Sollerius affirmet; nihilominus nobis duos eſſe perſuadent Apoſtolicæ Conſtitutiones *lib. 7. cap.* 46., malum uſque aſſentiri Cotelerio, qui hunc appellatum vult ab Ignatio *ep. ad Epheſios n.*1. In Actis ejus apud Halloixium mentio fit Romuli *adjutoris* & Papiæ *Spiritualis commilitonis*. De primo nihil hic affirmandum. Papiam martyrem non eſſe habendum Henſchenius probavit *ad d.* 25. *Febr.* De Carpi martyrio dubitare videtur Papebrochius *Act. SS. ad d.* 26. *Maji.* In Menologio tamen Baſilii in pace dicitur quieviſſe [illegible] nec certiora ſuppetunt argumenta pro martyrio. Ibidem de Ariſtobulo fratre S. Barnabæ ſimilis dicendi modus adhibetur [illegible], qui optime redditus in eo Baſilii Menologio, quod latine etiam prodiit ſtudio & opera Em. Cardinalis Annibalis Albani *vitam conſummavit*. Baronius *d.*15. *Martii*, hoc Menologio laudato uſus eſt phraſi *martyrium conſummavit*. De Apoſtolis aliter omnino ſentimus; etſi genus Martyrii in pleriſque incertum, & de Actis præſertim S. Andreæ, Achajæ Preſbyterorum nomine ſcriptis diverſa ac plane contraria affirment viri eruditi.

P. JO-

P. JOHANNIS THOMÆ RINALDI AUGUSTINIANI

DE PERSECUTIONIBUS

QUIBUS

PRIMO, ET SECUNDO ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCULO ECCLESIA EXAGITATA EST

DISSERTATIO XIX.

I. QUum multæ res in Eccleſiaſtica Hiſtoria nequaquam ſatis adhuc explicatæ ſint, tum perdifficilis admodum, & obſcura ſemper viſa eſt quæſtio illa de *Numero Perſecutionum*, quibus ad reſtitutam uſque per Conſtantinum Magnum Eccleſiæ pacem invicta Chriſtianorum Religio ubique locorum exagitata eſt (1). Quocirca *Magnus Auguſtinus* eruditiſſimis Libris de Civitate Dei (a) recitatis aliorum ſententiis, dubium plane in re hac ſe eſſe ingenue profitetur, totamque controverſiam aliis reſolvendam prudentiſſime relinquit. Decem enumerandas eſſe putavit *Paulus Oroſius* (b), ea ductus opinione, quod decem Ægypti plagis Chriſtianorum Perſecutiones prophetice figuratas arbitraretur. Verum excogitatæ, fictæque ab ipſo Prophetiæ rem, & eventum ex æquo non reſpondiſſe ſatis eodem loco demonſtravit *Auguſtinus* (2). Ex oppoſito *Severus Sulpicius* (c) novem tantum recenſendas credit, aliique Scriptores modo plures referunt, modo pauciores (3). Sed quidquid ſit de quæſtione hac, quam ſapienti *Auguſtini Parentis Optimi* (d) admonitione edocti, nimia præſumptione definire non audemus; illud nihilominus ratum, firmumque nobis eſt contra *Henricum Dodwellum* (e), pauciſſimos non extitiſſe olim, ut ipſe comminiſcitur, Eccleſiæ Perſecutores, nec paucos proinde ab illis Martyres factos: tantam ſiquidem SS. Martyrum turbam, quam Catholica Eccleſia in *Martyrologiis* aut in *Officiis* Eccleſiaſticis celebrat, veram eſſe, nec fabulatorum, aut otioſorum Mona-

(a) *Lib. 18. Cap. 52.*

(b) *Lib. 7. c. 27.*

(c) *Hiſt. Sac. l. 2.*

(d) *Cit. cap.*

(e) *Diſſert. XI. inter Cyprian.*

---

(1) *Quibus artibus Chriſtianam Religionem evertere univerſa conata ſit Idololatria, quibuſve modis de his triumphum egerit Eccleſia eleganter exponit* Jacobus Benignus Boſſuet *in Hiſt. Univ. part. 2. §. XII. pag. 311.*

(2) *Ad conjecturam humanæ mentis non vero ad Prophetiam revocat cit. loc. Auguſtinus opinionem illam Oroſii, qui lib. 7. cap. 27. confert Hebraos cum Chriſtianis, Ægyptios cum Romanis, & decem illas plagas cum decem illis Perſecutionibus concitatis ab Impp. Romm. contra Chriſtianos. Videndus* Ludovicus Vives, *& noſtri Inſtituti vir eruditus* Leonardus Coquæus *Comment. ad libros Aug. de Civ. Dei.*

(3) *Quinque Perſecutiones tantum enumerat* Lactantius in libro de Mortibus Perſecutorum: *verum eos ſolos Perſecutores recenſuiſſe, qui divinitus puniti funeſta morte vitam finierunt, ex titulo libri, & ex ipſius contextu patet. Librum hunc de Mort. Perſec. primus in lucem protraxit* V. C. Stephanus Baluzius, *& cum ampliſſimis notis edidit Tom. 2. Miſcell. part. 1. Deinde brevibus ſibelis ſeorſim prodiit Oxon. 1680. in 12. ac tandem cum editis, ſive ineditis animadverſionibus Trajecti ad Rhenum 1693. opera* Pauli Bauldri. Prudentius *vero lib. 2. contra Symm. Neronianæ Perſecutioni Decianam ſubdit omiſſis aliis. At Prudentius eo in loco totus eſt, ut cruciatus tantum, & cædes, quibus in Chriſtianos ſævierunt Nero, & Decius, deſcribat.* Johan. Mabillonius *in Itinere Italico* Dodvellum *refellit ope* Prudentii *Hymn. 11. in quo innumeros Martyrum cineres laudat.*

Digitized by Google

Monachorum figmentum, plurima Patrum, & veterum Scriptorum probant monumenta, & præſentes, quas inſtituimus Diſputationes, facile inſuper, niſi nos valde amamus, demonſtrabunt. Sicuti ex hac tam ingenti Martyrum multitudine certum pro veritate Chriſtianæ Religionis argumentum deſumi poſſe non diffitemur contra Gentiles, & Mahumedanos (1), quam Revelatam Religionem ab hominis ratione dependentem faciens *Joannes Lokius* (*a*) peſſime erravit. At vetus, verumque proloquium eſt: *vix ægrotum ſomniare quidquam tam nefandum, quod non aliquis dixerit Philoſophus*. Porro nobiliores Eccleſias ſuos ſemper habuiſſe Faſtos, quos poſterior ætas *Kalendaria* vocavit, in quibus & Epiſcoporum Depoſitiones, & natales Martyrum conſignarentur, eaque *Kalendaria* Martyrologiis (2) fuiſſe antiquiora, oſtendit jam ſingulari Diſſertatione eruditiſſimus *Henricus Valeſius* (*b*)

(*a*) *Eſſai Philoſophique Liv. IV. Chap.* 18.

(*b*) *Diſſ. de Martyr. Romano, quod edidit Roſveidus.*

II. Quamquam ſuſceptæ a nobis Diſputationis inſtitutum illud præcipue eſſe videatur, ut de iis Perſecutionibus agamus, quæ ab Ethnicis Principibus contra Eccleſiam excitatæ ſunt; non eſt tamen cur ſilentio hoc loco prætereamus illam, quæ altero anno a Chriſti morte Hieroſolymis a Principibus Sacerdotum, Scribis, & Phariſæis adverſus Domini Diſcipulos mota eſt: in qua lapidibus (3) obrutum omnium primum interiiſſe S. Stephanum (4) ejectoſque ex urbe illa fideles Apoſtolorum actus maniſeſte declarant. Hos inter expulſum quoque Lazarum una cum Martha, & Maria ſororibus, Maſſiliamque apuliſſe, æque in urbe Lazarum Evangelium prædicaſſe, ac tandem Epiſcopum conſtitutum Scriptoribus (*c*) id aſſerentibus non concedit rigidiſſimus cenſor *Johannes Launoyus* (*d*). An vero Maria hæc Lazari ſoror a Maria Magdalena, atque a muliere altera, quæ in ædibus Simonis Leproſi Chriſti Domini pedes deli-

(*c*) *Inter alios Natal. Alex. Hiſt. Eccl. ſæc. I. diſſ.* 17.

(*d*) *Diſſ. de Commentitio Lazari, & Mariæ appulſu in Provinciam.*

(1) *Vel ex hoc apparet Mahumedanæ Religionis abſurditas, quod ex principiis Judaiſmi, Chriſtianiſmi, & Iſmaliſmi, ideſt ex contradictoriis conflata ſit. Non eſt itaque quod Alcorani jactent divinitatem Mahumedi Sectatores. Quid enim in illo Deo dignum? Quam multa plagia? Quam inſulſæ fabulæ? Denique ejus novitatem nec ipſi quidem Mahumedani negant, probe gnari mille annis non multum ſuperare volumen illud ſacerrimum. Luculenter hæc omnia demonſtravit, qui totum* Alcoranum *cum notis, & refutationibus ſuis edidit* Ludovicus Maraccius *Patavii* 1698.

(2) Martyrologium, *quod nomen refert S. Hieronymi* Euſebii Martyrologium *eſt, Hoc ex abſoluto exemplari Corbienſi poſt* Laurentium Monachum *primus in lucem emiſit* Lucas Dacherius, *ac quarto ſui Spicilegii volumine inſeruit. Deinde* Florentinius *illud a S. Uvandrillo nonnullis Sanctis locupletatum publici juris fecit cum ſuis adnotationibus, quibus addidit exemplaria Eſternacienſe, & Corbienſe, omnibus partibus abſoluta.* De Martyrologio Bedæ, *alterumque, vide Diſputationem noſtram anno ſuperiori Peruſiæ editam cujus titulus eſt.* „ De Romanis Pontificibus, qui ſecundo æræ Chriſtianæ ſæculo Eccleſiam gubernarunt *pag. 7. not.* 15.

(3) *Unum ex his lapidibus a quopiam Chriſtianorum collectum, in Italiam fuiſſe translatum, &* Anconæ *repoſitum docet* Baronius *ad an. Ch.* 34. *§.* 305.

(4) *Affirmat* Pſeudo-Dorotheus, *qua die mortuus eſt Stephanus duo millia Chriſtianorum neci tradita fuiſſe una cum Nicanore Diacono inter ſeptem primos. Conſtat tamen Act.* 26. *v.* 10. *ſæviente ea perſecutione plures e fidelibus Martyrium ſubiiſſe. Annus quo mortuus eſt Stephanus* Baronio *eſt annus Chriſti* 35. *per diem unum inchoatus.* Petavio, Uſſerio, Tillemontio *annus ipſe, quo Chriſtus paſſus eſt. Aliis omnino incertus; atque his dies quoque Stephani ſupremus eſt in obſcuro. Si ceteros audias, quibus aſſentimur, VII. Kalendas Januarii ad Chriſtum, quem viderat, evolavit. Neque enim alia videtur eſſe cauſſa cur jam inde a quarto, aut quinto ſæculo, ut ex* Auguſtino, *aliiſque colligitur, poſtridie Natalem Chriſti diem ejus martyrium Eccleſia celebraverit.*

nivit (1), ſit diſtinguenda, graviſſime inter ſe digladiantur Auctores. Ex recentioribus *Caſaubonus* (a), *Eſtius* (b), *Launoyus* (c), *Mauconduit* (d), *Anquetin* Parochus Legionenſis (e), *Tillemontius* (f), *Bailletus* (g), *Faber* Doctor Sorbonicus (h), *Gallus Anonymus* (i), aliique pro diſtinctione earumdem fœminarum eruditiſſime decertarunt. At *Natalis Alexander* (k), *Bernardus Lamy* (l), *Mauduit* (m), *Pezronius* (n), ac omnium poſtremus *D. Trevet* (o) Parochus Gomecourt unius mulieris partes tuentur. Quum vero hæc adeo celebris controverſia neque ex Sacræ Scripturæ textu, qui ambiguus eſt, neque ex traditione, quæ varia eſt, neque ex Patribus, inter quos non convenit, dirimi utcumque, ac reſolvi poſſit, ſaniorem viam nos inire exiſtimamus, ſi cum *Auguſtino* (p) noſtrum in re hac ſuſpendamus aſſenſum, aut cum verſatiſſimo *Calmet* (q) dicamus, utramque probabilem eſſe ſententiam. Ceterum Martham fuiſſe fœminam illam, *Hæmorrhoiſſam* Evangelii, vel Edeſſæ Principem, purum, putumque credimus aliquorum Scriptorum commentum. Vera nihilominus ſcripſit *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Parens Euſebius* (r), quum tradit, *Hæmorrhoiſſam* hanc Chriſto Liberatori ſuo in urbe Paneade æneam ſtatuam erexiſſe; neque in oppoſitam ſententiam nos inducere aliquando poterunt, quæ a *Reiſchio*, & *Baſnagio*, (s) producuntur conjecturæ. Nec minus reticenda videtur Perſecutio altera, quæ Hieroſolymis quoque anno poſt Chriſti mortem undecimo (quicumque demum ille fuerit) Herode Agrippa Auctore (2) crudelius erupit, quæque Petri Principis Apoſtolorum vinculis, ac Jacobi cognomento *Majoris* ſanguine (3) decorata eſt. Omnes ex æquo Hiſpaniarum Eccleſiæ, ut *Baronius* (t) ait, profitentur, Apoſtolum hunc in Hiſpanias profectum, illiſque Evangelium prædicaſſe. At quis Eruditorum ignorat, eas, quæ hujus rei afferuntur probationes, aut falſas eſſe, vel ita leves, ut nihil certi ex iis concludi poſſit? Senſit id *Baronius* ipſe (u), qui priorem ſuam revocavit, vel ſaltem dubiam fecit ſententiam. Placet item nobis ceteris Eccleſiæ Perſecutionibus accenſere Edictum illud Claudii Cæſaris, quo e Romana Urbe ejecti ſunt Judæi omnes, qui, ut *Suetonius* (x) ſcribit, *impulſore Chreſto aſſidue tumultuabantur*. Infelicem hanc ſortem Chriſtianis quoque eo degentibus contigiſſe tam facile credimus, quam certo ſcimus *Judæorum* nomine, ſive Græcos, ſive Latinos Scriptores *Chriſtianos* appellare conſueviſſe. Idem ferme judicium ferendum a nobis videtur de *Chreſti* vocabulo, quo ab Ethnicis vocatum Chriſtum Salvatorem non improbamus; etſi *Cl. Uſſerius* (y) ſibi perſuadere non poſſit Chriſtum Jeſum eo loci ab *Suetonio* fuiſſe deſignatum. Quantum vero aberraverint nonnulli, quos inter *Lavinius Torrentius* (z), putantes per contumeliam *Chreſtum* ab Ethnicis vocatum Chriſtum Jeſum, vel ſolum nominis etymon, quod *Bonum*, *Suavem*, *Benignum*, exprimit, vel unicus

(a) *Exerc. 14. in Bar.*
(b) *Orat. 14. quæ eſt de Maria Magd.*
(c) *Cit. diſſert.*
(d) *Diſſ. ſur Marie Madalaine.*
(e) *Diſſ. de Mario Magdalena.*
(f) *Tom. 2. Monum. pag. 30.*
(g) *Vie des Saints, mois de Juillet 22. jour.*
(h) *In Animad. ad P. Alexand.*
(i) *Animadverſiones in Diſſ. de Sancta Maria Magdal.*
(k) *Hiſt. Eccl. diſſert. 17. ſect. 1.*
(l) *Har. in Evang.*
(m) *Analyſ. des Evang. tom. 2.*
(n) *Hiſt. Evang. tom 2. pag 117.*
(o) *Diſſ. dere hac.*
(p) *Tractat. 49. in Joh.*
(q) *Tom. 7. Diſſ. in tres Marias.*
(r) *Hiſt. Eccl. lib. 7. c. 18.*
(s) *Hiſt. Eccl. T. 2. lib. 11. cap. 4. art 8. p. 3321. Gall.*
(t) *Ad annum Ch. 44. §. 1.*
(u) *Ad an. Ch. 816. §. 49.*
(x) *In Claudio cap. 25.*
(y) *In Annal. Veter. & Nov. Teſtam. ad ann. Ch. 14.*
(z) *Comment. in Tacit. p. 383.*

(1) *Accumbebat ad menſam Chriſtus veterum more ſuper lectulo tricliniari aliquantulum a terra elevato, facie, atque capite ad convivas verſo, & pedibus extrinſecus porrectis, iiſdemque nudis omnino juxta conſuetudinem, de qua vide* Balduinum de Calceo antiquo *cap. 11. & 26. ac* Julium Nigronium de Caliga *cap. 2. §. 34. Demiſſius certe ſe geſſit hæc mulier quam ſervi; nam illi referente* Petronio *Satyr. cap. 27. edit.* Burmani *ſolebant aliquando capillis manus Dominorum abſtergere; hæc vero abſterſit etiam pedes.*

(2) *Hic* Herodes *fuit Agrippa Senior, qui etiam* Julius *vocari voluit, quod unica prodit Inſcriptio Athenienſis apud* Sponium *ſect. 10. Miſcell. pag. 319. De vita, & geſtis Herodum vide* Chriſtophorum Noldium. *Extat in fine tom. 2. operum* Joſephi *editionis Amſtelod. an. 1726.*

(3) *Menologium* Baſilii, *ut notat Florentinius in not. ad Martyrol. Roman. pag. 122. martyrium Jacobi Cæſarea conſtituit, ſed verius Hieroſolymis occiſus eſt, ubi Agrippa feſtum Paſchatis agebat.*

cus *Giſbertus Cuperus* (*a*) ſatis evincunt (1). Sed jam ad totius Diſputationis noſtræ argumentum proprius accedamus.

III. Prima itaque ab Ethnicis Principibus contra naſcentem Chriſti Eccleſiam excitata perſequutio fuit illa *Neronis* Imperatorum omnium ſæviſſimi, quem *Lactantius* (*b*) *execrabilem*, ac *nocentem Tyrannum*, & *malam beſtiam* juſtis titulis appellat. Vix de hac agere incipimus, quum ſubito inveſtigabiles Chronologiſtarum diſſenſiones de anno quo a *Nerone* indicta eſt, ſeſe offerunt expendendæ. *Annalium Pater Baronius* eam revocat ad annum Chriſti 66. quæ tamen ſententia ab *Antonio Pagi*, cæteriſque ex duorum annorum *Metachroniſmo* revincitur. *Euſebius* vero in *Chronico* (*c*) anno Ch. 70. Imperii Neronis 14. *Memmio Regulo*, & *Verginio Ruſo Coss.* reputat incœpiſſe. Aſt *Euſebium* accuratiorem fuiſſe in Hiſtoria, quam in *Chronico* viri eximiæ eruditionis (*d*) jampridem adnotarunt. Nec immorandum a nobis eſt in *Faſtis Idatianis*, qui hanc ad ann. Ch. 58. reponunt; quis enim ſanus id ferat? Supereſt ergo, ut cum *Pagio* (*e*), & *Nicolao Toinardo* (*f*) aliiſque Perſecutionis hujus initium ad an. Ch. 64. ineunte circiter menſe Auguſto *Coss. C. Lecanio Baſſo* & *M. Licinio Craſſo* (2) probabilius conſignemus. Quæ autem fuerint Neroni cauſſæ, ut lata lege (3) ubique Perſecutionem indiceret, diligentius inquirunt Auctores. *Hegeſippus* (*g*), ac *Nicephorus Callixtus* (*h*) eam neci Simonis Magi (4) e ſublime in terram D. Petri precibus dejecti totam vindicant. *Martinus Polonus* Epiſcopus Conſentinus ad Paulum refert, quod coram Nerone dixerit *figuram Mundi hujus per ignem eſſe diſſolvendam*. Ad Paulum quoque, quod ad vivos revocaverit *Patroclum* quemdam Neronis juſſu occiſum, *Joachimus Perionius* (*i*) Alii denique ex *Tacito* (*k*) ad Ro-

(*a*) *In not. ad Lactantii lib. de Mort. Perſ.*

(*b*) *De Mortib. Perſ. c. 2.*

(*c*) *In Chronico ad ann.* 2034.

(*d*) *Antonius Pagi in Crit. Baron. ad ann. Ch.* 90. & *Doduvellus Diſſ. de Succeſſ. Primorum Romæ Epiſcop.*

(*e*) *In Crit. Baron.* & *Diſſ. Hypat. p.* 2.

(*f*) *In not. ad Lactantii lib. de Mort. Perſ.*

(*g*) *L.* 3. *cap.* 2.

(*h*) *In l.* 2. *c.* 36.

(*i*) *In Lib. de rebus geſtis, vitiſq. Apoſtol.*

(*k*) *Lib.* 15. *Annal.*

Z 2

(1) *Nomen* Chreſti *Romanis fuiſſe uſitatiſſimum ex Inſcriptionibus*, & *Cicerone lib.* 2. *Epiſt. ad Familiares epiſt.* 8. *manifeſtum eſt*. *Has Inſcriptiones legere poteris apud* Marcellum Donatum *Scholia in pleroſque Hiſt. Rom. Scriptores pag.* 436. *quo loco omnes tranſcripſit, quæ Romæ habentur, traditque inſuper hoc* Chreſti *vocabulum nedum viris, ſed* & *fœminis fuiſſe commune*. *Putamus proinde errore nominis Gentiles Dominum noſtrum* Chreſtum *nominaſſe, opinantes nimirum proprium fuiſſe illius nomen*.

(2) Eruditiſſimus Noriſius noſter *in Genealogia Craſſorum, quam exhibet in ſua Epiſtola Conſulari, oſtendit Craſſum hunc filium fuiſſe Licinii Craſſi Frugi, qui anno* 27. *Conſul inauguratus eſt*. *De C. Lecanio Baſſo legendus* Plinius *lib.* 26. *cap.* 1.

(3) *Neronis Edictum fuit hoc:* Quiſquis Chriſtianum ſe eſſe confitetur, his tanquam generis humani convictus hoſtis, ſine ulteriore ſui defenſione, capite plectitor. *Hac criminatione paſſim pulſabantur Chriſtiani, ut nempe generis humani hoſtes appellarentur*. *Eorum namque vivendi ratione mores, ipſamque adeo vitam humanam lædi exiſtimabant Gentiles, quapropter dicebantur ἀδικεῖν τοῦ βίου, ut eſt apud* Clementem Alexandrinum: & Tertullianus *in Apol. cap.* 5. *ait:* naturam ipſam Chriſtiana ſuperſtitione conquaſtos fuiſſe violari; *nempe quod ab Religione, quæ videbatur naturæ convenientiſſima,* & *toto terrarum orbe recepta, tantopere abhorrerent*. *Dicebantur præterea Chriſtiani publici hoſtes, quia Deorum,* & *hominum, totiuſque naturæ inimici habebantur; quam falſam accuſationem diluit* Tertullianus *in Apolog. cap.* 34. *Quum vero in publicos hoſtes, ut ait* Tertull. *cap.* 2. Omnis homo miles ſit *hinc factum putamus, ut Gentiles paſſim Chriſtianos, quos tales putabant, occiderent*. *Publicorum autem hoſtium capita Diis Inferis ſacra erant,* & *iccirco eos impune occidere cuique fas erat: immo quandoque ad hanc rem præmium erat conſtitutum, ut habet* Capitolinus in Gordianis. *De Chriſtianorum falſis accuſationibus legendus* Tertull. *in Apol. ejuſque doctiſſimus commentator* Deſiderius Heraldus, Minutius Felix, Arnobius, aliique.

(4) *Vide Diſputationem noſtram Senis editam anno* 1741. De Hæreticis, qui primo Eccleſiæ ſæculo Jeſu Chriſti Fidem oppugnarunt *num.* 2.

Romanæ urbis incendium (1), de quo per invidiam cauſſati ſunt Chriſtiani, credunt motam Perſecutionem eſſe revocandam. His procul dubio ambabus, ut Græci ajunt, manibus præberemus aſſenſum, niſi graviſſimi Scriptores *Suetonius* (*a*), & *Lactantius* (*b*), & quæ habentur apud *Gruterum*, & *Scaligerum* veteres Inſcriptiones (2) ad novum ſuperſtitionis genus, & maleficia, quibus Chriſtiani paſſim calumniabantur veroſimilius referrent, probabilioreſque rationes alio nos non abducerent. Perſuaſum ſiquidem nobis eſt, præter peculiares cujuſcumque Perſecutionis cauſſas, quas infra erimus adlaturi, vel ex univerſa illa Populi, ac Romani Senatus lege, qua alium Deum colere vetitum erat, niſi quem Senatus approbaſſet, Gentiles perſequendi Chriſtianos, qui Chriſtum, ut verum Deum colebant, occaſionem arripuiſſe: vel ut *Juſtinus* ait (*c*), & *Euſebius* (*d*) ex nefandis Hæreticorum moribus, qui quum Chriſtiani reputarentur, facile eorum turpitudines, & maleficia Chriſtianis aliis promiſcue imputabantur: vel ex inſana quadam erga falſos Deos religione: vel denique ex ſumma noſtræ Legis ignoratione, ut pluribus demonſtrat in Apologetico *Antiquus Tertullianus* (*e*). Fruſtra proinde malæ Fidei Lactantium accuſat *Jacobus Tollius* (*f*) quod Neronianam Perſecutionem Urbis incendio non adſcripſerit, quam tamen calumniam abunde revincit eruditus *Paulus Baldri* (*g*). Fruſtra quoque *Dodvvellus* (*h*) incendium illud concitatæ a Nerone Perſecutionis unicam cauſſam dicit, ut inde probet univerſalem non extitiſſe; præterquam enim incendio illi, ut monuimus, deputari nequeat *Oroſii* (*i*), & *Lactantii* (*k*) clariſſima teſtimonia illius univerſalitatem plane conficiunt. Ad hæc Perſecutionis hujus generalitatem probat, eundemque ſimul *Dodvvellum* revincit innumera illa Chriſtianorum multitudo, quæ per omnes Romani Imperii Provincias pro ſuſcepta Fide martyrium ſubiit. Hos inter qui habentur illuſtriores ſunt *Apoſtolorum Principes Petrus, & Paulus*, quos Nero non occidit poſtquam ex Oriente rediit, ut contendunt aliqui, ſed antequam illuc proficiſceretur; undecimo videlicet menſe exeunte ab incepta Perſecutione, Chriſtique anno 65. Plures item fuiſſe martyrio affectos ex ipſius Neronis familia dubitare non ſinit *Apoſtoli* ad Philippenſes (*l*) ſcribentis auctoritas. In numero quoque Martyrum ſub Nerone recenſentur *S. Urſicinus*, & *Valeria ejus uxor*, & *Apollinaris* Epiſcopus, qui Ravennæ paſſi ſunt; quos inter reponeretur a nobis *S. Marcellus*, ut nonnulla habent Martyrologia (*m*), ſi accuratiſſimus *Florentinius* nos non admoneret (*n*), a nullo penitus recognoſci. His addendi ſunt S. Pau-

(*a*) In Nerone cap. 16.
(*b*) Cit. loc.
(*c*) In ſuis Apologi.
(*d*) L. V. cap. 1.
(*e*) Capp. 2. 3. & 4.
(*f*) In not. ad Lactant. lib. de Mort. Perſ.
(*g*) In not. ad eumdem librum.
(*h*) Diſſ. Cyprian. XI.
(*i*) L. 7. Hiſtor. cap. 5.
(*k*) De mort Perſec. cap. 2.
(*l*) Cap. 4.
(*m*) Die 7. Octobr.
(*n*) In Notat. ad Martyr. pag. 602.

(1) *Quot diebus perduraverit incendium illud urbis Romæ valde controvertitur.* Tacitus *lib. 15. Annal. pag. 253. edit. Pariſ.* 1608. & Suetonius *in Nerone ajunt: ſex diebus, ſeptemque noctibus ea clade ſævitum. Uterque longe abiit a Lapide priſco, qui novennes commemorat dies; qui lapis exſtat Romæ ad Baſilicam S. Petri. Legendus* Juſtus Lipſius *in notis ad lib. 15. Annal. Taciti.*

(2). *Monet* Gruterus *in ruinis Pagi* Marqueſiæ *hanc extare Inſcriptionem.*

NERONI CL. CAIS.
AUG. PONT. MAX.
OB PROVINC. LATRONIB.
ET HIS QUI NOVAM
GENERI HUM. SUPER
STITION. INCULCAB.
PURGATAM.

Similis habetur apud Scaligerum, *eamque in Hiſpania in loco* PIſverga *vocato extare ait. De his dubitat ipſe* Scaliger *in Animad. Euſeb.* & Johan. Clericus *in Hiſt. duorum priorum ſæculorum, ſed nullam interim ſuæ dubitationis rationem in medium afferunt.*

Digitized by Google

S. *Paulinus* Lucenſium Epiſcopus, & Patronus Piſis martyrio affectus, Nepeſinus Epiſcopus *S. Romanus*, in Hiſpania *S. Polycetes*, aliique pene innumeri, quos ob temporis diuturnitatem penitus eſſe in obſcuro nemo non novit. Quod vero ad hanc Neronis Perſecutionem non revocemus *Gervaſium*, & *Protaſium*, *Nazarium*, & *Celſum*, ac *Perpetuam* eorum matrem, qui omnes Mediolani paſſi eſſe dicuntur, nullus certe mirabitur, cui notum ſit, cum *peritiſſimo Scriptorum veterum Tillemontio* (*a*) ex recentioribus tantum, atque ex falſa *S. Ambroſii* epiſtola (*b*) id totum eſſe derivatum. Ut autem de iſtorum, quos recitavimus, martyrio conſtitutum eſt inter Scriptores, ita dubium omnino de genuinis eorum Actis. Quum ea magna ex parte deperdita ſint, aut ſaltem vitiata, quæ a ſeptem illis Notariis, per *Clementem Pontificem* conſtitutis (1), atque ab Eccleſiis aliis diligentiſſime conſcribebantur, ſumma in rerum ambiguitate verſamur. Bonum illud, quod ad ſeligenda a ſpuriis ſincera Acta pertinere videbatur, hoc ſummi ingenii Viros *Johannem Bollandum*, *ejuſque doctiſſimos Succeſſores*, *Bailletum*, *Tillemontium*; *Ruinartium* propoſitis ad id certis Criticæ regulis, effeciſſe graviſſimorum hominum ſententia eſt. At *Honoratus a S. Maria* (*c*) graves eorum methodo indixit difficultates, aliique contra iſtos Auctores novas querelas vehementius inſtaurarunt. Non arbitros ſedere nos ſtatuimus, *quem enim*, ut Cicero ait (*d*) *addubitare non coget doctiſſimorum hominum de maximis rebus ſumma diſſenſio*? Mediam tamen viam inire, certoſque canones proponere nos poſſe confidimus, quibus de ſinceris Martyrum actis abſque periculo judicemus; ſed ſi eiſdem intemperanter abutimur, *quid tam conſtans, ut dubium non videatur?* Ex hac quoque veterum Actuum jactura, quam ſub Diocletiano præſertim paſſa eſt Chriſti Eccleſia, factum exiſtimamus, ut ſingulorum Martyrum cruciatus nobis ignoti ſint. Sub Nerone tamen uſitatius ſupplicium, cum *Tacito* illud fuiſſe credimus *vivicomburii* (2), ut alligati ſcilicet axibus, & pice illiti, ac tunica moleſta (3) induti per to-

(*a*) T. 2. Monum. (*b*) Epiſt. 22.

(*c*) De regulis, & uſu Criticæ Diſſ. IV. (*d*) L. V. de Finib.

(1) Clemens Papa *quatuordecim Urbis regiones in ſeptem contraxit, quas ſeptem Notariis diſtribuit, qui Martyrum acta, aliaſque res Eccleſiæ conſcriberent. Id autem, ut notat* Auguſtinus *de Doct. Chr. lib. 2. cap. 26.* & Hieronym. *in Eſaiam cap. 13.* & *alibi per notas, quæ σημεῖα dicuntur celeritatis cauſa fiebat. Hi Notarii poſtea* Regionarii *ſunt appellati, quorum Præſidens* Primicerius Notariorum *dictus ſumma erat dignitatis, & ſede vacante ipſi concredita cura Eccleſiæ una cum Archipresbytero & Archidiacono. Hi ſeptem geſta ſingula Martyrum conſcribebant, nomen notantes, tormenta, dicta, ac tandem ſententiam judicum. Huic ſollicitudini cauſſam dedere Sacerdotum, aliorumque impiorum hominum conficta in Chriſtianos calumnia. Opportunum itaque erat recenſere Martyrum geſta ad has calumnias tollendas, atque ut innocua Chriſtianorum vita, & vera Chriſti Religio innoteſceret. Hæc Acta avide deinde a Fidelibus legebantur, qui per mutuas epiſtolas fiebant de agonibus certiores, & acta ab una Eccleſia accepta viciniori tranſmittebantur, & ab iſta aliis. De hac conſuetudine videnda eſt Epiſtola* Encyclica Smyrnenſis Eccleſiæ *de martyrio* S. Policarpi, Antonius Dandinus Altaſerra, & Franciſcus Bencinus *in notis ad Pontif. Damaſi, de S. Clemente.*

(2) *Vivicomburium ſupplicium erat, quo malefici, & Magi animadverti ſolebant, ut habet* Paulus *lib. 5. ſent. tit. 23.* Lucianus *in Aſin.* Heliod. *Æthyop. hiſt. lib. 8.* Clemens Alexand. *lib. 4. Strom. Quum itaque Chriſtiani a Gentilibus tales reputarentur eo ſupplicio expungebantur. Quare* Tertullianus *lib. ad Scapulam conqueritur Chriſtianos ita puniri, quum nec ſacrilegi, nec publici hoſtes eſſent. Quum vero comburendi erant eorum manus in tergum retrorſum revinciebantur, ut ſcribit* Prudentius *in agone* S. Fructuoſi, & *vetus Martyrologium de eodem agone. Quandoque clavis affigebantur, ut conſtat ex agone* S. Polycarpi *apud* Euſebium. *Vide* Deſiderium Heraldum *in comment. ad Apol. Tertul. pag.* 184. & Antonium Gallonium *de SS. Martyr. Cruciat. cap.* 8.

(3) *Tunica moleſta erat induſium cera litum, quo ſontes tæda, & papyro circum-*

dati

totam noctem ardentes uſum luminum vigilibus præſtarent. Ferarum item tergis ſæpiſſime involvebantur, ut laniatu canum interirent (1): nec omiſſa eſt Crucis pœna, quam non apud Syros tantum, Ægyptios, Perſas, Africanos, Græcos, & Romanos, ſed & apud Hebræos in uſu fuiſſe contra negantes Judæos defendere non dubitamus. Romanos vero conſueviſſe, clavis cruciarios affigere certum reddunt *Senecæ* (a), & *Flavii Joſephi* teſtimonia, idque qnatuor tantum, & abſque ſuppedaneo ab ipſis fuiſſe præſtitum, ut magis verum exiſtimamus. Quare libentius illis adſtipulamur, qui ita in crucem actum Chriſtum Jeſum defendunt. Hanc autem Chriſti Crucem non erectam, ſed in terra jacuiſſe, dum configeretur, quamvis Pictoribus, ac piis meditationibus occupatis hominibus veroſimile videatur, a nobis tamen cum *Bynæo* (b), & *Juſto Lipſio* (c), non probatur. Mens interea non eſt perſequi plura de Cruce, & cum *Gretſero* (d), *Lamy* (e), *Caſaubono*, *Salmaſio*, ac noſtri inſtituti viro apprime docto *Angelo Rocca* (f) grandia volumina de his rebus conſtruere: *dementia enim nobis* cum Seneca (g) *videtur dicere ſupervacanea in tanta temporis inopia* (2). Unum tamen hic miſſum facere ex *Tacito* (h) non volumus, quod Martyrum ſupplicium augere videtur; nempe omnia hæc a Nerone ſæviſſimo in *Circo* (3) in ſuis hortis extructo Populo exhiberi conſueviſſe. Annis tribus, ac menſibus decem Neronianam hanc perduraſſe Perſecutionem nullus, ut credimus, in controverſiam vocabit, cui notum ſit annum Chriſti 68. & diem nonam Junii inſignes eſſe Neronis nece, quum *dejectus*, ut Lactantius ait (i), *faſtigio Imperii, ac devolutus a ſummo tyrannus impotens* in Suburbano Phaontis Liberti ſui prope Romam ad

(a) De Vita beata.

(b) De morte Chriſti lib. 3. cap. 6.

(c) Not. in 2. lib. de Cruce cap. 10.

(d) Diſſ. de Cruce.

(e) Diſſ. pariter de Cruce in Harm. Evang.

(f) Diſſ. de S. Crucis Particula.

(g) Epiſt. 49.

(h) Cit. lib. 15.

(i) Cit. lib. c. 2

---

dati ſupervestiebantur, illiſque guttura figebantur ne ſe curvarent. Ita hac tunica liti, & axi ſemiſſali alligati ſarmentorum ambitu comburebantur: unde ſemaxii, *&* ſarmentitii *vocabantur. Conferendus Scholiaſtes Juvenalis adverſus illos* Pone Tigillinum: tæda lucebis &c. *qui procul dubio de Chriſtianis dicti ſunt.*

(1) *Modum, & figuram exhibet eruditus* Cuperus *in notis ad Lactan. librum de Mort. Perſec. qua Chriſtiani in* Amphitheatro *ferarum tergis contecti dilacerabantur.*

(2) *De Cruce, ſtipitibus, modis, quibus Chriſtiani appendebantur multa eleganter differit laudatus* Gallonius *cit. lib. cap.* 1.

(3) *In valle Vaticana erat Neronis* Circus, *ab ipſo extructus, ut habet* Tacitus *lib.* 14. *Annal. & conſtat ex Obelyſco* 72. *pedum primum prope ſacrarium S. Petri poſitum; deinde a* Sixto V. *in medio fori translatum, cujus meminit* Plinius *lib.* 36. *cap.* 11. *Majorem hujus* Circi *partem occupat modo magnificum S. Petri Templum. Legendus* Flaminius Nardinius *in libro cui titulus* „ Roma Antica *lib.* 7. *cap.* 13. *pag.* 483. *edit.* 1704. *De ludis cui in* Circo *fieri ſolebant copioſe agit* Panvinius noſter *ſingulari libro* „ De ludis Circenſibus, Roſſinus Rom. Antiq. *lib.* 5. *cum additionibus* Dempſteri *ad cap.* 5. *Erant hi ludi ad formam præſertim* Olympicorum *apud Græcos.* Gimnicos *etiam appellabant, a Gimnis ludis ſive exercitationibus, quæ in iis exhibebantur. De coronis vero quæ ſive in Olympicis, ſive* Circenſibus ludis *victoribus dabantur differit* Carolus Paſchalius lib. de Coronis. Circus Soli *ſacer erat, ludi vero* Cereri, *ut refert* Tacitus *lib.* 15. *Annal. Vide* Hieronym. Mercurialem *lib.* 2. *artis Gymnicæ cap.* 12. Julium Bulengerum *lib. de re hac edito, &* Johan. Savaro *ad Sidonii ſui carmen* 23. *Primus omnium* Tarquinius Priſcus *V. Romm. Rex Circum maximum extraxit teſte* Plinio *lib.* 1. *inter Palatinum, & Aventinum montes ſitum, longitudo ejus erat trium ſtadiorum, latitudo quatuor jugerum. Præter hunc Circum maximum alii progreſſu temporis ſunt extructi.* Publius Victor *in libello* de Regionibus Urbis *octo vel novem enumerat; videlicet:* Circus Flaminius, *qui collocatur Regione urbis nona. In prima regione* Circus Antonini Caracallæ *cum obelyſco. In ſexta duo memorantur, alter prope portam Collinam, alter* Circus Floræ, *ſive* Floralium. *Regione decima* Circus Alexandri Imperatoris: *Regione undecima præter circum maximum, erat* Circus intimus *antiquiore nomine* Circus ad murum *dictus. Erat &* Circus Domitiæ, *&* Circus Vaticanus, *quorum mentio eſt apud* Victorem, *& alios.*

Digitized by Google

ad quartum lapidem inter Salarias, & Nomentanas vias ſeipſum miſere occidit (1). Mirari proinde ſubit quorumdam veterum perſuaſionem, qui opinati ſunt Neronem non eſſe mortuum, ſed vivere adhuc, & venturum ante ſæculi finem, immo & ipſum fore *Antichriſtum:* quis enim adeo in literis peregrinatur, ut fabulam non comprehendat (2)? Hanc certe non confinxerunt olim Chriſtiani, ut putat *Jacobus Tollius* (a), eos mendacii impudentiſſime perſtringens, eamque numquam credidit *Firmianus Lactantius*, ut probare conatus eſt *Joſeph Iſæus*; ſed tota quanta eſt Ethnicis qui eam mundo invexerunt, eſt deputanda. Venturum nihilominus, neque nondum adveniſſe ſcimus *Antichriſtum*, atque una cum eo *Enochum*, & *Eliam* contra *Georgium Callixtum* (b), & *Henricum Bœcleri* (c) quos licet translatos eſſe dicamus, intuitiva tamen ſummi Numinis nondum viſione potiuntur. Sed jam de altera Perſecutione dicendum eſt.

IV. *Interjectis* igitur, ut loquitur Lactantius (d) *aliquot annis alter non minor Tyrannus exortus eſt*, Domitianus nempe, cui cognomen *Nero* fuit a crudelitate (3). Magno rurſus diſſidio inter ſe committuntur *Chronologi*, cuinam Chriſti anno perſecutionis hujus initium ſit deputandum. Ad annum Chriſti 90. eam locat in ſuis Annalibus Baronius ſub Conſulatu *Trajani*, & *Glabrionis*. Verum irritum illi effluxiſſe laborem pluribus demonſtravit accuratiſſimus *Pagius* (e). *Chronicon Paſchale* (4) a *Clariſſimo Ducangio* editum initium adnectit anno Chriſti 92. non autem 93. ut cenſet *Pagius*. Sed quid de hujus *Chronici* fide, & auctoritate, quæ certe parva eſt, dicendum ſit Eruditi jam ſciunt. Neque forte tempus legitime conſignant *Dodvvellus* (f) & *Gisbertus Cuperus* (g) qui ex *Brutii* verbis (5) apud *Euſebium* (h) contendunt nonniſi Chriſti anno 95. Eccleſiam fuiſſe a Domitiano vexatam: ſiquidem a *VV. CC. Antonio Pagio* (i) & *Theodorico Ruinartio* (k) reſponſum eſt, nihil aliud inde confici, niſi perſecutionem iſtam eo anno maxime efferbuiſſe. Quæ itaque ineunda a nobis erit via in tanta ſententia-

(a) *In Not. ad Lact. cit. loc.*
(b) *Tractat. de Supr. Jud. ea parte in qua de ſignis agit.*
(c) *Hiſt. Univ. p. 210.*
(d) *C. 3. cit. lib.*
(e) *In Crit. ad ann. Ch. 90.*
(f) *Cit. Diſſ. 11.*
(g) *In not. ad Lact.*
(h) *In Chron. & in Hiſt. l. 3. cap. 18.*
(i) *In Crit. Baron.*
(k) *Præf. in Acta Mart. §. 1.*

(1) *Refert* Soetonius in Nerone *ipſum funeratum eſſe impenſa ducentorum millium, & reliquias ejus Domitiorum monumento conditas, & fuiſſe qui per longum tempus vernis, æſtivisque floribus tumulum ejus ornarent.*

(2) *Errorem hunc de* Nerone *venturo in fine mundi refutant præter* Lactantium, *Eccleſiæ veteres Patres; ut* Hieronymus *in cap. 11. Danielis*; Auguſtinus *lib. 20. de Civ. Dei Cap. 19.* Ambroſius *in 1. ad Corinth. cap. 4. v. 9.* Chryſoſtomus *in 2. Teſſal. hom. 4. & ſerm. de Eleem.* Severus Sulpicius *hiſt. ſac. lib. 2. cap. 29. Legeſis* Johan. Columbi *in not. ad* Lactantii *lib. de Mort. Perſec.*

(3) *Ob crudelitatem vulgo vocabatur* Nero Domitianus, *&* Nero Calvus. Juvenal. *&* Calvo ſerviret Roma Neroni*: &* Auſonius *lib. de Cæſar.* Cæſar, quem calvum dixit ſua Roma Neronem. *Et* Tertullianus *Apol. cap. 5.* Tentaverat & Domitianus pronomine Neronis de crudelitate. *Tyranni vero elogio Domitianum etiam infamavit Epitomes, quæ* Aurelio Victori *tribuitur.*

(4) *Opus hoc, quod* Faſtos Siculos, *ſive* Chronicon Alexandrinum *nuncupant, complectitur mundi tempora per omne ævum uſque ad an. Ch.* 628. Alexandrinum *ideo dictum quod in Frontiſpicio MS. Codicis.* Petrus Alexandrinus, *nota appoſita, illud commendarant.* Chronicon *iſtud in vetuſta quadam Siciliæ Bibliotheca primus reperit* Hieronymus Surita, *& huc, illucque ſæpius traductum a* Caſaubono *demum trecentis prope aureis emptum eſt. Sæpe editum opus eſt, maxime tamen in pretio habetur Editio Græco-latina* Radeſi *Monachii* 1615. *Aliam adornavit* Ducangius *typis Luparenſibus. Nonnulli tribuunt* Georgio Piſidio Diacono, *qui anno circiter* 640. *claruit. Alii* Georgio Alexandrino, *qui vitam ſcripſit Chryſoſtomi, adſcribunt.* Cave Hiſt. Litt. *pag.* 320.

(5) Brutius, *quem laudat, & citat* Euſebius *aut fuit veroſimiliter* Brutius Præſens, *qui cum* Antonino Imp. *Conſul fuit, & cujus Filia Antonini filio nupta eſt, aut ſaltem ejus gentilis fuit Hiſtoricus iſte.*

tiarum varietate? Ergo ne in *Pagii* ſententiam, quæ tot habet ſectatores relabemur, eam ad annum Ch. 93. conſignantis? Minime vero. Quæ enim ab ipſo ex *Chronico Alexandrino*, & ex *Taciti* loco (*a*) proferuntur argumenta ex integro rem non evolvunt. Nec ullatenus nos movent *Feſta* illa *Quinquennalia*, & *Decennalia*; aut ſimilia, quæ pro certa perſecutionum *epoca* (1) ab ipſo ſtatuuntur: ex illis namque regulis, ut animadvertit *præſtantiſſimus Noriſius noſter* (*b*), ac Recentes *Baronii Editores* (*c*), facilius eſt errorem detegere, quam veram invenire. Dabimus tamen ipſi horum Solemnium occaſione auctas fuiſſe quandoque perſecutiones, quum nempe pro ſua Religione certas pietatis, ac zeli notas Diis, Populoque Imperatores exhibebant. His ita diſputatis, ſententiam noſtram aperiamus. Quum itaque inter Eruditos conveniat, *Domitianum* non vexaſſe Eccleſiam niſi poſt mortem *Agricolæ*, quæ contigit die 23. Auguſti anni Ch. 93. ac deinde, ut habet *Tacitus* (*d*), Rempublicam exhauſerit, ac tandem perſecutionem publico edicto moverit, medio tutiſſimo ituri videmur ſi dicamus *Domitiani* perſecutionem incœpiſſe menſe Februario inſequentis anni 94. & quartodecimo, ut conſentit *Hieronymus* (*e*) ſui imperii anno. Porro non hoc ad conflandam aliis invidiam proponimus, nec ut ὡς τιν quædam noſtra amare, aliena faſtidire videamur: parati enim ſumus aliorum argumentationibus cedere, ſi quid modo roboris in illis inveniamus. Jam vero ſi hujus perſecutionis cauſſas inquiras; præter excitatos contra Chriſtianos a Plebe tumultus, & quas ſuperius recenſuimus, nullas alias fuiſſe Domitiano exiſtimamus. Quapropter fallitur prorſus *Godefridus Vandalinus* (*f*), eam totam referens ad diſſidia illa Chriſtianorum adverſus ſe invicem conſurgentium, de quibus ſermonem feciſſe putat *S. Clemens* in priori ſua ad Corinthios epiſtola. Publicato itaque a *Domitiano Perſecutionis Edicto*, ſive potius veteri illo *Neronis* confirmato, rurſus plurimos ubique Chriſti Martyres effectos fuiſſe haud dubitamus. Romanam Urbem ingredientibus nobis ſtatim occurrit *Apoſtolus*, & *Evangeliſta Johannes*, quem eodem primo Perſecutionis anno die ſexta menſis Maii *Domitiani* juſſu in ferventis olei dolium miſſus, contra eruditum *Combefiſium* (*g*) diverſa ſentientem, ex lucu-

(*a*) *In vita Agricolæ circa finem.*

(*b*) *In Epiſt. Conſulari.*

(*c*) *Animad. in Pagium Tom. I. Baron.*

(*d*) *Cit. loc.*

(*e*) *De Script. Eccleſ. in Joanne.*

(*f*) *Divinatione de Clemente, & ejus Epiſtolarum tempore.*

(*g*) *In not. ad Orat. Nicetæ Paphlagonis.*

(1) *Eruditiſſimus* Antonius Pagius *Diſſ. Hypat. part. 2. cap. 2. omnium primus obſervavit hæc Solemnia a Cæſaribus, vel Imperatoribus Conſulari Trabea indutis peragi ſolere; indeque ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam deducit, ac ex. ſimul proponit Canones ad reſtituendam depravatam* Conſulum Chronologiam, *de quibus videndus* Noriſius *noſter in Epiſt. Conſul. Porro Feſta, & Vota* Quinquennalia, Decennalia &c. Dione *teſte lib. 53. originem ſuam auſpicantur ab* Octaviano Auguſto, *quæ ab aliis ſubinde Imperatoribus acta ſunt. In his agebantur ſacrificia, ludi Circenſes, Gladiatorii, Scenici, de quibus erudite* Roſſinus *Romm. Antiq. cap. 12. lib. V. de Feſtis Votivis, &* Onuphrius Panvinius *lib. 1. Faſtorum, & lib. de Lud. Circ. Fiebant ergo vota* Quinquennalia *primo anno initæ dignitatis, ſed ſolvebantur exacto luſtro, &* Decennalia *nuncupabantur, luſtro demum altero ſolvenda. Vota* Vicennalia *ſuſcipiebantur anno quintodecimo Imperii, ſolutio vero agebatur anno viceſimo, quo munera Imperatoris mitti ſolebant, de quibus vide* Symmachum *lib. 10. epiſt. 26. Templa præterea ædificabantur, Filii adoptabantur &c. Hæc ex nummis plenius docent* Adolphus Occo, Erizzus, *&* Chalucius. *Superſtitioſo Idolorum cultu antiquato* Conſtantinus Magnus, *aliique Chriſtiani Auguſti ad Aram Omnipotentis Dei pro decennalibus, & vicennalibus vota peragebant ut patet ex Orat.* Euſebii. *Quot vero diebus Feſta hæc perdurarent certo definiri non poteſt, quum pro Principum, vel Magiſtratuum munificentia, aut parſimonia augerentur, & minuerentur. Hæc uſque ad* Juſtinianum *acta ſunt, a quo nulla deinceps. Hoc non Eruditis, in quorum numero certe non ſumus, ſed juvenibus noſtris indicaſſe ſufficiat, quorum gratia præſentes inſtituuntur Diſputationes. Adeant iſti* Noriſium *noſtrum Diſſ. ſingulari de Votis Decennalibus, &* Carolum Dufreſnium *diſſ. de Numiſm. inferioris ævi, &* Pagium *loc. cit.*

luculenta *Tertulliani* (*a*) & *Hieronymi* auctoritate (*b*) probe tenemus. Ex hoc autem ſupplicio divina illum protegente virtute quum illæſus exiiſſet in *Pathmos* inſulam relegatus eſt (1) Occurrit quoque *Sanctus Flavius Clemens* (2) *Vir Conſularis*, & ipſius *Domitiani Patruelis*, qui teſte *Xiphilini Dione* (*c*) morte adfectus eſt, illato ipſi crimine impietatis, quamvis Doctiſſimus *Baronius* (*d*) ex veterum Martyrologiorum ſilentio illius pro Fide martyrium negare viſus ſit. Una cum Clemente recenſeri debet *Flavia Domitilla* Imperatoris conſanguinea; quæ an conjux fuerit S. Clementis, an vero neptis; rurſuſque an una, an duæ ſint diſtinguendæ, quæſtio eſt inter Scriptores graviſſima. Unam, ac ſingularem facit *Baronius* (*e*) *Ericius Puteolanus*, aliique, & quidem Clementis neptem. *Johannes Bollandus*, & *Chisletius* duas fecernunt, & unam Clementis conjugem, ac in Inſulam *Pandatariam* (3) relegatam dicunt: neptem alteram, & Inſulam *Pontiam* (4) adſportatam. Expenſis utriuſque

(*a*) *De Præſcr. Hæret.*
(*b*) *Lib.* 1. *contra Jovinian.*
(*c*) *In Domitiano.*
(*d*) *Ad an. Ch.* 98. *num.* 7.
(*e*) *In notation. ad Martyrol. Rom.*

opinionis argumentis, poſteriorem illam *Bollandi* ducimus amplectendam. Duo vero Nummi ab *Huberto Goltzio* exhibiti (*f*), in quibus *Auguſtæ* nomen *Domitillæ* apponitur, & in quibus una nupto capite, altera cum facie circa ſpecioſiſſimam bigam a duabus mulis protractam viſitur, neutram fortaſſe ex his *Domitillis* notant; rationi ſiquidem conſentaneum nobis minime videtur, ut quum eas *Domitianus* relegaverit, memoriam conſecrare æterno ad poſteros monumento præſumpſerit Senatus, Populuſque Romanus (5). Hoc igitur unum produnt Nummi illi, *Domitillæ* nomen in Cæſarea familia frequens fuiſſe in honorem ejus, quæ *Veſpaſiani* uxor fuit. Galliam præterea intuentibus eadem graſſante perſecutione occurrit *S. Eutropius Sentonenſis Epiſcopus*, *Lucianus Epiſcopus Bellovacenſis*, aliique innumeri de quibus copioſe, eleganterque dixit *peritiſſimus Tillemontius* (*g*). Quibus omnibus accenſendus eſt S. *Antipas* apud Pergamum, cujus martyris laudes habentur in *Apocalypſi Joannis* (*h*), &

(*f*) *Theſaurum Rei antiquariæ p.* 41.
(*g*) *Tom.* 2. *Monum.*
(*h*) *Cap.* 2.

(1) *Ex falſo* Prochoro *habemus Johannem Evangeliſtam juſſu Domitiani ignominiæ cauſſa capite attonſum antequam in exilium proficiſceretur. Loquens tamen* Cyprianus *de damnatis ad metalla ait:* ſemitonſi capitis horreſcit capillus. *Solebat hujuſmodi abraſio capitis ſignum eſſe hominis ſceleſtiſſimi, & turpiſſimi; unde illud* Ciceronis *pro* Roſcio Comedo: Nonne ipſum caput, & ſupercilia illa penitus abraſa olere malitiam? *Addi poteſt quod* Cajus Imperator *occipitia adoleſcentulorum ludibrii cauſſa radere conſueverat, de quo* Svetonius *cap.* 35. *Moris etiam fuiſſe apud Romanos ſervorum radi capita* Tacitus, *& alii plures teſtantur; & nunc temporis in more eſt damnatis ad triremem radere capita. Vide* Diſp. *anno ſuperiori editam not.* 33. *pag.* 13.

(2) *Anno vulgaris Æra* 1725. *qui erat Jubilaus ſub* Benedicto XIII. *in veterrima* S. Clementis Pont. & Martyris Baſilica *ſub ara maxima ſacri cineres Chriſti Martyris* S. Flavii Clementis *detecti ſunt in capſa plumbea, in qua oſſa aliquot, oſſium fragmenta, cineres ſacro cruore concreti erant: vas inſuper fractum vitreum, urceus fictilis, gemina Crux, altera ligna, altera anea, & image cerea duplex, qua Agni formam utrinque referebat. Capſula impoſita erat tabula marmorea in cujus utraque area littera inſculptæ erant admodum implexa, quas eruditus* P. Edmundus de Vitry *in diſſ. cui titulus* Titi Flavii Clemantis Viri Conſularis, & Martyris Tumulus illuſtratus; *ita eſt interpretatus:* Flavius Clemens Martyr hic feliciter eſt tumulatus. *De genere S. Clementis, deque ejus martyrio, & cultu agit laudata Diſſ. idem* P. Vitry. *Stemma vero* Flavii Clementis *affert* Nicolaus Antonius *lib.* 1. *cap.* 12. Biblioth. Veteris Hiſpania *pag.* 54.

(3) Pandataria *nunc* S. Maria, *parva eſt Inſula Italia, pendetque a Regno Neapolitano. Erat olim Monachis repleta.*

(4) Pontia *vero, Inſula eſt Maris Tyrreni in ſinu Formiano Palmaria proxima, nunc* Ponza. *In has Inſulas ex more Romanorum relegabantur olim Romani Cives,*

(5) *In nummo area apud Goltzium hac leguntur.* MEMORIÆ DOMITILLÆ DIVI VESP. F. S. P. Q. R. *Verum de hoc, alioque nummo nihil habent* Adolphus Occo. Biraguus, & Spanhemius.

(a) In Scorpiace. & apud antiquum *Tertullianum* (*a*). Quæ quum ex certis adeo monumentis conſtent, quid rurſus comminiſcitur *Dodvvellus*, ut ſuam de paucitate Martyrum ſententiam confirmet, præter exilium, ac bonorum expoliationes, ad cædes & tormenta *Domitianum* non proceſſiſſe, longamque pro Tyranni hujus crudelitate Apologiam adornat? Nonne ex
(b) Lib. 1. Epigr. 7. (c) Satyr. 4. in fine. *Martiale* (*b*), & *Juvenale* (*c*) notum eſt, illud præcipue conſueviſſe, ut caſus tragicos in miſerorum corpora in Theatro ex vero repræſentaret? Nonne ex ſinceris Martyrum Actis conſtat ea ingraveſcente perſecutione in candentem æneum Taurum (1) eorum aliquos incluſos, aut in ollam (2) ferventis olei, picis, & liquati plumbi fuiſſe immiſſos? Parvane ſunt hæc, ut alia interim taceamus, crudelitatis monumenta? Sicuti operam
(d) In Apolog. cap. 5. ludit, dum ex unica *Tertulliani* (*d*) auctoritate jactat *Domitianum* ante mortem Perſecutionis Edictum revocaſſe, exuleſque ſolviſſe: ex *Dione*
(e) In Nerva. (f) In lib. de Divite ſalvando. (g) Lib. de Mort. Perſec. cap. 3. (*e*) namque, *Clemente Alexandrino* (*f*), & *Lactantio* (*g*) patet non reverſos ex Inſulis fideles ante Nervæ Imperium, ac *Joannem Apoſtolum* nonniſi interfecto Domitiano Epheſum rediiſſe, ibique tandem mortuum, neque adhuc, ut aliquibus placet, ſuperſtitem eſſe. *Domitianum* vero ſumma cum diligentia Domini agnatos ex genere Davidis ortos quæſiſſe, ac tandem uti pauperrimos dimiſiſſe, libenter cum peritioribus hujus ætatis Criticis cæteris *Hegeſippi* (*b*) fabulis amandandum eſſe cenſemus. Quum autem hæc *Domitiani* Perſecutio ad an. Ch. 94. menſe Februario probabilius revocata a nobis ſit, quumque, ut in confeſſo eſt apud omnes, anno Ch. 96. XIV. Kalendas Octobris obierit Domitianus; reliquum eſt, ut annos duos, ac menſes ſeptem circiter cum dimidio eam perduraſſe affirmemus, donec *Domitianus* non in Fano Jovis, ut unicum tradit *Chronicon Alexandrinum*; ſed in Palatio, ac in Urbe Roma, fatentibus *Eutropio*, *Svetonio*, & X*iphilini Dione*, ſuorum conjuratione peremptus eſt (3). *Nec ſatis* (juvat enim Perſecutionem hanc præclariſſimis Lactantii verbis ex integro abſolvere) *nec ſatis ad ultionem fuit, quod eſt interfectus Domi. Etiam memoria nominis ejus eraſa eſt. Nam quum multa mirabilia Opera fabricaſſet* (4) *Senatus ita nomen ejus perſequutus eſt, ut neque imaginum,*

(a) Apud Euſebium Lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 20. & 21.

---

(1) *Erat Aeneus Taurus machina quædam, ſic ad veri tauri imaginem accurate expreſſa, ut metus illi dumtaxat, & mugitus deeſſet, quo minus vera crederetur, ut habet* Lucianus *in Dialogo, qui* Phalaris *inſcribitur. Per dorſum apertum ſi quis aderat excruciandus conjiciebatur, & poſtea dorſo iterum clauſo ignis circa ipſum accendebatur. Machinæ hujus inventor fuit, ut notum eſt ex Ovidio lib. 5. Triſ. quidam Athenienſis* Perillus, *ſive* Perillaus *nomine. Quo vero modo hoc ſupplicio cruciarentur SS. Martyres exponit* Gallonius *cit. lib. cap. 5.*

(2) *De* Olla *Martyrii inſtrumento meminit* Scriptura Sacra *Machab. lib. 2. cap. 7.* Joſephus *lib. de Machabæis ad Polybium. Erat* Olla *ut* Nonius Marcellus *ait, vas ex aere confectum in quod damnati homines, veſtibus denudati immittebantur, ut ibidem elixarentur. In more autem majorum erat plurimis vaſorum generibus uti ad reos, & maxime Chriſtianos excruciandos. Utebantur enim* Sartagine *ad eorum carnes ſuffrigendas:* Lebete, & Olla *ad eaſdem elixandas: aſſabantur vero vel* Craticula, *vel* Ferreo Lecto; *quandoque* Sella, Galea, Tunica, *aliiſque inſtrumentis.*

(3) *Interfectores Domitiani ex* Dione Xiphilini *fuere* Partenius Cubicularius, *& alter* Cubicularius Sigerius; *itemque* Entellus *cui incumbebat cura Libellorum Imperii, cum* Stephano *Liberto.*

(4) *Inter mirabilia quæ fabricaverat* Domitianus *recenſentur a* Caſſiodoro in Chron. Domitiano IX. & Clemente II. Coſſ. Forum Trajani, Termæ, Trajani, & Titianæ, Senatus, Ludus matutinus, Meta aurea, Meta ſudans, & Pantheon; *quæ omnia, ut* Svetonius, *ait, quum ſub ſuo titulo, ac ſine ulla priſtini auctoris memoria poſita fuiſſent, juſſit Senatus eradendos ubique titulos, ac imagines, & abolendam memoriam. Vide* Xiphilinum in Nerva, *& Hiſtoriam Arcanam* Procopii *pag. 37. edit. Lugdun. De more damnandi memoriam, titulos, & imagines, deque ejus antiquitate legendus* Juſtus Lipſius *in Excurſu ad lib. 6. Annal. Taciti pag. 199. edit. Pariſ. Hujus quoque ritus meminerunt* Dio Caſſius, Herodianus, *&* Latini Scriptores Hiſt. Auguſ. *imo &* Lactantius *cap. ult. de mort. Perſec. ad eum alludit.*

ginum, *neque titulorum ejus reliquerit ulla veſtigia*, *graviſſimis decretis etiam mortuo notam iureret ad ignominiam*.

V. Reſciſſis *Nervæ Imperatoris* auctoritate, ac *Senatus Conſultu Domitiani* actis, reſtitutiſque, ut habet *Dio*, exulibus in patriam, ac edito inſuper decreto ne cui liceret in poſterum *Judaicæ ſectæ*, ſive impietatis quemquam inſimulare, aliquantulum reſpiravit Eccleſia. Vix tamen pacem ſentire cœperat, quum ſubito *Trajanus* (1) juſtum Dei populum perſecutus eſt. Inſtituta operis ratio nos admonet, ut *Chronologiſtarum* tricas, & diſſenſiones de anno quo hæc Perſecutio promulgari cœpta eſt, aliquantulum expendamus. *Baronius* itaque anno Ch. 100. primoque Imperii a *Trajano* ſuſcepti indictam ex epiſtola *Plinii* contendit (*a*): cujus tamen infirmis rationibus plane ſatisfecit *Halloixius* (*b*). Abiit in diverſa accuratiſſimus *Pagius* (*c*), qui advocatis in ſuæ opinionis patrocinium *Faſtis Idatianis*, ac regula illa *Decennalium*, ad annum Ch. 111. Perſecutionis initium ſtatuit. In re hac tam obſcura nobis conſtitutum eſt *Cl. Jacobum Uſſerium* (*d*), veluti certum Ducem, ſequi, conſignantem hanc ad annum 106. Imperii *Trajani* nonum, confecto jam ſecundo bello Dacico, & altero Parthico jam decreto. Hoc autem eo libentius propugnamus, quod controverſiæ de anno hoc, ut grandioribus *Taciti* verbis loquamur, magnum Diem impoſuiſſe videantur *ſincera S. Ignatii Martyris Acta*. Nullum contra Chriſtianos promulgatum fuiſſe a *Trajano* edictum ex *Tertulliani* Apologetico (*e*), *Melitone Sardenſi*, atque ex *Euſebio* (*f*) certo colligere ſe putat *Dodwellus*. Sed fallitur maxime: epiſtola enim illa *Plinii* (*g*), qua dicitur *Heterias*, & ſodalitia fuiſſe a *Trajano* prohibita, *Suidas* (*h*), & laudata *S. Ignatii Acta* aſſertum errorem ad oculum oſtendunt. Nec ipſi facile concedimus Edicto illo ſolas *Agapas* (2), & convivia fuiſſe interdicta, non autem ſocietates illas, quibus *Euchariſtia* participabantur; certiſſimum namque nobis eſt ex vetuſto Eccleſiæ more, hæc omnia ſimul uniri ſemper conſueviſſe. Ad haſce *Heterias*, & ſodalitia totam indicendæ Perſecutionis hujus cauſſam referunt non pauci. Placet aliis ad populares tumultus, contra Chriſtianos a Gentilibus excitatos, revocare. Secus vero ſincera illa, quæ ſequenda ducimus, *S. Ignatii Acta*, quorum hæc verba ſunt: *Adverſus Chriſtianos*, *ſeu adverſus pietatem bellum ei* (Trajano nempe) *ante alia viſum eſt optimum expedire. Nam illo quidem modo putabat ſe uni prodeſſe Reipublicæ: ſic autem Deos ſuos colere*, *& eos inducere*, *ut opem ferant adverſus hoſtes. Gravem itaque ac difficilem Perſecutionem infert adverſus piam Fidem*, *& proponit* edi-

(*a*) *Ad an. Ch.* 100.
(*b*) *Not. in vita S. Ignatii Marty. cap.* 14.
(*c*) *In Crit. Baron. ad an. Ch.* 98.
(*d*) *In not. ad marty. S. Ignatii.*
(*e*) *C.* 5.
(*f*) *Hiſt. Eccl. L.* 4. *cap.* 26.
(*g*) *Lib.* 10. *Epiſt.* 97.
(*h*) *In Hiſtoria.*

(1) *Imperavit* Trajanus *demortuo* Nerva, *a quo fuit adoptatus ſub exitum menſis Octobris an. Ch.* 97. *ut demonſtrat* Nic. Toinardus *in not. ad Lactan. lib. de Mort. Perſec. quinto Kalendas Novembris. Erat enim dies V. Kalendas cujuſcumque menſis ſimilibus Imperatorum actionibus ſacra*, *ut probat* Pagius *in Diſ. Hypat. & in Crit. Baron. An vero una ſimul imperaverit*, *quod contendit* Dodwellus *in Appen. ad Diſſ. Cyprian. num.* 40. *&* Guilielmus Loydius *in Canone Nervæ*, *& Trajani*, *an vero non*, *ut vult* Pagius, *videndus* Grævius *in not. ad Lactan. Falſum tamen eſt abdicatum fuiſſe a Nerva imperium*, *ut tradit* Aurelius Victor *lib. de Cæſar. Quis enim hoc melius ſcire potuit* Plinio Juniori? *At ſive in Epiſtolis*, *ſive in Paneg. oppoſitum aſſeritur.* Tuderti *in Umbria natum Trajanum putat* Panvinius noſter *in Lib. de Romm. Princip. deceptus fortaſſe ex ſalſa Epitome* Victoris; *qui tamen cit. lib. de Cæſar. ait*, Italicæ *in Hiſpania ortum habuiſſe. Hunc* Aurelium Victorem *eumdem eſſe putat* Franciſcus Balduinus *ac illum de quo loquitur* Hieronymus *Epiſt.* 21. *ad Paulum Concordienſem*, *quique ſcripſit de perſecutionibus Eccleſiæ. At eum refellit* Andreas Schotius *Præf. ad Aurel. Vict. pag.* 20. *edit. Antuerp.* 1579.

(2) *De* Agapis *diximus altera Diſputatione anni ſuperioris num.* 2. *pag.* 4. *not.* 8.

edicta per univerſam terram, quæ ejus parebat imperio (1). Primus ex tot illuſtribus, cui Perſecutionis bellum indictum eſt, fuit Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus *S. Ignatius* Θεοφόρος dictus: ex qua voce mala accepta cum *Uſſerio* (*a*) ſentimus pervagatum eſſe figmentum illud de Ignatio puerulo manibus Chriſti Domini ſublato, non a recentioribus tantum Græcis, ſed a duobus Syris Scriptoribus (2) commemoratum. Quamquam accuratiſſimus *Pagius* (*b*) cum *Loydio* totus ſit, ut probet anno Ch. 116. Romæ in *Amphitheatro* fuiſſe Beſtiis oblatum; nobis tamen ex *Uſſerio* (*c*), *Noriſio* (*d*). *Ruinartio* (*e*), *P. Martene* (*f*), atque ex *Sinceris Actis* annus mortis *Ignatii* eſt 107. *Coſſ. L. Licinio Sura III. & C. Soſio Senecio III.* Olymp. 221. an. 2. Moroſus Cenſor *Joſephus Scaliger* (*g*) negat, aut ſaltem tamquam dubium proponit Romanum iter *Ignatii*. Sed quis ignorat dicacem illum fuiſſe hominem, qui aliena carpens noctem quamdam hiſtoricis rebus induxit? Vindicias itineris hujus jam propoſuit *Uſſerius* (*h*), *Bollandus* (*i*), *Ruinartius* (*k*), & longe ante iſtos *Conſtantinopolitanus Patriarcha Chryſoſtomus* (*l*), quin novas iterum exhibeamus, In hoc autem itinere & *Smyrnam*, & *Troadem* (3) *Ignatium* attigiſſe, ex genuinis ejus epiſtolis, & Actis demonſtrare nos poſſe confidimus contra ludricam *Magdeburgenſium* (*m*) conjecturam, & *Nicolaum Vedelium* (*n*), qui nodum fortius perſtringit, dum ſolvere conatur. An a leonibus præfocatus tantum fuerit *Ignatius* in Amphitheatro, intactæque relictæ ſint ejus carnes, an vero ſola ſanctorum oſſium ſuperiora remanſerint, videbunt alii, deque re ipſa judicabunt, ut volent: nos tantum uti certum cum *Hieronymo* (*s*) ſtatuimus, ejus reliquias fuiſſe Antiochiam translatas, ibique honeſtius tumulatas (4). Alter non minus certe illuſtris Martyr eſt *Symeon Cleopæ Filius Hieroſolymorum Epiſcopus*, qui annos natus 120. poſt atrociſſima verbera juſſu *Attici Conſularis* in Crucem actus eſt: cujus Ordinationem ad annum Ch. 70. poſt Hieroſolymitanum excidium protrahere, inveriſimilis prorſus ſententia eſt. Ad initium Imperii *Trajani* Symeonis hujus martyrium conſignat *Joannes Pearſonius* (*o*): ad finem vero *Dodvvellus* (*p*) dum tamen alter alteri

(a) Innocentis ad Martyr. S. Ignatii.
(b) Ad An. Ch. 116. in Crit. Baronii.
(c) Cit. loco.
(d) In Epiſt. Conſ
(e) Admonit. ad Acta S. Ignatii.
(f) Acta ſelecta p. 11.
(g) In Animad. Euſebianis. n. 2123.
(h) Loc. cit.
(i) Tom. 2. menſis Februarii die 1.
(k) In not. ad Martyr. S. Ignatii.
(l) In Ignatii encomio, quod habetur Tom. 5. edit. Sav. vol. pag. 502.
(m) Centur. 2. cap. 10.
(n) In Apolog. pro S. Ignatio.
(o) De Script. Eccl.
(p) Vind. Ignat.
(q) Diſſ. Cypr. 11.

(1) Acta latina martyrii, S. Ignatii, *quæ habentur Tom. II. PP. Apoſtol.* Cotelerii, *poſtrema ſaltem ſui parte a* Philone, *&* Agathopode, *qui ex Syria* Ignatium *Romam ſecuti ſunt, deſcripta fuiſſe putat* Jacob. Uſſerius *Præf. in martyrium latinum S. Ignatii*, & Ruinartius *Admon. in Martyrium S. Ignatii, eaque inter ſua acta ſelecta inſeruit. In iis, quæ habentur ex membranis Cottonianis Auctor poſtrema verba ex recentiori* Biographo *accepit, qui poetica plane fide longos ſermones inter Imperatorem, & Ignatium Romæ interceſſiſſe, & varia tormenta pertuliſſe commentus eſt: quum cruciatuum illorum neque antiquiora Acta, neque* Metaphraſtes *mentionem faciunt, & poſt Parthicam expeditionem Trajanum numquam Romam rediiſſe Romana nos doceat Hiſtoria. Verius fortaſſe* Græca Mænea, *quæ hæc in Syria geſta fuiſſe ajunt ad diem* 20. *Decembris.*

(2) Gregorio *nempe, qui breves in utrumque Teſtamentum Annotationes edidit, &* Anonymo *altero, qui uberiora in quatuor Evangelia publicavit Collectanea. Nonnulli Recentiorum tradunt Ignatium dictum* Theophorum, *quod poſt mortem quum diſſectum fuiſſet cor ejus, repertum fuerit ſcriptum aureis literis Jeſu Chriſti Nomen. Cæterum in corde* B. Claræ de Monte Falco noſtri Ordinis *impreſſa adhuc videntur veſtigia, & inſtrumenta paſſionis Chriſti, ut notum eſt.*

(3) Troas Antigonia *dicta, nunc* Alexandria, *inquit* Plinius *lib. 5. cap. 30. Unde a* Strabone, Ptolomeo, *&* Galeno Alexandria Troas *appellata invenitur. Apud Ignatium epiſt. ad Philadelphos, & Smyrn.* Trojam *reperimus: hæc enim nova* Troja *eſt habita, utpote a diruta illa* Priami *non longo ſpatio poſita.*

(4) *Ritus, qui olim adhibebantur a Chriſtianis in condendis martyrum corporibus, deſcripti habentur in eorum Actis ſinceris; ex quibus diſcimus cantu, & luminaribus ad Cœmetria efferri conſueviſſe; unguentis, & aromatibus condiri, ac linteis, inſtitiſque involvi. Diſſecta Martyrum corpora collectis, & in unum compoſitis membris tumulo inferebantur, ac ſanguis præterea, & martyriorum inſtrumenta una cum* Mar-

teri non credit, neutri credendum eſſe exiſtimamus, nobiſque martyrii annum ignotum eſſe ingenue profitemur. Tertius ex Martyribus fuit Romanus Pontifex *S. Clemens*. Quæcumque ex Actis, & documentis veteribus, ac genuinis recitantur, de ejus exilio trans mare Ponticum; de martyrio *Cherſone* (1) conſumato ſub *Trajano*, quæ denique de mortis genere eidem illato per ſubmerſionem, meris fabulis accenſent Critici rigidiores. Nos vetera Eccleſiæ monumenta honeſtius habentes, hæc cum *Euſebio*, & *Hieronymo* tamquam vera, ac legitima reputamus. De duobus aliis Pontificibus *Evariſto*, & *Alexandro*, deque Martyribus aliis *Nereo*, & *Achileo*, *Sulpitio*, & *Se-veriano*, *Cæſareo*, pluribuſque dicere non vacat; de duobus enim prioribus jam diſputatum eſt (a), de reliquis vero erudite diſſerit *Tillemontius* (b). De ſuppliciis itaque quibus in hac Perſecutione cruciabantur, potius agamus. Si ſelectis, ſinceriſque Actis, uti decet, credendum ſit; & *plumbeis Pilis* (2) Martyrum corpora tundebantur, & expanſis manibus ignem ſumere cogebantur. *Papyris* inſuper oleo inunctis eorum latera adurebantur, ardentibus quandoque carbonibus imponebantur, *Unguliſque ferreis* lacerabantur (3). Potiſſimum vero a Trajano electum ſupplicii genus, illud fuiſſe fatemur, ut in *Amphitheatro* expoſiti (4) beſtiis dimicarent; quod ſupplicium cæte-

(a) *Diſp. de Rom. Pontif.*
(b) *Tom. 2. Monum.*

Martyrum corporibus tumulo recondebantur. Quandoque etiam Acta martyrii, vel ſcripta nomina reponebantur, aliaque ſigna myſterii gratia erant appoſita. Hos ritus copioſe exponit Paulus Aringhius *in ſua* Roma ſubterranea *Tom. 1. lib. 1. & diligentiſſimus* Johannes Mabillonius, *in ſua Epiſtola nomine* Euſebii Romani *ſcripta, in qua etiam varias notas exhibet ad veros Martyres agnoſcendos, agitque de cultu Reliquiarum, quæ e Romanis Cœmeteriis eruuntur. Ante ſæculum ſeptimum Occidentales Sanctorum corpora tangi, aut loco moveri non ſuſtinebant; eo tamen ſæculo in decentiora loca transferri cœperunt. Nondum tamen eo etiam ſæculo membratim diſtrahebantur, aut imponebantur Altaribus; quod poſtea in more fuit ſæculo nono. Martyrum Reliquiæ primis Eccleſiæ ſæculis domi, aut in Cœmeteriis, & Oratoriis ſervabantur; ſubinde vero ſub Altari, vel ſuptus Apſidem, conſtructis ſuper Baſilicis, aut Ciboriis. Legendus laudatus* Mabillonius *Præf. in Sæculum II. Ordinis S. Bened. §. IV. De cura vero a priſcis Chriſtianis adhibita colligendi, ac redimendi Martyrum corpora, vide* Aringhium *cit. loc. De cultu Martyribus præſtito primis Eccleſiæ ſæculis diſſerit* Tomaſſinus *Tom. 2. Theol. Dogm. lib. 12.*

(1) Cherſona *oppidum erat* Tauricæ Cherſonenſi *ad Boſphorum Cimmerium, dicta quoque* Heraclium; *eo quod fuerit* Heraclienſium Colonia, *& notior facta exilio* Juſtiniani Junioris.

(2) *Erant* Plumbatæ, *ut ſanctorum Martyrum res geſtæ indicant*, Prudentius, *& Picturæ antiquiſſimæ, quæ Romæ viſuntur, quoddam flagelli genus ex funiculis, aut loris factum, quorum ſummitatibus glandes plumbeæ alligabantur, quo poſtea terga, & collum damnati verberabantur. Supplicium erat vitioſorum hominum apud veteres. Innuunt hoc leges l. Siquidem 2. de quæſt. C. Theod. & l. 8. de Decur. Cod. Theod. Hoc ſupplicium in uſu erat tempore Honorii Imperat. qui impium hæreſiarcham* Jovinianum *contuſum plumbo, una cum ſuis gregalibus damnavit exilio.* Plumbatarum *verbera non erant ex Legum præſcripto ad mortem; complures tamen inter Plumbatarum ictus moriebantur, ut indicant* Amianus Marcellinus *lib. 28. &* Ambroſius *epiſt. 17. lib. 2.*

(3) *Tribus potiſſimum inſtrumentis carnes Martyrum diſcerpebantur;* Ungulis, Uncis, Pectinibus. Ungulæ *erant quoddam forcipis genus non ad ſcindendum aptum, ſed cujus extremitates erant dentatæ, itaut utramque partem comprimendo, carnes diſcerperent.* Uncus *erat baculus oblongus, habens in extremitate ferramentum incurvum, & retortum.* Pectines ferrei *ſimiles erant iis, quibus lana pecti ſolet, ſed longioribus baculis affixi. De his lege* Gallonium *cap. 5.* Baronium *in not. ad Martyr. Rom. 19. Januarii, & 8. Martii.*

(4) *De more apud Antiquos damnandi reos ad beſtias in* Amphitheatro *multa dixit Petrus Faber lib. 2. Semeſt. cap. 11. Hujus ſupplicii meminit etiam* Aſinius Pollio *lib. 10. epiſt. 32.* Aulus Gellius *lib. 5. cap. 14.* Joſephus *lib. 15. Antiq. cap. 11. & ſæpe* Acta Martyrum. *Leonibus frequentius, quam canibus, aut aliis belluis ob-*

exteris longe graviſſimum crudelitatis cauſâ ab illo fuiſſe deſtinatum, nequaquam ambigimus. Hæc ita de Martyrum ſuppliciis diſſerimus, ut non hujus tantum Perſecutionis propria, aut ex Imperatorum Edictis univerſa intentata eſſe judicemus; ſimile namque vero nobis videtur, in aliis quoque Perſecutionibus inflicta fuiſſe iſta cruciamenta, eaque crudelitate potius Judicum, quam legum ſeveritate fuiſſe imperata. Ingraveſcente jam ubique locorum *Trajani* Perſecutione ſcripſit *Plinius Secundus* epiſtolam, quum Bythiniæ legatione fungeretur, qua innocuos Chriſtianorum mores apprime deſcribit. At quum reſcripto juſſerit Imperator non eſſe ulterius inquirendos Chriſti Sectatores, oblatos tamen puniri oportere, mirum eſt quantum inde aucta ſit perſecutio. Hujus augmenti, ac Reſcripti tempus facile a nobis conſignaretur, ſi certo conſtaret annus, quo *Plinius* ſuam iniit legationem. Ut autem res in controverſiam vocetur, hanc ſane non ſuſcepiſſe *Plinium* ſtatim poſt abſolutum Conſulatum contra *Baronium* ex verſatiſſimo *Noriſio noſtro* (*a*) defendere parati ſumus. Ex altera *Tiberiani Aſiæ Proconſulis* epiſtola Perſecutionem hanc aliquando quieviſſe affirmat idem *Baronius*: ſed quis epiſtolam hanc (1) in officina fabuloſi *Joannis Malelæ* procuſam eſſe non ſtatim animadvertit? Merito proinde non eſt inter hujus ſæculi Eruditiores, qui pro *epiſtola hac*, & *Trajani decreto de Perſecutionis ceſſatione* pollicem premat. Annis itaque undecim, & menſibus aliquot Chriſtianam Religionem perſecutus eſt Trajanus, donec *Salinunte* a bello Parthico revertente anno Ch. 117. extremum diem obiit. Sed veneno ne, an naturali morbo defunctus? Hoc ignoramus. Mera tamen fabula eſt, ac Viro præſertim Theologo prorſus indigna, illius animam ab Inferis D. *Gregorii* precibus fuiſſe aliquando extractam. Negare autem non audemus *Trajani* cineres fuiſſe Romam delatos, ac in ipſius *Foro* (2) urna aurea ſuper Columnam Coclidem (3) collatos, eumque inter Divos ex Se-

(*a*) *In laudata Epiſ. Conſul.*

objiciebantur; unde apud Tertullianum *in Apolog. & lib. de Spectacul. extat illa Gentilium vox*: Chriſtianus ad Leonem. *Hoc ſupplicium ſervile erat, ut ex legibus conſtat; quare quum tales Chriſtiani apud Gentiles haberentur, ut pluribus nota:* Tertullianus *in Apolog. huic ſupplicio ut plurimum deputabantur.* Amphitheatrum *græca voce dictum eſt, quia gradus undique, & ſedilia continenter diſpoſita ambibant in orbem.* Cavea *latinis ab interiore parte, qua concava eſt, & paſſim* Arena, *quia is locus deſabulari ſolebat, & arena ſterni in uſum pugnæ. Amphitheatrum & ludi, qui in eo fiebant* Dianæ *dicabantur, ſed & quandoque* Jovi *ſive* Latiari, *ſive* Stygio, *ut eſt apud* Tertull. *in Apolog. &* Minutium Felicem in Octavio. *Præter hos Deos* Saturnus *etiam veniebat in partem tutelæ. Amphitheatrum quod Romæ cernitur a* Veſpaſiano *captum eſt, & a Tito Filio abſolutum, & dedicatum. Hodie* Coloſſæum *vulgo dicitur, quia Neronis cum capite Coloſſus in vicinia erat. Sed de his fuſius agit* Juſtus Lipſius *ſingulari lib.* de Amphitheatro, Nieuport *Rit. Rom. Sect.* IV. *cap.* 5. *§.* 4. *aliique.*

(1) Tiberiani *epiſtolam primus omnium evulgavit* Jacobus Uſſerius, ex Johanne Malela Antiocheno. *Non habemus alium in tota antiquitate, qui meminerit præter* Suidam, *quem ex eodem* Malela *habuiſſe veriſimile eſt.*

(2) Forum Trajani *idem eſt ac* Forum Ulpium, *quod &* Forum Nervæ, & Tranſitorium *dictum eſt. Dicebatur* Ulpium, *quia Trajanus ante adoptionem* Ulpius *nominabatur.* Nervæ, *quod a Nerva adoptatus illius nomen retinuit, quod pleroſque alios feciſſe conſtat.* Tranſitorium *quod a Domitiano extructum ad tria pateret tranſitus.* Trajanus *ſolus ex Impp. Romm. intra urbem ſepultus eſt: corpora enim Magnatuum, & Principum Virorum in Campo Martio tumulabantur teſte* Appiano *lib.* 1, *de bello civil. &* Herodiano *lib.* 4. Campum *autem* Martium *extra Urbem fuiſſe conſtat ex* Livio *lib.* 2. *Vide* Marcellum Donatum *Diluc. in Script. H. R.*

(3) *De* Columna *hac ſcripſit erudite* Fabbretus. *Porro* Apotheoſis *Romm. Impp. ſive inter Deos relatio a* Cæſare Auguſto *primum inſtituta eſt, & a Tiberio deinde inſtaurata. Non fuit hæc Romanorum tantum, ſed aliorum etiam. Sic conſecrati* con-

Senatus Conſultu ab *Hadriano* deinceps fuiſſe relatum.

VI. Sequitur modo Perſecutio altera ab *Aelio Hadriano* excitata (1) quam *Euſebio* tertiæ appendicem, *Sulpicio* (*a*) vero quartam placuit appellare. Tametſi *Tertulliano* (*b*), & *Melitoni Sardenſi* concedamus nullum contra Chriſtianos edictum ab *Hadriano* proceſſiſſe; inficias tamen non ibimus plures movendæ Perſecutionis cauſſas iniquo Principi non defuiſſe. Teſtis ſinceriſſimus eſt *Hieronymus* (*c*), harum primam fuiſſe nimiam erga falſos Deos Religionem; ſacra quippe Romana, referente *Spartiano* (*d*), diligentiſſime curavit, peregrina contempſit, & *Pontificis* (2) officium peregit: quumque, ut ſubdit *Tertullianus* (*e*), omnium curioſitatum eſſet explorator, ac omni divinationum generi deditus, omnibuſque inſuper Græcorum cæremoniis initiari voluerit, facile, qui Chriſtianos oderant, eos, utpote a Gentilium Religione alienos, perſequendi operam, & conſilium præſtiterunt. Motivum quoque perſecutionis hujus exhibuit erumpens tunc *Carpocratianorum* hæreſis, eorumque perditi mores, qui abſque delectu Chriſtianis ſingulis aſſigebantur: nec longe a vero abſceſſit doctiſſimus *Baronius* (*f*), quum eam in Judæorum tumultus retulit. Sed de iis, contra quos concitatum Perſecutionis odium exarſit paulliſper agere præſtat.

(*a*) *Lib.* 2., *cap.* 45.
(*b*) *In Apol. c.* 5.
(*c*) *In Catalogo Script. Eccl.*
(*d*) *In vita Hadriani.*
(*e*) *In Apolog.*
(*f*) *ad an. Ch.* 120.

Eximiam hanc, utilemque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem excoluit peritiſſimus *Tillemontius* (*g*): attamen ſi aliquos, & quidem præclariores, recenſere hoc loco permiſſum ſit, noſtramque ſimul de his ſententiam aperire; numerabimus imprimis S. *Euſtachium*, ſive ut erudito placuit *Combefiſio*, *Euſtathium*. Hujus martyris Acta primus ipſe evulgavit, nobiſque ut legitima propoſuit: at ea, ut ſincera recipere non poſſumus, quæ tam longo intervallo diſtant a conſtitutis regulis Critices. Secundo loco nobis eſt *S. Symphoroſa*, & ſeptem ejus filii, quorum Sanctorum neci occaſionem præbuit vicinia celeberrimi illius palatii, quod in Villa *Tiburtina* ab *Hadriano* ædificatum fuiſſe, teſtis eſt *Spartianus* (*h*). De ſinceritate Actuum horum Martyrum certe non dubitamus; ea tamen eſſe *Julii Africani* celeberrimi quondam *Chronologi* minime aſſirmamus. *Abſit enim a nobis cum Chryſoſtomo* (*i*) *ut veritatem mendacio velimus iri confirmatam*. His ex ſententia enumeratis, ab aliis pluribus adducendis ſuperſedimus, neque enim *Martyrologium* adornamus. Si vero de Martyrum ſuppliciis dicendum ſit, hæc ex ſinceris Actis habemus fuiſſe in hac perſecutione præcipua; ut ſcilicet mulieres *Alapis* (3) cederent, capilliſque apprehenderent: *Trochleis* vero (4) potiſſimum viros cruciarent. Hieroſolymis hyemem agen-

(*g*) *In monumentis ad hist. Eccl.*
(*h*) *Cit. loc.*
(*i*) *Homil. in Matthæum.*

omnes Dii veterum, non quidem publice modo, ſed privatim unicuique permiſſum. Et quidem de Hercule, Liberio Patre, Caſtoribus, aliiſque Diis Conſentibus, quis poſt tam multos notiſſimam rem notare velit? De re hac agunt Nannius *Miſcell. lib.* 5. *cap.* 16. Elias Vinetus *ad Auſonii epigr.* 26. *Panvinius noſter in Faſtis ſuis, Goltzius in nummis, & Johan. Kirchmanus lib.* 4. *de Funeribus Romm. Cap.* 13. *&* 14. *De ritu, & cæremoniis, quæ adhibebantur, legendus* Johan. Roſſinus *Romm. Antiq. lib.* 3 *cap.* 18. *&* Dempſteri Paralipomena *ad idem caput.*

(1) Hadrianus Italicæ *in Hiſpania natus eſt, ut habet* Eutropius, *non vero in Urbe* Tudertina, *ut tradit* Epitomes, *quæ* Victori *tribuitur. Majores quidem Hadriani, ex Hadria in Picentibus orti ſunt, unde illis nomen ſed apud Italicam Hiſpaniæ reſederunt.*

(2) Pontificis *nomen dignius ſemper apud Gentiles habitum eſt, quam Sacerdotis, illudque generale, hoc vero ſpeciale eſt. Is eligebatur ex viris majoris dignitatis, totique Provinciæ impoſitus erat Pontifex. Vide* Gisb. Cuperum *in not. ad Lactan. lib. de Mort. Perſec.*

(3) Alapis, Colaphis, Pugnis, & Calcibus *nonnumquam cædebatur Martyres, ſed præſertim, ut in eorum Actis legimus Chriſtiana Fæmina, Ignominia graviſſima hæc erat, de qua* Gellius *lib.* 20. *cap.* 1.

(4) Trochlea, *ut ex* Vitruvio *lib* 10. *cap.* 2 3. 4. *& ſeq. habemus, tractoriis generis erat machina. Modus vero quo hoc inſtrumento torquebantur Martyres erat,*

ut

agente *Hadriano*, ac ſacris *Eleuſinorum* cæremoniis ſe initiante, anno Ch. juxta *Euſebium* 126. crudelius efferbuit hæc Perſecutio. Ad hanc reſtinguendam *Quadratus Apoſtolorum Diſcipulus*, & *Ariſtides Athenienſis Philoſophus* (1) Apologeticos pro Chriſtiana Religione libellos *Hadriano* obtulerunt (2). *Quadratum* hunc Apoſtolorum Auditorem, cum *Quadrato* altero Athenienſi Epiſcopo, & *Publii* ſucceſſore confundit *Hieronymus* (a): at varios, diverſoſque extitiſſe ex *Euſebio* (b) cum erudito *Valeſio* (c) melius fortaſſe reputamus. Siculi *Halloixii* conjecturis adſtipulari non poſſumus, quibus probare nititur *Quadratum* iſtum fuiſſe Angelum illum Philadelphiæ, quem in Apocalypſi alloquitur Chriſtus Jeſus. Utinam vero quæ ab hiſce Scriptoribus oblatæ ſunt Apologiæ temporum injuria non periiſſent, non parvo ſiquidem forent adjumento ad hujus perſecutionis hiſtoriam illuſtrandam, ſimulque plenius *Dodwellum* revincerent jactantem *Hadrianum* mitiſſimum Principem fuiſse. Ex his *Apologiis*, atque ex *Serenii Granii*, ſive *Grantani*, Aſiæ Proconſulis epiſtola, quia *Hadrianum* admonuerat, indignum prorſus eſse Chriſtianos, non ex judiciis, ut fieri ſolemne erat, ſed ex tumultuantium populorum clamoribus ad ſupplicia deduci, ſublata eſt perſecutio, data hac de re ad *Minucium Fundanum Grantani* ſucceſſorem epiſtola, latoque publico decreto. At quo demum anno? Si doctiſſimum *Petavium* audias; is fuit annus Ch. 124. Si vero *Baronium*; contingit id anno 128. Media tamen via cum *Pagio* (d) incedendum arbitramur, atque hujus Perſecutionis finem ad annum Ch. 126. Imperii Hadriani decimo incipiente conſignamus. Porro ex hac perſecutionis ceſſatione, atque ex *Aelii Lampridii* teſtimonio (e) reputant nonnulli *Hadrianum* Chriſto ubique Templa erexiſſe (3): ſed oppoſitum evidentiſſime jam demonſtravit *Iſaacus Caſaubonus* (f). Quare cum *Gilberto Cupero* (g), *Deſiderio Heraldo* (h) *Moyle* (i), aliiſque nonnisi ad tertii Eccleſiæ ſæculi medietatem priſcis illis Chriſtianis Templa concedimus. Eodem quoque falſitatis loco habemus illud *Euſebii* (k) narrantis *Hadrianum* in bello contra Judæos ſuſcepto reliquam

(a) In Catal. & in Ep. 84. ad Magnum.
(b) Lib. Hiſt. cap. 3.
(c) In notis ad locum citatum Euſebii.

(d) In Crit. Baron. ad an. Ch. 116.
(e) In vita Severi Imperat. pag. 43.
(f) In notis ad Lampridium.
(g) Epiſt. ad Voſſium.
(h) Animadv. in Arnob. lib.
(i) In epiſtola cujus ſpecimen eſt in Biblioth. veteri, & nova Jo. Clerici Tom. 27. par. 2.
(k) In Chron.

ut primum defigerentur humi ſtipites, deinde a miniſtris manibus, quandoque pedibus hinc funibus Trochlearum, hinc ſtipitibus alligabantur; quo facto tractis juſſu Judicis funiculis miſere illorum corpora extendebantur. Supplicio hoc malefici præcipue, ac impii homines torquebantur, ut eſt apud Gregorium Turonenſem *de Rebus geſtis Franc. lib. 5. cap. 49. Quocirca quum Chriſtiani tales habiti ſint, ad hoc ſupplicium juxta leges deputabantur. De Trochleis, quæ erant Martyrum inſtrumenta agit* Euſebius *Hiſt. lib. 8. cap. 10* & Mobritius *Tom. 1.*

(1) Ariſtidæ Athenienſi Philoſopho *homini Græco, & palliato ad Chriſtianiſmum tranſeunti non opus fuit habitum mutare; quia Chriſtiani palliati erant, & ex hoc maxime noſcitabantur.* Tertulliano *Togato opus fuit Romæ pallio habitum mutare, ut eo profiteretur ſe Chriſtianum eſſe. Quare Gentiles vocabant Chriſtianos* Γραικός.

(2) *Ex mira, quæ tunc florebat charitate factum eſt, ut pro Chriſtianis exhiberentur Apologiæ, quin tantus erat erga Fratres amor, ut ſi qui fuiſſent in carcerem conjecti propter Chriſtiani nominis profeſſionem, quod accidebat quotidie, ſtatim aderant, qui vinctos conſolarentur, ac cibos etiam mitterent. Quod ſi non admitterentur a cuſtodibus ad colloquium mittebant libellos conſolatorios, qualis eſt ille* Tertulliani *ad Martyres, quo Martyrum animos confirmat, quos alii miſſis cibariis paſcebant. Sic* Cyprianus *plurimos habet libros ad Martyres ſcriptos, ut eſt ille ad* Fortunatum, & *epiſtola ad* Syagrium, & Rogatianum &c.

(3) *Hæc templa Græci* Ἀδριανεῖα *vocabant. Narrat* Epiphanius *contra Ebioneos* Hadriani *Templum quod* Alexandriæ *fuerat ejus honori conſecratum, verſum fuiſſe poſtea in Gymnaſium, vel* Prætorium Licinianum *tandem vero a* Conſtantino *Imperatore ædem ſacram ibi poſitam, & de nomine* Gregorii Meletiani *appellatam; ita paulatim ab Imperatoribus in pios uſus converſa fuere hujuſcemodi templa.*

quam dimidiam partem Urbis Hieruſalem (1) evertiſse totam ſiquidem in priori bello ſub Tito, & Veſpaſiano ſolo æquatam, eique poſtea a *Muſonio Tyranno* munitionum Præfecto aratrum impreſsum, præter certa Scriptorum monumenta, Chriſti Domini verba (*a*) omnem adimunt dubietatem. Sanguinis fluxu, & hydropiſi diutiſſime exagitatum miſere tandem Hadrianum obiiſse fidem faciunt *Dio* (*b*), & *Spartianus*; qui licet horum malorum cauſsam in *Severiani* viri optimi necem referant, juſto tamen Dei judicio ob Chriſtianorum cædes morte hac fuiſse punitum cum *Baronio* (*c*) non improbamus.

(*a*) *Luc. cap.* 19 *&* 44.

(*b*) *In Hadriano.*

(*c*) *Ad an. Ch.* 139.

VII. Sed jam ſuſceptam Diſceptationem hanc totam abſolvat *Marci Aurelii*, & *L. Veri Imperatorum*. Perſecutio: ad cujus ſtatim exordium proponenda a nobis eſt quæſtio illa, an aliquando pro Chriſtianis Edictum promulgaverint. Negant id *Baronius* (*d*) *Halloixius* (*e*), & *Papebrochius* (*f*), illudque latum decretum non *M. Aurelio*, ſed *Antonino Pio* attribuunt. Noſtrum certe non eſt deſertæ ſententiæ patrocinium ſuſcipere: quapropter *Valeſio*, & *Pagio* morem gerendum eſse ducimus affirmantibus *M. Aurelium* edictum illud in Chriſtianorum gratiam protuliſse. Verum inſtantibus deinde Philoſophis (2), qui plurimum ſub ejus Principatu poterant, vel nimio forſan erga Romanas cæremonias, & leges ſtudio ductus: vel tumultuantium populorum iniquis petitionibus quotidie impulſus, (has enim veras extitiſse Perſecutionis cauſsas exiſtimamus) mutato conſilio, revocatoque veteri decreto, novo publicam movit Perſecutionem. Sed ageſis perquiramus annum, ſeu varias de re hac Chronologiſtarum opiniones. Omnium prima ſit illa *Euſebii* (*g*), qui ad annum Ch. 167. & ſeptimo Imperii M. Aurelii reponendam eſse docet. At anno ſedulo expenſo, quantum in eo ab *Euſebio* peccatum ſit notavit accuratiſſimus *Pagius* (*h*). Vel ſi conjecturas noſtras interponere licet, ſimulque genuinæ antiquitatis approbatorem *Euſebium* ab erroris nota vindicare, potius Perſequutionis hujus augmentum ab eo deſignatum dicendum eſt. Huic proxima eſt illa *Pagii*, qui ad annum Ch. 163. conſignat ex *Cronico Alexandrino*, atque ex ſua ſententia *Quindecennalium*. *Baronius* vero ad annum 164. *Petavius* ad 162. *Oroſius* (*i*) tandem ad 161. pendente bello Parthico, & ante luem illam magnam, quæ Romam etiam ſe extendit anno 166. eam deſcribunt. Nobis ſane in re hac penitus hæret aqua: neque enim tam ſtupide arrogantes ſumus, ut poſt tantorum Virorum Lucubrationes, invenire nos poſse aliquid, cujus ratio haberi queat, exiſtimemus. Itaque ſervato Diſputationis ordine de præclaris Martyribus agendum eſt. *S. Ptolomæus*, & *Lucius*, & *Anonymus* alter primi Romæ ſub Judice *Urbico* paſſi ſunt, quorum ſincera Acta nobis exhibuit *diligentiſſimus P. Ruinartius* (*k*). His adnumerari debet *S. Gliceria*, cujus Acta etſi ut ſincera approbent alii, ea tamen ubique redolent falſitatem. Effervescente vero in Aſia præſertim Perſecutione *S. Polycarpus* una cum ſociis martyrio coronatus eſt. De *Polycarpi* paſſionis die, & anno adeo diverſa inter ſe ſentiunt omnes cum veteres, tum recentiores Hiſtorici, ut vix certi aliquid de re hac ſtatui poſſit.

(*d*) *Ad. an. C.* 154.

(*e*) *In notat. ad vitam S. Juſtini.*

(*f*) *Ad diem* 13. *Aprilis.*

(*g*) *In Chron. ad an. Ch.* 167.

(*h*) *In Crit. Baron. ad an. Ch.* 163.

(*i*) *Lib.* 7. *cap.* 15.

(*k*) *Acta martyrum ſincera, & ſelecta.*

(1) *In ſole Hierſolymorum condita eſt ab* Hadriano Ælia Capitolina, *& in monte ubi* Dei Optimi Maximi Templum *erat*, Jovi Capitolino *Templum excitavit*. *Quod videntes* Judæi *furore accenſi quod ſacrum locum a Gentilibus pollueretur, arma corripientes palam a Romanis defecerunt. Hoc eſt principium belli, quod latrone* Barchocheba *geſtum eſt. Dicta vero eſt* Ælia, *ab* Ælio Hadriano *ejus conditore.* Capitolina a Jove Capitolino *ibi conſecrato. Sub* Conſtantino *Eccleſia a Perſecutionibus reſpirante celeberrima hæc civitas ſuum nomen repetivit, & non* Ælia *ſed* Jeruſalem *denuo vocari cœpta eſt.*

(2) *Certum eſt* Creſcentium Cynicum Philoſophum *delicta plurima Chriſtianis publice imputaſſe eaque facillimum fuit Principi ut vera proponere, qui plurimum Philoſophis addictus erat.*

Sane ſi compertum nobis eſset, quid *magni Sabbati nomine* intellexerint *Smyrnenſis Epiſtolæ Scriptores*, quo die omnes *Polycarpum* paſsum volunt, aliqua ſortaſſis lux inde nobis affulgeret; at quum de ejus nominis interpretatione Eruditi inter ſe non conveniant, res novis ambagibus involvitur. Stabit per nos dies mortis incertus; de anno tamen, qui fuit Chriſti 166. cum *Henrico Valeſio* (a) nequaquam dubitabimus (1). Hoc eodem anno ad hanc Perſecutionem compeſcendam *S. Juſtinus* Chriſtianus Philoſophus poſt oblatam *Antonino Pio* pro Chriſtianis *Apologiam*, ſecundam (2) denuo exhibuit, quam non *Antonino Pio*, ſed vere *M. Aurelio* fuiſse Præſentatam, cum *Pagio* (b), *Ruinartio* (c) ac aliis propugnamus. Anno vero inſequente ipſe Juſtinus Romæ una cum ſociis aliis martyrii palma donatus eſt, cujus ſincera Acta cum *Daniele Papebrochio* (d) ad *Juſtinum* alium referre, tamquam a vero prorſus alienum demonſtravit jam *Ruinartius* (e). Aliam quoque *Apologiam* poſt Juſtinum obtulit *Athenagoras*, eamque non *M. Aurelio*, & *L. Comodo*, ſed *M. Aurelio*, & *L. Vero* exhibuit, quam anno 169. excepit altera *Melitonis Sardenſis*. At quo demum exitu? Ut gravius nimirum in Galliis præcipue recrudeſceret Perſecutio. Quare *Photinus*, aliique plurimi ſublati ſunt, Martyreſque effecti in *Amphiteatro*. Nec ita ſolum ſævitum eſt in fortiſſimos (3) Chriſti Martyres, ſed eorum aliquos prӕterea ad *Metalla* damnatos (4) aculeo tortos, nervo (5) pedes habuiſse diſtentos ex *Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi*, ac *Viennenſis Eccleſiæ Epiſtolis* perſpicuum eſt. Quid modo dicemus de pluvia illa, quæ in Marcomannico bello a *M. Aurelio* ſuſcepto anno veroſimilius 167. contigit? Non adeo Chriſtianorum in bello illo pugnantium pietati, & gloriæ invidi ſumus, ut quidquam prodigii hujus eis detrahere velimus, eumque cum Ethnicis Scriptoribus aut *Mercurio*, *aut Jovi*, aut denique *Marco* ipſi tribuere, vel cum *Moylio* (f) in dubium revocare (6): nihilo tamen minus epiſtolam, quæ ſuper re hac ad calcem Apologetici poſterioris apud *Juſtinum* legitur, ut legitimum *Marci Aurelii* fœtum, approbare non audemus (7). Sicuti a quolibet Eruditorum probatum

(a) *In not. ad Euſebium lib. 4. c. 5.*

(b) *In Crit. ad an. Ch. 148.*

(c) *Admonit. ad Acta S. Ptolomei, & Sociorum.*

(d) *Ad 13. Aprilis.*

(e) *Admonit. ad Acta S. Juſtini.*

(f) *Apud Joan. Clericum in Bibliot. veteri, & nova T. 27 part. 1.*

(1) *De his videndus eſt* Valeſius *in not. ad cap. 1. lib. 4. Hiſt. Euſeb.* Uſſerius *in not. ad Smyrnenſis Eccleſiæ epiſtolam*, Halloixius *in cap. 12. vitæ S. Polycarpi*, Pearſonius *Diſſ. 2. de Epiſ. Romanis cap. 18.* Bollandus *denique ad diem 26. Januarii. Humanitatis enim nobis viſum eſt hos, alioſque ſemper commemorare per quos in hac Diſputatione profecimus.*

(2) *Parva* S. Juſtini, *quam* M. Aurelio *obtulit, Apologia temporis ordine ſecunda eſt, quamvis in editis exemplaribus priorem locum obtineat.*

(3) *De Martyrum fortitudine ejuſque cauſſis agit* Dodvvellus *diſſ. Cyprian. XII.* & Theodoricus Ruinart *in Præfat. ad Acta Martyrum ſincera, & ſelecta.*

(4) *Damnati ad metalla notis primum, ac ſtigmate deformabantur, fuſtibus deinde cædebantur, compedibus vinciebantur, ac tandem dexter oculus effodiebatur, ſiniſtrique pedis nervus præſcindebatur. De his fuſius laudatus* Gallonius, & Baronius *in notis ad Martyrol. Roman.*

(5) Nervus *erat inſtrumentum, quo pedes Chriſtianorum, & crura in carceribus alligabantur, qualem deſcribit* Valeſius *in not. ad epiſt. Eccleſiæ Lugdunenſis apud* Euſebium. *Porro grave id fuiſſe ſupplicium ex eo colligitur, quod eo Martyres plures occubuerint. Videndus laudatus* Gallonius *pag. 70.*

(6) Hermannus Witſius *anno 1583. Amſtelodami publicavit Diatriben* „ De Legione Fulminatrice Chriſtianorum ſub Imperatore M. Aurelio Antonino „ *in qua ad fidem huic hiſtoriæ conciliandam multa profert, & ad oppoſita argumenta reſpondere conatur.*

(7) *Fuiſſe Gentilium opinionem pluviam hanc* Marci *precibus a* Jove *impetratam ex* Columna Antoniniana *quæ Romæ adhuc ſupereſt, ſatis patet. In hac inter alia* M. Aurelii *geſta anaglyphice inſculpta viſitur* Jovis *effigies pluvias effundentis. Hanc* Baronius *Tom. 2. Annalium repræſentat, ſed expreſſius habetur in tabulis a* Petro Sancti-Bartoli *Romæ æri inciſis.*

tum iri confidimus *Legionis Fulminatricis* nomen a prodigio hoc non fuiſſe ad milites derivatum. In hac Marcomannica expeditione morbo afflictus, cibi abſtinentia mortem voluntariam *M. Aurelius* oppetiit anno 180. die decimaſeptima Martii, in quam uſque diem perſeveraſſe Perſecutionem *Theophilus Antiochenus*, qui tum vivebat, affirmatiſſime ſcripſit.

Atque hic finis eſto Diſputationis de Perſecutionibus, quibus primo & ſecundo Aeræ Chriſtianæ ſæculo Eccleſia exagitata eſt. Præſtat modo ad Juvenes noſtros aliquantulum ſermonem convertere, eoſque *Auguſtini Parentis Optimi* verbis ſic alloqui, *„ Hæc vobis pro magnitudine* Rei *forte pauca, pro tempore tamen, & pro viribus noſtris, & pro veſtris multa dicta ſunt; etſi forte enucleatius hæc quæſtio diſcuſſa non eſt, partim tamen magna, quæ poſtea ſi tractentur, inveniuntur. Date veniam, & anguſtiæ temporis, & viribus noſtris, & capacitati veſtræ.... Quare iſta diximus? Ut imitemini Martyres, nec putetis ideo vobis deeſſe poſſe occaſiones coronæ, quia modo deſunt tales Perſecutiones*. S. P. Auguſtinus Serm. 4. de Jacob, & Eſau.

DIVI THEODORICI RUINARTII

DE ACTIS MARTYRUM

DISSERTATIO XX.

Ex ejus Præfatione Generali in Acta Martyrum.

I. Poſt ſacras Scripturas, quas Divini Spiritus afflatu editas nobis reliquerunt ſancti Dei homines, nihil nobis ſanctius, atque antiquius eſſe debet, quam primigenia, & genuina Martyrum acta, quæ veneranda nobis antiquitas hactenus illibata ſervavit. Cum enim ex Divinis Litteris (*Marc. 13. v. 11.*) habeamus eorum Dicta, cum ad Præſides ſiſterentur, ſuperno inſtinctu pronuntiata fuiſſe, fit, ut quæ in his Actis eorum ad Prætidum quæſtiones reſponſa continentur, pro Sacris Oraculis merito habenda ſint. Nec ſane minori religione eorum Facta, præſertim vero martyria accipienda ſunt, ut quæ, nonniſi Spiritus Sancti impulſu ſuſcipi, nedum conſummari potuerint. Itaque ſi virorum illuſtrium præclare geſta diligenter adeo annalibus hiſtoricis commendantur, ut in his monumentis, veluti in ſpeculo quodam, poſteri quid pro vita recte inſtituenda amplectendum, quidve fugiendum ſit intelligere poſſint: quanto majori ſtudio, quæ nobis ſuperſunt de Chriſti Martyrum Actis colligenda ſunt, ut eorum lectione excitati fideles, quæcunque in vitæ Chriſtianæ decurſu difficilia, aut dura occurrunt, patientiſſime tolerent: quin etiam ut ſi quandoque aliquid inſolitum, & arduum protuendis Chriſti partibus aggrediendum ſit, id audeant; atque facultates, ipſamque vitam, ſi res ita exigat, impendere tantorum hominum exemplo numquam refugiant? *Armantur enim* inquit Eucherius Lugdunenſis in homilia de Sanctis Petro, & Paulo, *filiorum animi dum patrum recenſentur triumphi Ex his quippe intelligimus, quantum debeat deſiderari vita illa æterna, quam per cruciatus, per vulnera, per intolerandos labores videmus inquiri, quam cognoſcimus pretio Sanguinis comparari*. Id ſane perſuaſum erat priſcis illis Chriſtianis, qui furentibus licet perſecutionibus, aut certe paullo poſt iis ſedatis, tanta cum ſollicitudine, ſæpius etiam cum vitæ periculo,

ticulo, Sanctorum Martyrum Acta comparare ſatagebant, ut nullum non moverent lapidem, nulli induſtriæ, labori, atque auctoritati parcerent, quo votis ſuis potirentur. At quibus demum modis id obtinuerint libet paullo diſtinctius explicare.

II. In primis ea nonnumquam ab ipſiſmet notariis publicis quantovis pecuniarum pretio extorquebant. Nonnulli etiam cum Martyrum quæſtiones haberentur, ſeſe cum ſpectantibus gentilibus intermiſcebant, ſicque ea quæ tum a Præſidibus, tum ab ipſis Martyribus dicta, factave fuerant, diligentiſſime annotantes, ex iis, quæ coram poſiti viderant, aut audierant, poſtea Acta concinnabant, quæ ab Epiſcopis, aut aliis, quibus hæc cura demandata fuerat, recognita, & approbata demum omnium fidelium manibus terebantur. Alterutro modo Nemeſianus cæterique Martyres Africani in metallis conſtituti Acta primæ Confeſſionis Sancti *Cypriani* habuerant. His vero ſe veluti Armis cœleſtibus inſtructos eſſe gloriantur in epiſtola inter Cyprianicas novæ editionis 77., alias 78., quibus ſe adverſus Præſidis ſævitiam, cæterorumque inimicorum inſidias tutarentur. Neque vero exiſtimandum eſt id honoris tributum ſolis viris genere, aut dignitate conſpicuis, ut ſi forte ob Chriſti fidem occumberent, eorum Acta colligerentur: cum teſte Pontio in ejuſdem Cypriani vita, tanta fuerit Chriſtianorum erga Martyres religio, *ut plebeiis, & Catechumenis martyrium conſecutis, tantum honoris pro martyrii ipſius veneratione dederint, ut de paſſionibus eorum multa, aut pœnæ cuncta conſcripſerint*.

III. Alio item modo Martyrum aliquot geſta ad nos pervenerunt, cum ſcilicet ipſimet Martyres tormenta quæ a ſe ipſis, vel ab aliis Martyribus ſuperata fuerant, deſcribere curarunt. Ejuſmodi Acta habemus, quæ Sancta *Perpetua* de ſuo ipſius martyrio conſcripſit. Idem *Saturus*, *Flavianus*, aliique paſſim Martyres de ſe ipſis præſtiterunt. Sic etiam *Ignatius* Martyr Romanos de iis quæ in itinere a militibus perferebat, certiores fecit in Epiſtola plane apoſtolica ad eos præmiſſa. Sic Dionyſius Alexandrinus *Martyrum Alexandrinorum* geſta tranſmiſit ad Fabium Antiochenum Antiſtitem, immo & ſuæ ipſius confeſſionis Acta in epiſtola adverſus Germanum inſeruit. Plura etiam de ejuſmodi Martyrum agonibus habentur apud Cyprianum in ejus epiſtolis, quibus Sanctus Antiſtes priorum Martyrum exemplo poſteriores ad tormenta fortiter perferenda excitabat. Quandoque etiam Antiſtites, cum ſibi interitum imminere viderent, fideles ſibi commiſſos ea de re commonebant, ne mortis, aut tormentorum metu deterrerentur, quæ a ſe, & ab illis Martyribus tam alacriter ſcirent ſuperari. Egregiam ejuſmodi epiſtolam habemus apud Euſebium, quam Phileas Thmuεos Epiſcopus ad ſuos conſcripſit, tum ut eos de ſuo ſtatu faceret certiores, *tum*, inquit Euſebius, *ut pietatem in Chriſtum, etiam poſt obitum ſuum jamjam imminentem mordicus retineret*. Tandem Eccleſiæ quæ tantis viris ornatæ fuerant, poſt conſummatum eorum martyrium, totam rerum geſtarum ſeriem in epiſtola encyclica deſcriptam, ad alias Eccleſias tranſmittebant, ut non ſolum apud ſe, verum etiam apud exteras regiones, tam illuſtrium virorum memoria celebraretur. Id fecere Smyrnenſes poſt beati Polycarpi paſſionem; Lugdunenſes, & Viennenſes in epiſtola ad Aſiæ, & Phrigiæ Fratres; aliique nonnulli, quorum opuſcula, quæ ſuperſunt, aliaque ejuſmodi ſacra monumenta quæque ſuo loco proferemus.

IV. Verum quidem eſt plerorumque Martyrum Acta non ſolum diuturnitate temporis, ſed etiam tyrannorum malitia excidiſſe. Eum enim advertiſſent Chriſtiani nominis hoſtes ejuſmodi ſcriptis fidelium animos in ſua religione confirmari, & accendi, non Chriſtianis ſolum, ſed etiam Chriſtianorum libris bellum indixere, quod etiam ante magnam Diocletiani perſecutionem gentilibus exprobat Arnobius ſub finem libri 4. adverſus Gentes: Quin & nonnulli provinciarum Præſides vetuerunt, ne Mar-

Martyrum quæſtiones cum Actis publicis reſervarentur, quod ſe Martyrum conſtantia victos erubeſcerent, urdiſerte obſervat de Daciano Hiſpaniarum Præſide auctor antiquus, qui Acta Sancti Vincentii concinnavit. Ea de re conqueritur Prudentius in Hymno de ſanctis Martyribus Emetherio, & Chelidonio, quorum martyrii Acta gentiles ſuppreſſerant, ne apud Chriſtianos celebrarentur. Is nempe cum illos Martyres milites, ac fratres fuiſſe dixiſſet, innuiſſetque eoſdem multa pro Chriſti nomine pertuliſſe, ſic pro more ſuo eleganter exponit quare plura de ipſis non retulerit.

O vetuſtatis ſilentis obſoleta oblivio!
Invidentur iſta nobis, fama & ipſa extinguitur
Chartulas blaſphemus olim nam ſatelles abſtulit.
Ne tenacibus libellis erudita Sæcula,
Ordinem, tempus, modumque paſſionis proditum,
Dulcibus linguis per aures poſterorum ſpargerent.

Idem de Italia aſſerit auctor paſſionis Sancti *Anaſtaſii Fullonis* martyris Solonitani, quam paſſionem penes nos habemus ex cod. ms. monaſterii Sancti Michaelis in Periculo maris. Immo in illa extrema Diocletiani perſecutione res ita tumultuoſe agebantur, ut plerumque Chriſtiani ſine ulla juris formula, & *quaſi jure belli*, ut loquitur Euſebius, turmatim interficerentur: quorum proinde Martyrum ne quidem nomina, nedum Acta poſteris innotuerunt.

V. Hucconqueſti ſunt aliquando Sancti Patres, quod ex tanta Sanctorum Martyrum multitudine, paucorum Acta ſupereſſent, quæ in Eccleſia publice legerentur. Ea enim fuit antiquitus Eccleſiæ Catholicæ conſuetudo, ut eorum Martyrum, quorum feſta peragebantur, recitarentur geſta in Conventibus publicis. Hunc fuiſſe Eccleſiæ Africanæ morem probant varia Auguſtini teſtimonia, quæ paſſim occurrunt. Quem ritum celeberrime hujus Eccleſiæ communi Patrum decreto approbatum fuiſſe patet ex Canone 46. codicis Africani apud Labbeum tomo 2. Conciliorum col. 1072. Hunc vero Canonem laudat Hadrianus Pontifex in epiſtola ad Carolum Magnum adverſus objecta, quæ contra Septimam Synodum generalem intentabantur, apud eumdem Labbeum tomo 7. col. 954. Eadem erat noſtræ Gallicanæ Eccleſiæ conſuetudo, ut patet ex Sermone 95. ſancti Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, qui eſt appendicis Auguſtinianæ 300; ubi conqueritur Sanctus Antiſtes, quod cum iis qui pedes dolerent, aut aliqua tenerentur infirmitate, conſilium dediſſet, ut quando aut *Paſſiones prolixæ* aut aliæ Lectiones prolixiores legerentur, ſederent, aliquæ tamen *ex filiabus* quamvis Sanæ, idem præſtare tentaverint. Paſſionem, martyrum Agaunenſium *ex conſuetudinis debito* lectam fuiſſe, ait Avitus Viennenſis Epiſcopus in homeliæ fragmento, quod habes infra. Et quidem in Liturgia Gallicana, quam ex veteri cod. ms. monaſterii Luxovienſis vulgavit noſter Johannes Mabillonius, inſerta erant aliquot Martyrum Acta. Hoc ipſum diſertis verbis affirmat Hilduinus in epiſtola ad Ludovicum pium Areopagiticis præfixa, ubi laudat *antiquiſſimos & nimia pæne vetuſtate conſumptos miſſales libros, continentes Miſſæ Ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ, fidei, uſu in hac occidentali plaga eſt habitus, uſquequo tenorem quo nunc utitur Romanum ſuſceperit; in quibus voluminibus habentur duæ Miſſæ* de Sancto Dionyſio, *quæ ſic inter celebrandum* . . . . . *tormenta* Martyris ſociorumque *ejus ſuccincte commemorant: ſicut & reliquæ Miſſæ ibidem ſcriptæ aliorum Apoſtolorum, vel Martyrum, quorum paſſiones habentur, notiſſime decantant*. Hæc Hilduinus. Idem etiam in Hiſpaniarum Eccleſiis obſervatum fuiſſe probamus non ſolum, quod eodem fere ritu ac Galli uterentur, ſed etiam ex Braulionis Epiſcopi Cæſarauguſtani præfatione in vitam Sancti Æmiliani, quam ſe ſcripſiſſe ait, *ut poſſet in Miſſæ ejus celebratione quantocius legi*. Ceterum idem etiam inſtitutum in Monaſteriis viguiſſe teſtantur veterum Patrum Regulæ. Id ipſum quippe decernit Sanctus Ferreolus Ucetienſis Epiſcopus cap. 18. Aurelianus vero Epiſcopus Arelatenſis in Ordine pſallendi conſtituit *ut in Martyrum feſtivitatibus tres, aut quatuor Miſſæ*, ſic lectiones appellat *fiant*: quorum prima de Evangelio, reliquæ de *Martyrum paſſionibus* ſint,

ſint, quæ eadem verba habet Cæſarius in Regula ad Virgines apud Bollandum die 12. Januarii, numero 69. Hunc tamen ritum improbare videtur Agobardus ſæculo 9. Lugdunenſis Antiſtes, in libro de Correctione Antiphonarii, quaſi aliæ lectiones præter Canonicas Scripturas in officiis Divinis admittendæ non forent. Certe olim in Eccleſia Romana etſi geſta Martyrum ſuſciperentur, non tamen eorum lectio probabatur in conventibus publicis ex Gelaſiano decreto, quæ tamen de ſola Lateranenſi Eccleſia & de Martyrum Actis quorum auctores erant ignoti, intelligi debere probat noſter Johannes Mabillonius in Diſquiſitione de Curſu Gallicano parag. 1. Et quidem Sanctorum Vitas Romæ lectas fuiſſe teſtis eſt Hadrianus primus in epiſtola jam laudata, ubi haec habet: *Vitæ Patrum ſine probabilibus auctoribus minime in Eccleſia leguntur. Nam ab Orthodoxis titulatæ & ſuſcipiuntur, & leguntur*. Idem patet ex Johannis Diaconi præfatione in vitam Sancti Gregorii Magni ad Johannem VIII. Hanc vero cautelam exigebet hæreticorum malitia, qui falſa, & portentoſa aliquot Martyrum Acta confixerant. Ceterum præcipue Martyrum actiones inter ipſas etiam Miſſæ preces inſerebantur, ut ex antiquiſſimis Liturgiis Gallicana, Muzarabica, & ipſa etiam Gregoriana probari poteſt. Ibi enim Miſſae conteſtationes, quas vulgo nunc præfationes appellamus, nihil aliud ſunt, quam Martyrum, de quibus Miſſa celebratur, præclare geſtorum expoſitio. De ejuſmodi vero conteſtationibus intelligendus eſt Hilduini Abbatis Dionyſiani locus in epiſtola Areopagiticis præfixa ad Ludovicum Pium Imperatorem, ubi ait, *inter celebrandum tormenta Martyrum ſuccinte commemorari* in veteribus Miſſalibus libris, qui ante receptum *tenorem Romanum* in Gallia uſui habebantur. Verum cum in ejuſmodi conteſtationibus, vel etiam in Actis genuinis, res geſtæ ſic ut plurimum referrentur, ut a populo facile non poſſent intelligi, ſolebant Epiſcopi de Martyrum, quorum feſtivitas celebrabatur, præclare factis fuſius ad plebem, pro audientium captu differere; hincque nata occaſio eſt tot de Martyrum laudibus Homilias, & Sermones conſcribendi.

VI. Porro non ſolum palam in conventibus publicis legebantur Martyrum Acta, ſed etiam fideles ea apud ſe privatim diligentius evolvere ſolebant. Eorum lectionem diſcipulo ſuo maxime commendat Sanctus Nilus beati Chryſoſtomi diſcipulus lib. 4. epiſt. 1. quam lectionem utiliſſimam eſſe Monachis aſſeverat Caſſiodorus Guillelmus Sancti Theodorici Abbas in Tractatu ad Fratres de Monte. Dei ipſis etiam novitiis proponenda eſſe geſta & paſſiones Martyrum cenſet, cum in eis ſemper aliquid occurrat, quod animum excitet ad amorem Dei, & contemptum ſui. Stephanus Grandi montenſium Monachorum inſtitutor, quo tempore fretres ejus refectionem percipiebant, ipſe, *ſicut conſuetudo religionis eſt, in refectorio ad menſam ſedentibus humiliter humi reſidebat* legendo paſſiones Sanctorum &c. ut in ejus vita legitur capite 4. die VIII. Februarii Bollandiani. Tanta vero erat quorumdam virorum Sanctorum erga ejuſmodi ſacra monumenta religio, ut ea ſemper ſecum, etiam in ipſis itineribus deferrent. Sanctum Sigiranum, *Sanctorum Acta, libroſque Divinos pro jugi aſſiduitate legendi* ſecum in itinere Romano detuliſſe refert ejus vitæ Auctor Sæculo 2. Benedictino pag. 437. Idem etiam feciſſe Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum colligitur ex Buggæ epiſtola inter Bonifacianas 35. in qua beato Antiſtiti reſpondet, ſe nondum paſſiones Martyrum, quas petierat, tranſmiſiſſe, quod eas impetrare non potuiſſet: id vero, ſi valeat, ſe brevi præſtiturum pollicetur. Nec dubium, quin ejuſmodi monumenta evolvendo ad Martyrium perferendum Bonifacius eruditus fuerit. Mira ſunt quæ de Sancto Anaſtaſio Monacho Perſa, & Martyre hac occaſione narrantur in ejus Actis, quæ in 7. Synodo generali approbata ſunt. Hic quippe *cum apud ſe legeret victorias Martyrum, tropæa, & certamina, libros aſpergebat lacrymis, orabat ut ipſe quoque pro Chriſto tales ſubiret perpeſſiones. Quocirca nulli rei alteri ſibi vacandum eſſe cenſebat, niſi ſoli eorum lectioni*. Idem ferme habet Ulfinus Boetius in vita Sancti Juniani Abbatis Mariacenſis, de quo numero 4. narrat, *quod frequenter legeret Canonicas, & Apoſtolicas Scripturas etiam, Sanctorum Patrum vitas, & Martyrum victorias, & coronas virginum, quorum* exem-

Digitized by Google

exemplis mentem ſemper armabat, & ea agere tentabat, quæ Viri Sanctiſſimi, & fortiſſimi victorioſiſſime & præclariſſime egerunt. Hinc etiam adinventæ in Eccleſiis picturæ, ne, ut ajunt Sancti Patres rudes, & illiterati fideles tam egregiis exemplis privarentur. Quantum vero ex eorumdem Actore lectione profecerit beata Virgo Thereſia, ipſamet exponit in vita ſua capite 1. Nemo neſcit Beatum Ignatium ex fortuita vitæ Sanctorum lectione ita ad eorum ſectanda exempla fuiſſe animatum, ut tandem omnibus relictis ſoli Deo vacare conſtituerit. Alia exempla paſſim in Eccleſiaſticis hiſtoriis occurrunt, quæ brevitatis ſtudio omittimus. Sed hic proferre juvabit, quid de ejuſmodi ſacris lectionibus ſenſerit Joſephus Scaliger, vir certe a muliebri religione alieniſſimus. Hic in animadverſionibus Euſebianis ad annum MMCLXXXIII. de Sancti *Polycarpi*, aliorumque Martyrum ſinceris Actis agens, ſic loquitur. *Horum lectione piorum animus ita afficitur, ut nunquam ſatur inde recedat. Quod quidem ita eſſe unuſquiſque pro captu ſuo, & conſcientiæ modo ſentire poteſt. Certe ego nihil unquam in hiſtoria Eccleſiaſtica vidi a cujus lectione commotior recedam ut non amplius meus eſſe videar.*

VII. Cum itaque tanto in pretio apud omnes eſſent Martyrum Acta, mirum non eſt, ſi viri ſacræ antiquitatis ſtudioſi in iis colligendis operam dederint. Celebris eſt inter alios Euſebius Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus, qui præter ea quæ de Sanctis Martyribus in Hiſtoria Eccleſiaſtica refert, duos de eorum geſtis ſingulares libros edidit. Prior quem Ἀρχαίων Μαρτύρων συναγωγὴν appellat, veterum Martyrum Acta genuinas complectebatur, quantum ex iis, quæ de hoc libro in Hiſtoria habet, colligere fas eſt. In poſteriori autem quem de *Martyribus Palæſtinæ* inſcripſit, narrat ea, quæ de ſuæ provinciæ Martyribus in magna Diocletiani perſecutione, ipſæ rebus geſtis præſens viderat, & audierat. Hunc librum, qui ad nos uſque pervenit, integrum exhibemus. At prior de antiquis ſcilicet Martyribus, qui jam tempore Gregorii Magni, nec Alexandriæ, nec in ulla Romanæ urbis Bibliotheca poterat reperiri, ut ex ejuſdem Gregorii epiſtola 29. lib. 7. Indict. 1. patet, ſi penitus non exciderit, ita latet, ut diu licet a Viris perſpicaciſſimis conquiſitus, a nemine prorſus hactenus potuerit inveniri. Erunt fortaſſe quibus certum Victorem, cum ejus *Hiſtoriam* Hieronymus poſtulaverit a Paulo Concordienſi monacho ſeu ſene, epiſtola alias 21. nunc vero 10. *propter notitiam perſecutionum*. In hanc ſententiam totus ivit Marianus Victorius in notis ad laudatam beati Hieronymi epiſtolam, ubi ait ejus argumenti opus ab Aurelio Victore fuiſſe ſcriptum, complectens hiſtoriam perſecutionum Eccleſiæ uſque ad Diocletianum. Quod quidem opus ſua ætate in Bibliotheca Vaticana extitiſſe idem Auctor teſtatur. At his aſſentiri non poteſt V. C. Stephanus Baluzius, qui in notis ad Lactantii libellum de mortibus perſecutorum, tomo 2. Miſcellaneorum editum, negat plane Victorem, hominem gentilem, unquam ea de re quicquam ſcripſiſſe, aitque, hoc loco nihil aliud a Paulo Concordienſi Hieronymum petiiſſe, quam Victoris vulgam hiſtoriam de vita Imperatorum ad Julianum, ex qua notitiam habere poſſet *perſecutorum, ideſt eorum imperatorum qui perſecuti ſunt Eccleſiam Dei*. Quam quidem ſententiam ex eo maxime confirmat vir eruditus, quod plerique veteres ſcripti, & editi *propter notitiam perſecutorum* habeant, *non vero perſecutionem*, ut primus edidit Eraſmus, fortaſſe e Codice Victorino, qui ita habet. Ceterum pace Eccleſiæ reſtituta, cum ſub Chriſtianis Imperatoribus tuto liceret Martyrum feſtivitates agere, ſingulæ fere Eccleſiæ quæcumque de ſuorum Martyrum geſtis ſupererant, ſtudioſe collegerunt, ut in publicis conventibus legerentur. Hæc autem Acta erant, ut jam diximus, vel ex Actis publicis excerpta, vel a nonnullis Chriſtianis, qui Martyrum quæſtionibus præſentes interfuerant concinnata: aut ſi forte neutro modo haberi potuiſſent, ſi aliquid ex publica fama notum eſſet, aut certe ex antiquioribus viris, qui perſecutionum tempore vixerant, hæc omnia in unum colligebantur unde aliqua ſaltem Martyrum geſta innoteſcerent. At cum paullo poſt omnes fere Romani imperii Provinciæ a Barbaris devaſtatæ, & occupatæ fuiſſent, ex iis etiam Actis pleraque perierunt, quibus alia poſtmodum ſubſtituta fuere, ſed quæ ad iſtorum auctoritatem non pertingunt, nedum ad priorum ſinceri-

ta-

tatem. Ea autem ſunt, quæ paſſim in codicibus mss. & editis occurrunt, quæ tametſi primigeniorum Actorum puritatem non aſſequantur, multiſque ut plurimum circa perſonas, & tempora ſcateant mendis; non tamen omnino rejicienda crediderim. Iis accenſenda ſunt Acta, in ſumma quidem ſincera, ſed quæ ab hominibus imperitis temere violata ſunt, adjunctis ad priora Acta miraculis, aut Martyrum cum tyrannis concertationibus, quibus, ut ſibi videbatur, Martyrum ſuorum fortitudinem magis celebrarent: quamvis exinde apud viros doctos auctoritate ſua ejuſmodi monumenta exciderint, etſi paſſim in iis aliquod prioris ſinceritatis veluti ſcintillæ elucere conſpiciantur. Cavendum tamen ne in hac claſſe computentur Acta illa, utique ſincera, quibus initio præfixa eſt præfatiuncula brevis, aut in fine clauſula, in qua martyrii conſummatio exponitur. Cum enim ut plurimum Acta publica, lata ſententia ſtatim deſinerent, nec in ipſis Martyrum mors (niſi forte in ipſa quæſtione præ tormentorum acerbitate obiiſſent) referretur; id poſtea ſuppleverunt Chriſtiani, vel ipſo perſecutionis tempore, aut ſaltem cum primum in unum ejuſmodi monumenta collecta fuerunt. Sed hinc nullatenus Actorum ipſorum auctoritas minuitur.

VIII. Ex his patet, quam difficile eſſet eorum omnium nomina recenſere, qui in colligendis Martyrum Actis operam ſuam contulerunt, quippe cum non ſolum unaquæque Eccleſia, ſed etiam quilibet privatus, ſuam, ut ſibi videbatur, collectionem adornaret. Fuere tamen nonnulli, qui hac in re inter alios enituerunt. Ceraunium Epiſcopum Pariſienſem, qui ſæculo 7. ineunte floruit, Wharnarius Euſebio Cæſarienſi comparat, quod *Sanctorum Martyrum geſta pro amore religionis congregare in urbe Pariſiaca devotus intenderet*. Hujus Wharnarii Lingonenſis Eccleſia Archidiaconi Epiſtola habetur apud Surium, & Bollandum die 17. Januarii cum Tergeminorum martyrum Lingonenſium paſſione, quam paſſionem cum *Deſiderii Epiſcopi* Lingonenſis, & Martyris geſtis ſe imperante Ceraunio deſcripſiſſe teſtatur. Omitto Gregorium Turonenſem Epiſcopum, & Fortunatum Pictavienſem, qui ut omnes norunt, multa de Sanctis eorumque miraculis conſcripſere. Sæculo nono Anaſtaſius Bibliothecarius Petri Gavienſis Epiſcopi hortatu aliquot Sanctorum geſta e Græco in latinum tranſtulit, ut patet ex diverſis eorum Actorum prologis, qui e ſacri monaſterii Caſinenſis bibliotheca a noſtris Johanne Mabillonio, & Michaele Germano eruti, tomo 1. Muſæi Italici editi ſunt. Ex his unus eſt in Martyrum *Cyri*, *& Johannis* Acta, unde diſcimus ea a beato Sophronio Jeroſolymitano Epiſcopo conſcripta fuiſſe. Actis Martyrum colligendis Johannes S. R. E. Diaconus eodem etiam ſæculo inſudavit, ut patet ex Gaudentii Veliterni Epiſcopi Epiſtola ad Johannem VIII. Papam, quæ Muſæi Italici tom. 1. pag. 79. inſerta eſt. Quin & ipſos ejus ævi Imperatores iis rebus animum applicuiſſe colligimus ex inſcriptione quorundam SS. *Cornelii*, *& Cypriani* Actorum, quæ Hilduinus archicancellarius *jubente Lothario Auguſto* ordinaſſe dicitur; & Johannes ſupra laudatus *jubente Carolo rege* vitam Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ conſcripſit, quod in uno cod. mſ. Sancti Germani Antiſiodorenſis obſervavimus. Floruit ſæculo ſequenti Frodoardus Canonicus Remenſis, inter ejus ævi ſcriptores hiſtoriarum facile princeps, qui præter opera edita ſcripſit libros quindecim de *Triumphis Martyrum*, quos cum aliis ejus carminibus Treviris deliteſcere Brouverus obſervavit. At eos etiam invenimus ſed mutilos, in cod. mſ. ejus ætatis, qui nunc apud Carmelitas diſcalceatos Pariſiis aſſervatur. Eodem uti, vulgo creditur, ſæculo, celebris fuit apud Græcos Symeon cognomento Metaphraſtes, qui Sanctorum Acta undique conquiſita in unum collegit, quamvis hoc in eo viri eruditi merito reprehenſione dignum judicent, quod eorum nonnulla variis interpolaverit additamentis, novaque aliquot, cum vetera deficerent, proprio marte cuderit. De his erudite diſſerit Leo Allatius in Diatriba de Symeonum ſcriptis. Johannem de Voragine, Legendæ, quam vulgo appellant, aureæ ſeu Lombardicæ, auctorem, Petrum de Natalibus Epiſcopum Equilinum, Georgium Wicelium, alioſque ejuſmodi collectores prætermitto, qui Sanctorum geſta contraxere. At laude dignior eſt Aloyſius Lipomanus Epiſcopus Veronenſis, qui

qui ſub ſæculi 16. medium Sanctorum vitas, & Martyrum paſſiones ita collegit, ut ipſius ſcholia ab actorum textu ſecernerentur. Multas etiam e Græcis edidit, ſed per Guillelmum Sirletum, poſtea Cardinalem, Gentianum Hervetum Canonicum Remenſem, alioſque viros eruditos latinitate donatas. Claruit paullo poſt Laurentius Surius Cartuſianus, qui tum ex editis, tum ex codd. miss. novam collectionem, ſtilo veteri quandoque immutato, ſecundum menſium, & dierum ordinum diſpoſitam adornavit. Multos etiam iſte habuit Abbreviatores. At Boninus Mombritius, qui primus, omnium ejuſmodi Actorum edidit, in quo Acta aliquot Martyrum Menſis Januarii comprehenduntur. Aliam item ſub ſupplementi Suriani nomine paraverat Nicolaus Belforſtius Canonicus Regularis Sancti Johannis de Sineis apud Sueſſiones: at ejus editionem impedivit Aubertus Miræus, cauſatus ſe multo majorem paratam habere, quam tamen & ipſe inſectam reliquit; ac ſi Belforſtii labor inutilis fuiſſet, niſi ejus Schedulæ in RR. PP. Antuerpienſium Societatis Jeſu manus deveniſſent, qui jam aliquot acta ſub ipſius Belforſtii nomine ſuæ collectioni inſeruerunt. Hæc autem RR. PP. collectio omnium eſt ampliſſima, quam Johannes Bollandus, ejuſque doctiſſimi ſucceſſores, incredibili labore, & diligentia, conquiſitis, & collectis ex tota fere Europa Sanctorum geſtis, jam ad finem fere Junii promoverunt, quibus quantum debeam, ex operis decurſu patebit. Porro in Elencho codd. mſſ. Belgii, quem Sanderus edidit Inſulis an. MDCXLIII. Tom. 2. pag. 158. inter alios codices, qui ex Bibliotheca Auberti Miræi recenſentur, unus occurrit ſub hoc Titulo. *Nicolaus Belforſtius Canonicus Regularis Sancti Johannis Sueſſionenſis concinnavit ſupplementum Surianum de probatis Sanctorum hiſtoriis ex mss. codd. Franciæ & Belgii, in Folio.*

A D C A P U T XVII.

P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

De literis formatis, ſeu Canonicis.

D I S S E R T A T I O XXI.

I. QUÆ literæ Græce *Canonicæ* Latine formatæ dicebantur, uſitatiſſimæ fuerunt ab ipſis Chriſtianiſſimi primordiis ab Apoſtolorum ſæculo. Verum quia his frequenter tum hæretici, tum etiam ex gentilibus impoſtores abutebantur, viſum eſt patribus in Nicæna prima Synodo congregatis novam illis formam præſcribere, ut fidem facit Atticus Conſtantinopolis Epiſcopus hoc ordine, ut in primis prima apponerentur ſanctiſſimæ Trinitatis perſonarum elementa pro voce πατὴρ littera π pro voce υἱὸς lit. υ, & pro voce ἅγιον πνεῦμα lit. α. Apoſtoli quoque Petri lit. π ejus demum qui formatam epiſtolam ſcribit prima nominis litera, & cui ſcribitur ſecunda, & pro quo ſcribitur tertia, & civitatis, de qua ſcribitur quarta litera. Denique indictionis quæcunque tunc occurrit, numerus literalis aſſumatur. Obiter ex illo Attici teſtimonio liquet Indictionum uſum jam viguiſſe Nicæni Concilii tempore. Indictionum plerique ſuſpicantur auctorem Conſtantinum Magnum. Errare inſuper conſtat Cedrenum, alloſque, illarum affirmantes auctorem Theodoſium ſeniorem. Indictiones ſingulæ quindecim annorum ſeriem complectebantur. Earum triplex notatur diſcrimen: aliæ namque Conſtantinopolitanæ dicebantur, de quibus ita loquitur Ambroſius in epiſt. ad Epiſcopos Æmiliæ: *Indictio* Septemri menſe incipit, hoc eſt ipſis Calendis Septembribus. Aliæ Cæſareæ vocabantur, quarum ſumitur initium ab octavo

Digitized by Google

Calendas octobris. Tertiæ demum Romanæ, quia in Pontificiis diplomatibus adhiberi ſolent, earundemque notatur exordium a Calendis Januarii. Ad finem formatarum adhibebatur Græca vox, ſeu potius Hebraica, ſed literis Græcis expreſſa, αμην. Hanc de formatis literis obſervationem juxta Nicænum decretum tranſmiſit Atticus Conſtantinopolis Epiſcopus, quaſi additamentum ad viginti Nicæni Synodi Canones, quos ab ipſo expetiverat Aurelius Carthaginis Epiſcopus, quo tempore habebatur Concilium, cui præſidebat, Carthaginenſe ſextum: ut annotat Baronius tomo 3. ad annum 325. & reperitur in antiqua Creſconiana editione, ſub Attici titulo; & alibi excuſum legitur poſt finem Synodi Calchedonenſis, ut monet Baronius dicto anno numero 162. & Bellarminus lib. 1. de Summo Pontifice cap. 24.

II. Formatæ porro litteræ in varias diſtribuuntur ſpecies? quarum aliæ communicatoriæ, Græce κοινωνικὰ γράμματα, dicuntur, iſtæque ab Epiſcopis concedebantur ſubditis ſuis peregre euntibus, ut quocunque tendebant in communionem fidelium admitterentur, hoſpitioque exciperentur. Huc reſpiciunt quæ ad Cajum ſcribit S. Joannes Apoſtolus epiſt. 3. *Chariſſime, fideliter facis quidquid operaris in Fratres, & hoc in peregrinos, qui teſtimonium reddiderunt charitati tuæ in conſpectu Eccleſiæ: quos benefaciens deducens digne Deo, pro nomine enim ejus profecti ſunt, nihil accipientes a Gentibus. Nos ergo ſuſcipere debemus hujuſmodi, ut cooperatores ſimus veritatis. Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ, ſed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos: neque ipſe ſuſcipit fratres, & eos qui ſuſcipiunt prohibet, & de Eccleſia ejicit.* Hujuſmodi literarum, ſub nomine *conteſſerationis hoſpitalitatis* meminit Tertullianus, de præſcript. adverſ. hæret c. 20.

III. Sub imperio, Veſpeſiani veterator inſignis profeſſione Philoſophus, nomine Peregrinus, & ob verſatiles in omnem modum fraudes cognominatus Proteus, ſe aliquando Chriſtianum finxit, eoque dolo non modo frequentium peregrinationum certiſſimum viaticum retulit, ſed etiam innumera fabricans mendacia, multas divitias ex liberalibus Chriſtianorum officiis, quorum tandem communione (detectis impoſturis) ejectus, ſe ad priſtinam gentilitatem reduxit. Hujus veteratoris hiſtoriam flagitiis, præſtigiiſque refertam Lucianus pertexuit.

IV. Nihil vero quod ad rem attinet intercedebat diſcriminis inter literas pacificas, & communicatorias, ideſt, ut Græci appellant, inter εἰρηνικὰς καὶ κοινωνικὰς ſub diverſis nominibus una, eademque res exprimebatur, nec his alio intendebatur, quam ut aliquis viæ ſe committens hoſpitio ſuſciperetur, & in communionem cum cæteris fidelibus admitteretur Chriſtianæ ſocietatis. At vero *Commendatitiæ*, non vulgaris notæ, & proletariis laicis, ſed ſolis honorificis perſonis indulgebantur, ut lautius, & liberalius exciperentur ab Eccleſiis, ut colligere eſt ex can. 11. Calchedonenſis Synodi, hoc ſanciente, ut pauperibus peregre ituris ſolæ darentur ad Eccleſias literæ pacificæ, ſed non συστατικαὶ ideſt commendatitiæ, quippe quæ in favorem reſervandæ ſint τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει. Quia vero Græca vox ὑπόληψις nunc ſuſpicionem, nunc autem honorificam æſtimationem denotat. Eam vocem hoc loco interpretati ſunt de ſiniſtra ſuſpicione poſteriores Græculi, Zonaras, Balſamon, & Matthæus Blaſtares. Gentianus quoque Herveus ibi exponit *Commendatitias* ſolis perſonis, quæ ſuſpectæ ſunt, concedi oportere. Sed jam quæro, cur ſolis pauperibus, & ſimul ſuſpicione improba laborantibus; non alias, quam pacificas præberi literas, cum tamen clarioris notæ peregrini minus habeant ſuſpicionis, & paupertas viliores perſonas, præſertim vagas, & errabundas multo facilius ac frequentius ad mendacia, & impoſturas adigere ſoleat? Quapropter cum ſit major de pauperibus, & obſcuris perſonis, quam de claris, & ſublimioribus hominibus ſuſpicio, illis utique multo magis denegandæ ſunt commendatitiæ, quam iſtis, a quibus remotior eſt fraudulentiæ ſuſpicio. Sed longe prudentior mens Concilii fuit, indignum exiſtimantis, diſcrimini Eccleſiarum, & Antiſtitum objicere homines abjectos, & ſuſpicioni obnoxios per commendatitias, quibus majus ineſt privilegium, eaſque illis recuſare, quos ſua claritas, & honorabilis exiſtimatio longius ab omni ſuſpicione removet. Felicius igitur veræ intelligentiæ ſcopum veteres translationes attigerunt; Dionyſii quidem ſic verten-

tentis: *Commendatitias literas honoratioribus tantummodo perſonis præſtari*. Et deinde Iſidori ſic interpretantis: *Commendatitias epiſtolas eos tantum accipere convenit, qui in opere ſunt clariores*. Et ſane apud veteres Græcos voces duæ [illegible] & [illegible] id commune habent; ut nunc opinionem, ac exiſtimationem generatim, nunc vero glorioſam famam, & claritudinem ſignificent. Ideoque Calchedonenſis can. 13. interdicit Clericis Eccleſiaſtica miniſteria in aliam commigrantibus civitatem, niſi commendatitiis inſtructi ſunt literis.

Quis vero inter obſcuros homines collocet Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos; cum ſint in Eccleſia digniores, & honoratiores præ aliis, ſive Clericis ſive laicis? Sardicenſis præterea Canon. 9. providet, ut ad graviora negotia in majo i civitate aut in comitatu Principis, gerenda, mittant Epiſcopi Diaconum ad loci Antiſtitem cum commendatitiis literis, Carthaginenſe pariter ſub Siricio Pontifice Concilium tertium can. 28. non permittit Epiſcopis tranſmarinas profectiones inconſulto Metropolitano, a quo formatam ſumere neceſſe habent. Prima commendatitiarum epiſtolarum mentio fit 2. Corinth. 3. *Nunquid* egemus ſicut quidam commendatitiis epiſtolis ad vos? Græce συςατικων [illegible].

V. Quemadmodum dixi ad exercendos alibi jam ſuſceptos Ordines, neceſſariæ ſunt Clericis commendatitiæ literæ, ita & ad novos alibi ſuſcipiendos neceſſariæ ſunt Clerico ex parte proprii Epiſcopi dimiſſoriæ literæ [illegible], ut admonet Theodorus Balſamon, ad Apoſtolorum canonem 15. diſtricte namque prohibetur Epiſcopis alieni Clerici ordinatio, niſi ex conſenſu proprii illius Epiſcopi, Nicæno canone 16. aliiſque innumeris canonibus priſcis, atque recentibus.

VI. Formatarum inſuper nomine deſignantur literæ Paſchales, indicentes quota ejus anni Dominica celebrandum ſit proximum Paſcha. Fuit antiquiſſima conſuetudo, ut Romanus Epiſcopus quotannis ad univerſas Eccleſias ſcriptis encyclicis, ſeu circularibus literis, diem Paſchalem indicaret, ut legitur Arelatenſis Concilii primi can. 1. Quia vero Ægyptii Aſtronomiæ peritia præcellebant, ea cura per Nicænam Synodum demandata fuit Alexandrino Epiſcopo, ut in primis diem Paſchalem futurum Romano indicaret Epiſcopo ſedulo exploratum, a quo poſtmodum cæteris univerſi orbis Eccleſiis indiceretur, & promulgaretur: ut S. Leo Papa ſcribit epiſt. 64. ad Marcianum Auguſtum. Primates deinde, & Metropolitani ſuarum Provinciarum Epiſcopis, & hi ſubjectis ſibi Eccleſiis per literas formatas ſignificabant; ut ſtatuit Concilii Carthaginenſis can. 3. *Ut dies Paſchæ formatarum ſubſcriptione* omnibus intimetur. Promulgabatur autem futurus ille dies per diaconum inter Miſſarum ſolemnia ipſo Epiphaniæ die, ut conſtat ex Concilii quarti Aurelianenſis can. 1. & Bracarenſis ſecundi can. 9. qui eſt inſertus; de conſecra: diſt. 3. c. placuit. Quo jubetur adveniente Natali Domini die, in Eccclefia poſt decantatum Evangelium, adſtante populo, diem ſeu Lunam Paſchæ adventantis intimari. Commemorat Gregorius Turonenſis lib. de gloria Martyrum, cap. 24. & 25. in opio Luſitaniæ, cui nomen Oſem, eſſe piſcinam marmoream ad Baptiſmi uſum extructam a Catholicis, atque in eam ipſa quinta majoris Hebdomadæ feria ſolitum eſſe cum Clero, & frequenti populo Pontificem explorandi gratia, procedere, nullaque reperta inibi aqua protinus egredi. & valvas, obſeratas ſigillo munire, ſed adveniente poſt biduum Sabato ſolitum reverti Pontificem, comitantibus Clericis, & populo, inſpectis, & effractis ſigillis oſtia reſerari, & dictu mirum 1. piſcinam reperiri aquis exundantem, atque idem miraculum ſingulis annis renovari. Addit idem auctor Hiſpaniarum Regem Theodogiſilum Arianum moleſte ferentem quod par apud ſuos nullum fieret Miraculum, credidiſſe fraudem ſubeſſe Catholicorum. Ideoque proprio annulo una cum Orthodoxorum Antiſtite fores Baptiſterii obſignaſſe, effoſſa prius in profundum terra per baſilicæ circuitum, & diſpoſitis toto triduo excubantibus militibus: Sed quum fons ubertis aquis refertus Sabato inſequenti viſus eſſet, confirmata eſt divini Miraculi fides, cum gravi Hæreticorum confuſione. Auctor pariter eſt in ſuo Chronico Sigbertus anno Chriſti 573. coortam fuiſſe inter Gallos, & Hiſpanos concertationem, quonam ejuſdem anni die celebranda foret

Paſchæ feſtivitas. Sed tandem recte a Gallis celebratam Divino oſtento monſtratum fuiſſe. Cum enim Hiſpani per errorem calculi præveniſſent diem fuiſſe ipſorum fontes, quo die celebrarunt vacuos, & aridos, ſed altera hebdomada, qua Galli Paſcha celebrarunt, eoſdem ipſos Hiſpaniæ fontes aquarum copia exuberaſſe. Caſſianus item collat. 10. c. 1. perhibet moris eſſe, ut ſancto Epiphaniæ die inter ſacra myſteria populus admoneatur, quonam die Paſchale feſtum ſit celebratum.

VII. Formatis pariter accenſendæ ſunt encyclicæ, ſive circulares epiſtolæ, quæ vel ab Epiſcopo Romano, vel a Primate, vel ab inferiore Prælato, vel a Synodo tranſmittuntur ad plures Eccleſias, vel perſonas diſtribuendæ, ſive in cauſa fidei, ſive in rebus diſciplinæ, ſive ad indicendas preces, aut jejunia, vel ad fideles de aliis rebus admonendos.

VIII. Inter formatas recenſentur quoque commonitoriæ, ſeu memoriales literæ, quæ Legatis, vel Nunciis, vel Apocriſiariis ac reſponſalibus Eccleſiaſticis expediuntur, præſcribentes, ut ſe gerere debeant in miniſterio ſibi injuncto. Harum fit mentio in can. 98. Concilii Africani, & apud Cyrillum epiſt. 1. ad Succeſſum, apud Auguſtinum epiſt. 129. & 158. & Sidonium Apollinarem lib. 8. carm. ad Lampridium alioſque veteres.

IX. Locum præterea inter Formatas habent Tractatoriæ, quibus providebatur, ut Prælatis ad Synodum commeantibus vecturæ, & viatica ſuppeditarentur. Harum meminit Carthaginenſe Concilium quintum can. 10. Non hic ſermo eſt de tractatoriis Imperatorum etiam in convocandis Epiſcoporum Synodis, quales innumeræ leguntur in veterum Conciliorum, & hiſtoriarum Eccleſiæ monumentis. De tractatoriis multa ex ſacris, & ex prophanis Scriptoribus teſtimonia congerunt duo Gallicani Juriſconſulti conſummatiſſimæ eruditionis, Barnabas Briſſonius de verborum ſignificatione v. Tractatoriæ: & Jacob. Cujacius ad lib. 12. Codicis, tit. 51. qui de Tractatoriis.

X. Inter commoda innumera, & emolumenta, quæ in univerſam Eccleſiam per formatas diffunduntur, primum dignitatis habebat olim locum admirabilis illa fidelium toto terrarum orbe in unitate fidei, in officiis charitatis, & ſanctitate diſciplinæ communio. Religioſiſſimam iſtam civitatem æmulati ſunt Schiſmatici; & Hæretici, ſed nunquam aſſequi potuere. Hoc unitatis Eccleſiæ argumento tanquam inevitabili telo Tertullianus, Cyprianus, Auguſtinus, hæreticorum ſectas impugnarunt, & profligarunt. Optatus lib. 2. contra Parmenianum, recenſita Epiſcoporum Romæ, a Petro ad Damaſum uſque, ſerie; addit, *cum* quo (ſcilicet Damaſo) *nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis ſocietate concordat*. Auguſtinus etiam, ut Fortunium Epiſcopum Donatiſtam affirmare auſum ſuam ſuorumque gregalium ſocietatem ubique terrarum protendi, dum vult ſibi *Catholici*, hoc eſt univerſalis denominationem vindicare, falli manifeſte convincat; ſic ſcribit epiſt. 163. ad Eleuſium: *Quærebam* (ait) *ab eo, utrum communicatorias epiſtolas, quas Formatas dicimus, poſſet quo vellem dare? & affirmabam quod manifeſtum erat omnibus hoc modo facillime illam teminari quæſtionem poſſe*. Refert Gregorius Nazianzenus invectiva 1. in Julianum, ſceleſtiſſimum iſtum apoſtatam invidia concitatum, transferre in Gentiliſmum propoſuiſſe multos laudabiles, quibus Eccleſia florebat ritus, ac præſertim literas hoſpitalitatis.

P. JO-

P. JOHANNIS CABASSUTII
ORATORII DOMINI JESU

De communionibus laica, & peregrina.

DISSERTATIO XXII.

I. UTramque plerique confundunt, nihil eſſe diſcriminis inter laicam, & peregrinam communionem exiſtimantes. At longe diverſæ ſunt, nec aliud quid inter ſe commune habent, quam ut ſint ambæ pœnales, quotieſcumque ad alterutram illarum clerici reducuntur. Jam eſt utraque ſeorſim explicanda.

II. Laica communio Clericis ſacris, ſeu majoribus ordinibus initiatis in pœnam decernebatur, ne intra Sanctuarium Euchariſtiam ſumerent. Statutum quippe fuit Laodiceno canone 19. μονοις ιερατικοις εξον ειναι εις το θυσιαστηριον εισιεναι και κοινωνειν *ſolis licet* (non quidem Sacerdotibus, ut minus perite aliqui tranſtulerunt, ſed ut accuratius vertit Dionyſius exiguus,) *ſacro miniſterio dedicatis*, ideſt Presbyteris, & Diaconis, *ingredi Sanctuarium, inibique communicare.* Cæterum in alicujus delicti pœnam ſacri Clerici quandoque privilegio iſto excidebant, nec niſi cum promiſcua turba licebat eis communione Divina refici. Hinc a Synodo Sardicenſis Euthychianus & Muſæus, qui ordinationes indebitas exercuerunt, clericale etiam communione excluduntur, nec ipſis laica indulgetur communio, niſi poſtquam illam convenienti humilitate petierint, Sardicen. can. 19. Præterea Agatenſi can. 32. ita ſancitur. *Si Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiſerit, aut chartam falſaverit, aut teſtimonium falſum dixerit, ab officii onore depoſitus, in monaſterium detrudatur; & ibi, quandiu vixerit*, laicam tantum communionem accipiat. Quem canonem inſerit Gratianus diſt. 50. Si quis Epiſcopus. Præterea canon Apoſtolorum 15. vagos clericos ad laicam demittit communionem. Cyprianus epiſt 2. ad Antonianum ita ſcribit de Trophinco Sacerdote in perſecutione lapſo: *Sic tamen admiſſus eſt Trophincus ut tamquam laicus communicet.* Baſilius item ad Amphilochium can. 3. ad laicam communionem redigit Diaconum, qui ſit fornicatus: *Quoniam inquit antiquus eſt canon, ut qui a grado exciderunt, hoc ſolo punitionis modo plectantur.* Quibus verbis ſignificat, illam ſacris initiati Clerici pœnam, dummodo permittatur ei laica communio, eſſe quidem genus quoddam depoſitionis a jure Eccleſiaſticæ communionis, ſed nullatenus excommunicationis: atque illatæ depoſitionis vindictæ non licere per Canones adjungere alteram excommunicationis pœnam. Quod idem repetit Baſilius ad Amphilochium can. 32. & comprobatur canone Apoſtolorum 25. ſic decernente: *Epiſcopus vel Presbyter, vel Diaconus, fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus deponatur, & non ſegregetur: dicit enim Scriptura, de eodem delicto bis ultionem non exiges.* Supponit ergo duplicem acceſſuram vindictam ac pœnam, ſi ad depoſitionem adderetur abſoluta communionis privatio. Non raro tamen ſacris etiam Clericis Eccleſia excommunicationem abſolutam infligit, quæ una depoſitionem aut ſuſpenſionem involvit, in unius Clerici perſona. Sic enim memorata Synodus Sardicenſis can. 1. Epiſcopos, qui priore Epiſcopatu dimiſſo, in alterum involaverint, laica enim excludit communione. Ithacius quoque eo quod Priſcillianum tametſi flagitioſiſſimum hæreſiarcham apud Maximum tyrannum, ad quem hæreſiarca indebite appellaverat, capitali ſupplicio addici feciſſet, ab Epiſcopo Theognoſto cum Ithacianis fidelium communione ſejunctus eſt. Quæ damnatio tantum invaluit apud Deum, ut Sanctum Epiſcopum Martinum qui Treviris ad horam, gravi urgente neceſſitate, cum aliquibus Ithacianis communi-

municaverat, per Angelum Deus ipſe coarguerit, eidem ſolitam miraculorum edendorum virtutem diminuerit.

III. Quia vero clericis Eccleſiaſtica communione motis, & ad laicam, & promiſcuam redactis, ſolitæ (ut eas Cyprianus vocat) ſportulæ non præſtabantur; ſed ut plurimum, vel ex patrimonialibus, vel aliorum liberalitate, vel ex proprio labore ac induſtria victum ſibi quærere compellebantur: & excluſis ſimul a decimis, & oblationibus, & prædiorum Eccleſiæ fructibus, ſi nihil aliud ſuppetebat, ex commiſeratione Eccleſia victum illis providebat. Ad menſam igitur illos admitti curabat, quæ ad quotidianum victum fidelibus peregrinis apparari ſolebat, quos proprius Epiſcopus per literas formatas Eccleſiis, ad quas, aut per quas peregre ibant, commendarat: his enim Eccleſiæ alimoniam, tum ex propriis opibus reſervabant. Iſtiuſmodi humanitatis exempla ſuppeditat in primis Concilium Calchedonenſe providens poſt act. 10. ut Domnus Antiochena ſede exautoratus ejuſdem Eccleſiæ facultatibus alatur. Simili etiam modo ſuſtentationi Baſſiani & Stephani providet Act. 12. poſtquam Epiſcopali dignitate ambos ob delicta ſummovit. Simili exemplo Syneſius Epiſcopus ſuffraganei ejuſdem Epiſcopi quæ ſui officii erant exequi negligentis ideo juſte a Theophilo Patriarcha ſede pulſi curam ſuſcepit. Sic enim epiſt. 68. ſcribit Theophilo Alexandrino Patriarchæ: *In Eccleſiam quidem illum admittere nolui, nec ſacram cum illo menſam communem habui: domi vero perinde ac innocentes honoravi*. Denique Agatenſis Concilii can. 12. decernitur: *Contumacibus clericis, qui prioris gradus elati ſuperbia communionem fortaſſis contempſerint, aut Eccleſiam frequentare, vel officium ſuum implere neglexerint, peregrina communio tribuatur, ita ut cum eos pœnitentiæ correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum dignitatemque recipiant*.

IV. Ad exemplum & ſimilitudinem hujus pœnalis peregrinæ communionis, qua in Clericos animadvertebatur; altera vocabatur minus proprie peregrina communio, qua Epiſcopi aliique inter Sacerdotes primarii ſeu præfecturam habentes, non deponebantur prorſus a Clero; ſed ſolum a digniori & ſublimiori priſtino gradu, ut tamen in gradu inferiorum clericorum conſiſterent; adeo ut Epiſcopi ad inferiorum Sacerdotum ordinem redigerentur, ut & iſti ad Diaconorum, atque iſti ad minorum clericorum ſtationem & claſſem. Sic enim depoſitis Epiſcopis ſubtrahebatur illa redituum Eccleſiæ quarta pars, quam Epiſcopis ſacri canones reſervabant, ut deinceps minora cum Sacerdotibus ſtipendia partirentur. Sacerdotes quoque illi qui præſunt, & quos Apoſtolus, judicat duplici honore, hoc eſt ſtipendio vitæ providendos, ab hoc excidentes honore minus & exilius ſtipendium inter Diaconos nanciſcebantur. Iſti demum ſed minus propria locutione dicebantur peregrina communione ſuſtentari, licet quotidianum victum cum inferioribus clericis ex quotidianis Eccleſiæ diſtributionibus perciperent.

V. Hujuſce pœnalis; ſed aliquanto humanioris ac mitioris diſciplinæ legimus exempla luculenta. Primum in Nicæna Synodo canone 8. quo Novatianos dudum Epiſcopos ad Eccleſiaſticam unitatem redeuntes, ſi eorum loco aliquis jam fuerat Orthodoxus Epiſcopus conſtitutus, edicit potiri Sacerdotis, aut Chorepiſcopi gradu, miniſterioque. Concilium ſimiliter Toletanum primum can. 4. ſic decernit: *Subdiaconus* defuncta uxore, ſi aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat removeatur, & habeatur inter oſtiarios & lectores.

VI. His accedit Concilium Regienſe, habitum in ſecunda Narbonenſi provincia, quod diſerte communionis meminit peregrinæ. Armentarius per ambitionem ſe in Epiſcopum fecerat ordinari Eccleſiæ Ebrodunenſis a duobus tantum Epiſcopis, invito etiam Metropolitano, qualem ſe prætendebat id temporis Arelatenſis Præſul, cujus cura & ſollicitudine Synodus iſta convocata eſt anno 439. hujus can. 3. ſic ſtatuitur: *Liceat ei* (Armentario) *in unam ſuarum parochiarum concedere, in qua aut Chorepiſcopi munere, aut peregrina communione foveatur, nec quidquam ipſi de Epiſcopalibus officiis uſquam uſurpare liceat, præterquam in Eccleſia, quam cujuſquam miſericordia fuerit indeptus, in qua ei ſolum neophytos confirmare, & ante Presbyteros offerre conceditur*. Quæ ſane verba obſervatu digna ſunt: Sic enim Synodus Armentarium de-

deponit, exautoratque Epiſcopali gradu, ut non modo ei ſalva ſuperſint Sacerdotalia jura, ſed etiam Pontificalia quædam poſſit exercere, nimirum Confirmationis ſignaculum conferre, cæteroſque præcedere Sacerdotes; eidemque provideatur, ut communione peregrina foveatur, ad victum nimirum quotidianum. Et quamvis contra Canonum præſcripta non fuerit a tribus Epiſcopis conſecratus, invito etiam Metropolita, character tamen in ipſo Epiſcopalis agnoſcitur ad neophytos confirmandos. Denique in œcumenica Synodo VIII. actio 4. adverſus quoſdam Epiſcopos olim ob Photinianam hæreſim depoſitos, aſſerentes ſe Romæ a Nicolao Pontifice in communionem reſtitutos, hæc reſpondet Marinus Romanæ Diaconus Eccleſiæ, & in Synodo Legatus Apoſtolicus. *Quando iſti Romam adventarunt, miniſtrabam ego in Eccleſia S. Mariæ Virginis, quæ dicitur Præſepis. Illic eos ſuſcepit Sanctiſſimus Papa Nicolaus, per ſatisfactionem libelli & juramenti, nec tamen contulit eis communionem in loco Epiſcoporum. Si vero contradixerint, oſtendant quod eos ſuſceperit in communionem, ut Epiſcopos.* Sanctus item Papa Gregorius Magnus lib. 4. epiſt. 5. mandat ut Saturninus Sacerdos juſte depoſitus, ſi digne pœnituerit *inter laicos* accipiat communionem.

AD CAPUT XVIII.

P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

De Sacris Virginibus.

DISSERTATIO XXIII.

I. OLim in Eccleſia duo erant Sanctimonialium genera, quæ ſe perpetuæ continentiæ voto aſtringebant, ſcilicet Diaconiſſarum, quæ viduæ erant, de quibus ſuperiori diſſertatione abunde tractatum eſt; atque ſacrarum Virginum. Tertullianus lib. de velandis virginibus. Virgines utpote verecundiores, ſolitudini aptiores, & externarum rerum ſollicitudini minus idoneas, a Diaconatu excluſas, teſtis eſt locuples: *Ad quam ſedem* (inquit) *præter annos ſexaginta non tantum univiræ, id eſt, nuptæ aliquando eligantur, ſed matres, & quidem educatrices liberorum: ſcilicet, ut experimentis omnium affectuum inſtruere facile norint cæteras, & conſilio, & ſolatio juvare.* Immo addit ad monſtrum eſſet, ſi virgo in hujuſmodi ſtatu conſtituatur. Quod vero ſuperius de Diaconiſſis obſervavimus, fuiſſe illas habitu ea veſte a laicis diſtinctas, hoc idem ſacris virginibus pariter commune erat, ut addidimus, & Concilii Carthaginenſis quarti can. 11. ita ſtatuentis; *Sanctimonialis virgo, cum ad conſecrationem ſuo Epiſcopo offertur, in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper uſura eſt profeſſioni, & ſanctimoniæ aptis.* Virginum ſacrarum habitus erant pulla veſtimenta, tunica, pallium, cingulum, & capitis velamen: dicente Hieronymo epiſt. 12. *Solent quædam cum futuram virginem ſpoponderint, puella tunica eam induere, & parvo operire pallio.* Idemque epiſt. 5. ad Demetriadem: *Vili tunica induitur, viliori tegitur pallio.* Idem etiam ad Marcellam epiſt. 23. *Pulla tunica minus cum humi jacuerit, ſordidatur.* Et de cingulo ibid. *Cingulum laneum, & tota ſimplicitate puriſſimum, quod poſſit magis aſtringere veſtimenta, quam ſcindere.* Apud Concilium Nicænum actio 4. Aſterius ita refert de Sancta Euphemia Virgine, & Martyre Calchedonenſi: *Aſtabat virgo pulla veſte, & pallio Philoſophiam profeſſa.*

II. De ſacro virginum velo ſic Tertullianus, de virgin. velandis c. 15. *Vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet, quam ſemetipſam: etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipſa oculos habet, confugit ad velamen capitis, quaſi*

quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat, adverſus ſuſpiciones, & ſuſurros. Hieronymus ad Demetriadem: *Scio ad imprecationem Pontificis flammeum virginale ſanctum operire caput.* Quo etiam loco docemur, benedictione ſolemni ſolitum ſanctificari per Epiſcopum, & ſacræ virginis capiti velamen imponi. Ambroſius lib. 3. de virgin. cap. 1. ſcribit de Marcellina ſorore ſua, *fuiſſe Romæ ad Sanctum Petrum, ipſo Salvatoris natali die, a Liberio Papa conſecratam virginem, eum propoſitum virginitatis ipſa veſtis mutatione ſignaſſet.* Crinium in virginitatis, aut viduitatis profeſſione tonſionem, ſolemnis fuiſſe in quibuſdam Eccleſiis conſuetudinis, in Syria præſertim, & Ægypto, teſtis eſt Hieronymus epiſt. 48. quæ tamen non ubique viguit conſuetudo, cum ſcribat Ambroſius ad Virginem lapſam cap. 8. ſolito alibi tondere capillos in ignominiam, & delicti pœnam, ſi lapſa virgo in pœnitentiam redacta eſſet.

III. Jam supereſt, ut de virginum ordinationibus diſſeramus. Adhibenda diſtinctio eſt, quam ſatis evidenter Leo Magnus inſinuat epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, inquiſit. 15. inter propoſitum virginitatis cum habitu conjunctum, ſeu veſte, qua virginitatem profeſſæ amiciebantur, & ipſam conſecrationem, quæ a nullo alio quam ab Epiſcopo ſiebat ritu ſolemni. Ex teſtimonio enim ipſius Leonis, mox adducendo conſtat moris fuiſſe, ut virginitatem profeſſæ non ſtatim a veſtitu, ſed interpoſito longioris temporis intervallo conſecrarentur. Et ſane probabile eſt a nubili ſtatim ætate, ſcilicet duodecim expletis annis, potuiſſe poſt ſpontaneam perpetuæ virginitatis profeſſionem religioſo habitu indui, dilata in aliud tempus ſolemni conſecratione. Sic enim reſcribit Epiſcopo Narbonenſi Leo Magnus. *Puellæ, quæ non coactæ parentum imperio, ſed ſpontaneo judicio virginitatis propoſitum, atque habitum ſuſceperunt, ſi poſtea nuptias eligant, prævaricantur, etiamſi conſecratio non acceſſerit; cujus utique non fraudarentur munere, ſi in propoſito permanerent.*

IV. Virginum Deo palam dedicaturum duo alia diſtinguebantur genera: quædam enim in parentum ædibus cum ipſis verſabantur, cujuſmodi fuerunt Sanctæ Marcella, Euſtochium, Principia, Demetrias: aliæ in monaſteriorum ſeptis religioſam vitam a perſonis ſæcularibus ſejunctæ degebant. Quæ primi generis erant, in communem Eccleſiam cum laicis ad ſacra vel audienda, vel percipienda conveniebant, ad deſtinatam ſexui fœmineo Templi medietatem, quæ viris inacceſſa erat: ſed tamen ſanctimoniales ejus partis locum ponitiorem occupabant, ſanctuario viciniorem, laicas fœminas a tergo habentes etiam interpoſito ſepto ſejunctas: ut ex Ambroſii epiſtola ad Virginem lapſam colligitur. cap. 6. Aliæ quæ in Monaſterium receſſerant, ſtrictiori diſciplina, & clauſura circumſepiebantur, neque ad earum ſacellum ullus laicus, aut religioſis etiam perſonis externis patebat aditus: cum eſſet ſacellum ac oratorium in Parthenonis, ſeu Monaſterii penetralibus intimis: Sed probatiſſimæ vitæ Sacerdos mittebatur, qui Miſſam intus celebraret, & Sacramenta miniſtraret Monialibus, hac conditione, ſeu præſcripta lege, ut ſacro expleto miniſterio, quamprimum regrederetur. Concilium Epaonenſe ſub Hormiſda Pontifice habitum has præſcribit cautiones can. 38. *Monaſteria puellarum nonniſi probatæ vitæ, & ætatis provectæ, ad quaſcumque earum neceſſitates, vel miniſtrationes permittant intrare. Ad faciendas vero Miſſas qui ingreſſi fuerint, ſtatim exacto miniſterio regredi feſtinabunt, alias autem nec Clericus, nec Monachus juvenis ullum ad puellarum congregationem habebit acceſſum, niſi hoc aut paterna, aut germana neceſſitudo probetur admittere.* Eaſdem iterant præcautiones circa Miſſam, quæ intro intima clauſtra in oratorio Monialium celebranda erant, poſteriora Epaonenſi habita Concilia ſub Leone Papa tertio, & Carolo Imperatore Magno: ſcilicet Turonenſe tertium can. 29. Cabilonenſe ſecundum can. 16. Arelatenſe ſextum can. 7. & ſub Ludovico Pio Aquiſgranenſe part. 1. can. 27. Nunc vero temporis Monialium Eccleſiæ extra clauſtra ædificantur. ut ſi externorum ad eas liber acceſſus, ſtatio autem Monialium, & Chorus, ut ſint externis inacceſſibiles, clauſtris includuntur. Quod autem ſpectat ad eas Virgines, quæ proprias parentum ædes incolebant, illuſtre præbent exemplum tres Sancti Gregorii primi Pontificis amitæ, invi-

invicem ſorores, Tarſilla, Æmiliana, & Gorgonio virginitatis voto Deo conſecratæ, de quibus ita idem Sanctus Gregorius hæc teſtatur homil. 8. in Evang. *Uno omnes ardore converſæ, uno eodemque tempore ſacratæ ſunt, ſub diſtrictione regulari degentes in domo propria ſocialem vitam ducebat.*

V. Conſecrabantur ab Epiſcopo Virgines, per manus impoſitionem, & capitis benedictum velamen, nonniſi ab anno ætatis quadrageſimo, & ut in diſſertatione ſuperiori declaratum eſt, juxta præſcriptum Conciliorum Calchedonenſis, & Carthaginenſis, ſeu potius Agathenſis, Quiniſexti, & Novellæ Majorani Auguſti. Obverſandum tamen Concilio Carthaginenſi tertio canon. 4. affigi Diaconorum ordinationem, & Virginum conſecrationem anno ætatis vigeſimo quinto. Qui Canon habetur apud Gratianum c. placuit ut ante annos: diſt. 7. Concilium iſtud dico non ſecundum, ut volunt Baronius, & Binius, ſed vere tertium, ut probat Labbæus. Et iſto quidem ſpeciali jure Africanæ utebantur Eccleſiæ Virginum conſecrationis ab anno vigeſimo quinto. Nam ſecundum Milevitanum Concilium hoc idem jus conſtituit, eamdemque præſcribit ætatem ad accipiendum virgineum flammeum: quin etiam plures allegat cauſas, ob quas tempus iſtud præveniri conveniat. Sic enim ejus Canone 26. ſancitur: *Item placuit, ut quicumque Epiſcoporum, neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis (cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel ſi aliquo etiam mortis ſcrupulo periculoſo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet) velaverit Virginem intra viginti quinque annos ætatis, non ei obſit Concilium, quod de iſto annorum numero conſtitutum eſt.* Qui canon iiſdem repetitur verbis in Concilio Africano can. 93. & in decreto Ivonis lib. 3. Citatus pariter in Concilio Turonenſi ſecundo can. 20. anni 567. Cum etiam in Concilio Arelatenſi ſecundo can. 32. excommunicatione feriat puellas, quæ ſe Deo devoverunt; & *poſt annum vigeſimum quintum ad terrenas nuptias ſponte tranſierunt*, argumento eſt in Gallicanis Eccleſiis conſecrationem virginum eodem ætatis anno fieri ſolitam, ſicut in Eccleſiis paſſim Africæ. Nam eamdem pariter decernitur ætas in virginum ſolemni ordinatione, in Capitulari Aquiſgranenſi ſub Carolo Magno. Quinetiam in Græcis Eccleſiis minor ad conſecrationem hujuſmodi aliquando conceſſa fuit ætas: Sanctus enim Doctor Baſilius in canonica, & receptiſſima ad Amphilochium epiſtola, can. 18. ad eam ordinationem Virginum non amplius exigit, quam ſexdecim completos annos. Quam eamdem deſignavit Tridentinum Sacrum Concilium ad regularem utriuſque ſexus profeſſionem. Synodus Trullana Quiniſexta canon. 40. jubet, ut ex præſcripto S. Baſilii Virgines nullæ ante XVII. annum velentur.

R. P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

De Diaconiſſis.

D I S S E R T A T I O XXIV.

I. Diaconiſſarum in Eccleſia primitiva jam inde ab Apoſtolorum ætate multiplex erat officium, ut ex Clemente Papa Romano Sancti Petri diſcipulo, ex Ignatio, atque ex Epiphanio, aliiſque veteribus colligitur. Ignatius quidem *epiſt.* 12. ad Antiochenos, eurarn illis attribuit januarum Sanctorum veſtibulorum, ſcilicet ejus partis Eccleſiæ, ad quam ſolæ fœminæ admittebantur. His enim Diaconiſſæ præficiebatur.

Saluto in Chriſto Diaconiſſas ſacrorum veſtibulorum cuſtodes: Quemadmodum etiam januis locorum, ad quæ ſoli viri conveniebant janitores, quos pariter ibidem Ignatius ſalutat πυλωρὺς,

II. Sanctus Martyr Clemens Papa lib. 3. Conſtitutionum cap. 15. & 16. hæc pariter Diaconiſſis aſſignat officia, ut ſcilicet pia Sacerdotum, & Diaconorum mandata apud fœminas exequantur; ſive diſtribuendarum eleemoſynarum, ſive mutuarum reconciliationum, ſive ſanctarum admonitionum, aut juſſionum Eccleſiaſticarum, ſive catecheſeos ejuſdem ſexus gratia. Sic enim præcavebatur, ne Clericorum cum fœminis converſationes fomitem ſuggererent vel peccatis, vel ſuſpicionibus pravis. Adjungit ibidem munus Diaconiſſarum verſari circa catechizandas cathecumenas, & proſpiciendum, ne qua hora veſtibus exuebantur ad baptiſmum, vel baptizatæ in vertice a Sacerdote perungebantur, quidnam præter decorum aſpectui, vel contactui Sacerdotis occurreret: ipſæque Diaconiſſæ reliquas unctiones in multis Eccleſiis ſuis manibus proſequebantur. Eadem ſimiliter ſcribit Epiphanius hæreſi 79. quæ eſt Collyridianorum. Concilium pariter Carthaginienſe ſub Anaſtaſio Papa quartum can. 12. præſcribit Diaconiſſis miniſterium inſtruendi fœminas baptiſmi fonte abluendas.

III. Videndum nunc de viduis Diaconiſſis, quali ætate eligebantur, quonam habitu veſtiebantur, & utrum impoſitione manus tales conſtituerentur. Quod in primis ad earum ſpectat ætatem, providet Apoſtolus 1. Timot. 5. *ut eligantur viduæ non minus ſexaginta annorum, neque bigamæ*. Tertullianus lib. de velan. virg. hæc loquitur de Diaconiſſis; *ad quam ſedem præter annos ſexaginta non eliguntur*. His aſſipulatur S. Hieronymus in Iſai. cap. 3. *Nec Eccleſiaſticis vidua ſuſtentatur alimentis, niſi quæ ſexaginta annorum eſt, & maturitatem habet pariter morum, & ætatis*. Extat pariter conſtitutio Theodoſii ſenioris Auguſti, cujus meminit Sozomenus lib. 7. cap. 16. quæque legitur in codice Theodoſiano de Epiſcop. & Cler. lib. 27. *Ut nulla niſi emenſis ſexaginta annis, qui votiva domi proles ſit, ſecundum Apoſtoli præceptum ad Diaconiſſarum conſortium promoveatur*.

IV. De Virginibus quidem, & ſacris Monialibus, quia incluſæ, neque totidem ac Diaconiſſæ muneribus exterioribus addictæ erant, ſufficiebat ad velamen ſuſcipiendum annorum quadraginta ætas. Auctor quidem vitæ S. Leonis Papæ primi, quæ eſt in Pontificali, ſic de hoc atteſtatur. *Hic quoque conſtituit, ut Monachæ non acciperent velaminis capitis benedictionem, niſi probatæ fuerint in virginitate ſexaginta* (aut, ut Codices regii referunt, ſexaginta novem) *annis*. Veruntamen nihil tale prorſus in tanti Pontificis, quæ plurima extant, decretis reperiri poteſt. Quinimmo Synodus œcumenica Calchedonenſis, quæ Sancto Leone Papa auctore celebrata fuit, cuique idem per legatos ex ſuo latere miſſos præſedit, quam & ſua roboravit confirmatione, præfixit ſolum Diaconiſſis ordinandis annum quadrageſimum ætatis, can. 15. Quinetiam eodem Sancto Pontifice Leone ſuadente, Majoranus Auguſtus adixit Novella 8. ne qua virgo a ſuis parentibus oblata ſacrum velamen accipiat ante quadrageſimum ætatis annum. Eaque limitatur conſtitutio in illis, quæ a parentibus offerunt, ad conſulendum puellarum libertati, ne qua vis aut coactio a progenitoribus fieret. Quamvis autem in illis Eccleſiæ primordiis, providerit Apoſtolus, Diaconiſſas non admitti ante annos ætatis ſexaginta, proceſſu temporum illa præfinitio annorum ſenſim laxata fuit; & ad annos ætatis quadraginta reſtricta eſt: ut perſpicuum ſit per memoratum Calchedonenſem Canonem, & inſuper conformem Agathenſis Concilii can. 19. qui tamen non de Diaconiſſis, ſed de ſanctimonialibus velandis ſic decernit: *Sanctimoniales quamlibet vita earum, & mores probati ſint, ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum non velentur*. Qui canon falſo a Gratiano attribuitur Concilio Carthaginenſi tertio; can. Sanctimoniales: 20. q. 1. Concilium in Trullo Quiniſextum can. 14. & Vormatienſe can. 73. Diaconiſſas expreſſe vetant ordinari, ſicut & Calchedonenſis can. 15. antequam attigerint quadrageſimum ætatis annum.

V. Diaconiſſarum habitum fuiſſe a ſeculari diſtinctum probat Concilii quarti Carthaginenſis can. 104. his verbis: *Viduæ, quæ ſe devoverunt Domino, & veſte laicali abjecta ſub teſtimonio Epiſcopi, & Eccleſiæ in religioſo habitu apparuerint*. Et qui præcedit can. 103. eaſdem dicit ſtipendiis Eccleſiarum ſuſtentari. Concilium pariter Toletanum quartum can. 55. hæc de diſtinctis ab habitu ſæculari veſtibus enunciat: *Quæ forma ſervabatur et-*

etiam in viduis, virginibuſque ſacris, & *pœnitentibus fœminis, quæ ſanctimonialem habitum induerunt, & poſtea aut veſtem mutaverunt, aut ad nuptias tranſierunt*. Viduas tamen, quales erant Diaconiſſæ, velari omnino prohibet Gelaſius Papa epiſt. 9. ad Lucanos, & Siculos, can. 13. De virginum porro, & viduarum, quæ ſtipendiis Eccleſiarum alebantur, incumbente Epiſcopis ſolicitudine multa refert Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, ſub cujus poſtea Epiſcopatu Eccleſiam eximia ſanctimonia decorarunt Diaconiſſæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, Olympias, Pentavia, Salvina, quæ de primariis totius Imperii proſapiis ortæ, & maritis dignitate toto orbe præcipuis orbatæ, diſtributis in egenos ampliſſimis opibus, ſeſe paupertati, humilitati, & Eccleſiæ obſequiis addixere. Neque vero hic ommittendum alterum, præter ſuperius relata, Diaconiſſarum officium ex Hieronymo epiſt. ad Nepotianum ſcilicet ægrotorum cura, & miniſterium: *Multas* (inquit) *anus nutruit Eccleſia, & quæ officium præbeant, & beneficium recipiant miniſtrando, ut infirmitas tua fructum quoque habeat eleemoſynæ*.

VI. Supereſt, ut de harum ordinationibus differamus. Etiamſi doctiſſimus Baronius ad annum Chriſti trigeſimum quartum n. 288. innixus, ut ipſe autumat, Nicænæ Synodi can. 19. ſcribat, nullam olim fuiſſe in Diaconiſſis conſecrandis adhibitam manuum impoſitionem, alii tamen antiqui Canones manuum impoſitione ſolitas illas ordinari confirmant. Nicænus vero canon nihil iſtis obſiſtit: loquitur enim ſpeciatim de Paulinianiſtarum baptiſmo, quem declarat inanem, ac irritum, & ut qui ex iſta hæreſi convertuntur novo abluantur baptiſmo, ac deinde, ſi ita viſum fuerit, ordines eis de novo conferantur, quales in ſua hæreſi indebite exercuerant. Prohibet tamen converſas ex eadem hæreſi Diaconiſſas ad idem officium aſſumi, manuſque ipſis imponi. Certe ſi ejuſmodi tota Eccleſia viguiſſet diſciplina, ne Diaconiſſæ manus impoſitionem ſubirent ſupervacaneum eſſet id ſpeciatim in Diaconiſſis, quæ Paulinianiſtarum hæreſim profeſſæ aliquando fuiſſent, prohibere. Cauſa itaque hoc prohibendi ad præteritam hæreſim referenda eſt: Patres enim Nicæni præcipue convenerant ad hæreſim Arianam reprimendam in hoc cum Pauliniana convenientem, quia utraque Chriſto divinitatem adrogabat. Quia vero præcipuum Diaconiſſarum officium in catechizandis fœminis ad baptiſmum aſpirantibus verſabatur, grave periculum erat cathecumenarum inſtitutionem fœminœ committere, quæ in hæreſi ultra ſexaginta annos (quod eſt præſupponendum inconverſis Diaconiſſis) conſenuerit; & mutabile ſexus ingenium cauſa plerumque eſt, ut earum fides vacillet poſt oppoſitam tot annorum profeſſionem.

VII. Juvabit quoque altera diſtinctio, ſi ad Canonem Nicænum reſpondeas, excludi quidem Diaconiſſas a Sacramentali manus impoſitione, qualis proculdubio cenſenda eſt, quæ in Diaconiſſis diſerte requirunt, præcipue Calchedonenſe: cujus canonis verſio Dionyſiana, Græco exemplari perſecte conformis: ait, *Si autem poſtquam manuum impoſitione ſuſcepta, &c* Græcum exempla: ſic habet: ει, δε γε δεξαμενη την χειροθεσιαν. &c. Si voce χειροτονια uteretur, quæ nunc ſuffragium, nunc electionem ſignificat, res eſſe ambigua; ſed vox quam adhibet, χειθεσια nihil aliud quam manus impoſitionem exprimit. 8. Deferveſcente tandem pietatis, ac religionis ſtudio, & gliſcentibus Diaconarum vitiis, deficiente pariter conſuetudine baptiſmum in provectiorem ætatem differendi, paulatim exoleſcere cœpit Diaconiſſarum miniſterium. Siquidem ſub ipſo Leone primo habitum Arauſicanum primum Concilium can. 26. de illis abolendis cogitans ita decernit: *Diaconæ omnimodis non ordinandæ. Si quæ jam ſunt, benedictioni, quæ populo impenditur capita ſubmittant*. Quibus verbis eas quæ ſuperſunt in ſtatum redigit vulgarem, ac ſæcularem. Deinde ſub Hormiſda Pontifice Concilium Epaonenſe ſic decernit can. 21. *Viduarum conſecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni regione noſtra penitus abrogamus, ſola pœnitentiæ benedictione ſi converti ambiunt imponenda*. Demum Aurelianenſis ſecunda Synodus, ſub Joanne Papa ſecundo, ita ordinavit can. 18. *Placuit etiam, ut nulli poſtmodum fœminæ Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur*.

Digitized by Google

AD CAPUT XIX. D. C. P. A.

De Collectis Chriſtianorum.

DISSERTATIO XXV.

Ex Italico latine nunc primum reddita & adnotationibus a F. A. Z. illuſtrata. (1)

I. ETſi hujus vocis, qua diſſertatio iſthæc mea prænotatur, ampliſſima eſt ſignificatio, contracta tamen eſt materies, de qua agere aggredior. Pauca de *collectis* apud Auctores quos bene multos conſului, reperire mihi licuit; quamquam ſi omnia perſequi vellem, quæ hoc nomine denotantur, ſpiſſi materies voluminis deſutura mihi non eſſet. Nam ut ne de numinis loquar, quos in more poſitum veteribus fuit ſolvere, quum collatis ſumptibus cœnam quampiam inſtruerent, & *collectarum* nomine donabant (*a*), utque ſilentio prætercam regia tributa, mulctaſque, quas Galli (*b*) *collectas* appellare conſueverunt (2), plura *Collectæ* nomen ſignificat. Privatam nempe familiam, religioſum conventum, ſacrum profanumque cœtum (3), populi ad hoſtem aggrediendum, aut repellendum armati congregationem, omne Eccleſiaſticarum exercitationum genus, incruentum Altaris Sacrificium, Orationem, qua Clericorum, aut Monachorum Præſes horas Canonicas ſolet concludere, omnes generatim Eccleſiæ orationes (4) Librum ipſum qui haſce continet (*c*), pecuniam denique ſignificat, quæ ad aliquam expeditionem pro Religione ſuſcipiendam cujuſmodi erant crucigerorum in Palæſtinam bellicæ commigrationes) a Principe colligi poteſt (*d*). Verum longe aliæ *Collectæ* ſunt, de quibus verba mihi facienda ſunt, eleemoſynæ ſcilicet, quibus Fideles unius Eccleſiæ pauperes alterius Eccleſiæ juvare ſolebant. Hæc quoque eleemoſynæ *Collectæ* dicebantur; quarum quidem uſum ab Judæis ad Chriſtianos manaſſe compertum eſt. Nam in veteri Teſtamento ſæpe occurrunt ejuſmodi *Collectæ ſive* ad rerum divinarum cultum mplificandum (*Exodi* 33. 36. 37. 38.) ſive ad pauperum ſublevandam inopiam inſtitutæ (1)

II. Ut ergo ad Chriſtianorum *collectas* ſermonem contraham, prior, cujus in ſcripturis mentio fiat, ea eſt, quam fame ab Agabo prænunciata ingruente Antio-

(1) Extat hæc diſſertatio in libro inſcripto: *Raccolta Milaneſe dell' anno* 1757. nos illam paullo poſt initium nonnihil contraximus; noſtræ præterea ut ab Auctoris adnotationibus ſecernerentur, illas Arabicis numeris, has alphabeti litteris deſignavimus.

(*a*) Cicer. *lib.* 2. de *Orat. Cap.* 57. *Comm. Dionyſ. Lambini in Plautum in Curculione Act.* 4. *Scena* 1.

(*b* Encyclopediæ, ou dictionnaire raiſonne des Sciences v. *Collectæ*.

(2) Confer præter Cangium P. de la Cerda *adverſaria Sacra cap.* LXVIII. *n.* 8.

(3) Sic, ut exempla a Cangio adlata prætercam, in *Reſponſoriali*, & *Antiphonario Romanæ Eccleſiæ* apud Thomaſium legere eſt. *p.* 72. T. IV. *operum Thomas*: *Collecta ad S. Nicolaum*. Confer Vezzoſium ad eum Thomaſii locum.

(4) Vide de la Cerda *Adverſ. Sacr. cap.* XLII.

(*c*) du Cange. V. *Collecta*. (Adde Card. Bonam *Rer. liturg. lib.* 2. *c.* 5. §. 3. & Salam in eum Bonæ locum *T.* III. *pag.* 96.)

(*d*) Chambers, v. *Collecta*.

(1) Heic multa reſecuimus, quæ ad confirmandum, illuſtrandumque collectarum apud Judæos uſum diſſertationis Auctor in medium adtulerat; quod quidem cum ipſa quam ſequimur, brevitas ſuaſit, tum ea opinio, in qua omnino ſum, non tam ab Judæorum moribus, quam a Chriſtianæ charitatis legibus Collectas apud Majores noſtros derivaſſe.

tiocheni contulerunt (*a*), ſecundo juxta Dionem (*b*) anno Claudii, quarto autem ejuſdem Claudii ex Euſebio (*c*). Incidit hæc collecta, quemadmodum oſtendit ſocius noſter, qui iter ejus cauſſa a Paulo ſuſceptum deſcripſit (1), in annum vulgatæ Aeræ XLIV. (2), nempe ſecundum ſyſtema a nobis cooptatum, XV. a Domini morte (3). Jamvero ab inſtituto noſtro alienum haud erit inquirere, num hac Epocha antiquior ſit in Eccleſia noſtra Collectarum conſuetudo? ſeu an ante annum XLIV. collectæ fuerint a Chriſtianis conſtitutæ? Etenim pauperes non paucos illis temporibus ejurata Judaica lege, Gentium quoque Religionibus deſertis ad Chriſtianam fidem tranſiiſſe novimus.

III. Atque illud primum animadverto, ipſius lege naturæ, quam cum Moſaica, tum Chriſtiana lex confirmavit, Altaris miniſtros debere populorum oblationibus ali. Enimvero ne ad hanc veritatem comprobandam Ethnicorum erga ſuos Sacerdotes conſuetudines in medium adferam, ſcimus Deum ipſum in veteri lege Sacerdotum, ac Levitarum alimentis percommode conſuluiſſe. Quamobrem Chriſtus ipſe Eccleſiæ ſuæ fundamenta quum jaceret, vetuit, Apoſtolos aurum, argentumve, aut duas veſtes poſſidere, monens dignum eſſe operarium ſua mercede (*d*); itemque juſſit, in eorum, quos Fidei præceptionibus imbuiſſent, domibus comedere illos, ac libere (*e*). Præterea piæ aliquot, æque locupletes fœminæ aderant, Luca teſte (*f*), quarum ipſe, ejuſque Apoſtoli ſumptibus alebantur. Neque his contentus, ut ſuo exemplo futuram Eccleſiam doceret, voluit ſervator optimus loculos habere Judam, in quibus erogatæ ſibi eleemoſynæ in ſuos atque Apoſtolorum pro opportunitatibus uſus ſervarentur (*g*). Audi jam Apoſtolum de hoc alendorum Sacerdotum officio Laicos commonentem (*h*) *Quis militat ſuis ſtipendiis umquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid ſecundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi: non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt: quoniam debet in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? Sed non uſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti. Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

IV. At pauci erant tunc temporis Divini verbi miniſtri, ac parvo contenti vivebant, nec erat cur Paulus ceterique Apoſtoli Neophitos ſuos de pinguibus oblationibus ad ipſos deferendis tam graviter copioſeque monerent. Alio ergo hiſce exhortationibus ſpectabant. Nempe hoc erat ipſorum conſilium, a terrenarum divitiarum amore Fidelium animos avocare, diviteſque ad ea quæ pauperum alimoniæ ſatis eſſent, liberaliter elargienda excitare. Quare ad Chriſti Domini imitationem quidquid ipſis e tenuiſſimo quo contenti erant, victu ſupereſſet, pauperibus, quorum initio curam ſuſceperant, Apoſtoli diſtribuebant. Itaque quum primi Fideles perfectam vitam ſtudioſe conſectarentur, in Apoſtolos quoque ac Magiſtros ſuos largitate ſane maxima utebantur, ut pauperibus propterea ſatis conſultum eſſet, quin collectæ fierent.

V. Præterea nulla primis illis temporibus

(*a*) Act. XI. (*b*) Dio *Lib.* LX. (*c*) Euſeb. *in Chronico*.

(1) Nempe in eruditorum quorumdam cœtu Mediolani de Apoſtolorum itineribus inſtitutæ fuerunt *an.* 1757. diſputationes.

(2) Pearſonio tamen, Uſſerio, ac Tillemontio præplacet annus XLIII. atque hunc in Bibliorum Remondiniana editione *an.* 1758. ſequutus ſum.

(3) Anno ſcilicet vulgatæ æreæ XXIX. Conſulibus Geminis Chriſtum Dominum in Crucem actum fuiſſe ſentiunt eruditi hi viri Mediolanenſes, quorum ſententiam maxime probo.

(*d*) Matth. X. (*e*) Luc. X. (*f*) Luc. VIII. (*g*) Joh. XII. (*h*) 1. Cor. IX.

ribus collectarum videtur fuiſſe neceſſitas, quum qui ad Chriſtianorum ſacra tranſirent, bonis ſe ſe ſuis abdicarent, pretiumque ad Apoſtolos deſerrent in egenos ex æquo diſtribuendum, nec inter illos qui ditior eſſet aut pauperior, reperiretur, ſed communem quamdam vitæ rationem omnes inirent (*a*). Adde tantam Apoſtolis fuiſſe pecuniæ vim, ut ne ab Evangelii prædicatione avocarentur, viduis primum, deinde Diaconis (*b*) credere ejus adminiſtrandæ curam debuerint.

VI. Atque id quidem ajo de primæva Eccleſia e ſolis Judæis coacta ante S Stephani mortem; quo ſcilicet tempore conſtat; Fideles omnia quæ poſſiderent, venum dediſſe, pretiumque Apoſtolis numeraſſe, hos vero divino afflatos Spiritu quum futuram Eccleſiæ perſecutionem, atque ab Judæis ad Gentes Evangelium transferendum prænoſcerent, nemini prædiorum ſuorum retinendorum poteſtatem feciſſe, ne ad Chriſtiani nominis perſecutores devenirent (*c*). Quod vero ad Eccleſiam ſpectat tempore S. Stephani martyrium inter, & Evagelicam Gentibus prædicationem medioconſtitutam, cenſeo collectas ad pauperum alimoniam fuiſſe factas. In Eccleſiis porro Ethnicorum ad fidem noſtram converſorum, in quibus fideles juſſos fuiſſe quæ poſſiderent divendere, inque communem Eccleſiæ theſaurum conferre non conſtat (1), ita ſtatuo, pauperibus quæ Apoſtolis, ceteriſque ſacris Miniſtris ſupereſſent fuiſſe diſtributa, atque ubi hæc illis alendis ſatis haud eſſent, eleemoſynis, collectiſque eorum egeſtati fuiſſe proviſum. Quare etſi ante Antiochenam illam pro Palæſtinæ Fidelibus nulla in ſacris literis mentio collectarum occurrit, nullus tamen dubito, a morte Stephani ad annum Aeræ vulgaris XLIV. in variis cum Judæorum, tum Ethnicorum Eccleſiis fuiſſe collectas alias indictas. Quod autem collecta illa Antiochenſis non ad privatas Eccleſiæ illius egeſtates, ſed ad publicas Eccleſiarum alterius Provinciæ levandas inſtituta fuerit; heinc fortaſſe factum, ut ceteris ſilentio præteritis illam facer hiſtoricus commemoravit.

VII. Ejus autem hæc videtur occaſio fuiſſe. Admodum veroſimile eſt, fideles in S. Stephani obitu Hieroſolymis pulſos, atque in Palaſtina ſere (*d*) diſperſos communem illum Eccleſiæ ſuæ theſaurum in ea perſeutione amiſiſſe; idque Paulus in ea quam ad ipſos dedit, epiſtola indicare videtur (*e*). Quare mirum non eſt, longe graviorem ipſis fuiſſe famem ab Agabo prænunciatam. Miſerrimo eorum ſtatu commoti Antiocheni Diſcipuli Paulum ac Barnabam opportuni ſubſidii delatores illico ad eos miſerunt. Quod unum in hac collecta dignum animadverſione videtur, illud eſt, Antiochenos quæ collegerant, miſiſſe *ad ſeniores per manus Barnabæ, & Sauli* (*f*). Enimvero inter eruditos viros minime convenit, quid hoc Actorum loco *Seniorum* nomen deſignet. Apoſtolos aliqui eo denotari contendunt; quod tamen alii negant, ea potiſſimum ratione ducti, quod ex Apoſtolis tunc Hieroſolymis fuiſſe unus Jacobus videatur, idque hoc etiam argumento confirmant, quod Hieroſolymitani hujus itineris in epiſtola *ad Galatas* Paulus non meminerit, illud minime prætermiſſurus, ſi Apoſtoli illa urbe non abſuiſſent. Quamquam nullius mihi ponderis argumentum hocce videtur, quum enim S. Jacobum Hieroſolymis Paulus offenderit, ejus ſaltem cauſſa iter illud in litteris *ad Galatas* memorare debuiſſet. Diaconos Menochius *Seniorum* nomine heic intelligit; Presbyteros alii, qui cum Epiſcopo, Apoſtolis abſentibus, Eccleſiam adminiſtrabant. Non eſt hujus loci inquirere, an Chriſtiana Eccleſia in iis quæ ad exterius regimen ſpe-

(*a*) Act. II. (*b*) Act. VI.

(*c*) Gratianus 12. 9. 1. *Can. futuram* tribuit Melchiadi Papæ ſeq. *Futuram Eccleſiam in Gentibus Apoſtoli prævidebant; idcirco prædia in Judæa minime ſunt adepti, ſed pretia tantummodo ad fovendos egentes.*

(1) Fuere tamen aliqui, qui id inſtituti genus non Hieroſolymitanæ proprium ſed commune omnium, quæ tunc exſtarent, Eccleſiarum fuiſſe adfirmarent. Quamquam hos refelli a Salmaſio *lib. de uſuris c.* 21. docet Moshemius in quadam *de vera natura communionis bonorum apud Lucam* diſſertatione. Qui Theraupeutas Chriſtianos fuiſſe defendunt, hi Alexandrinam quoque Eccleſiam Hieroſolymitanæ moribus vixiſſe fateantur, neceſſe eſt.

(*d*) *Act.* VIII. (*e*) *Ad Hebr.* X. 34. (*f*) *Act.* XI.

ſpectat, fere ad Synagogæ Judaicæ normam tunc temporis conformaretur, quodque hujuſmodi regimen eſſet a Moſe inſtitutum. Ne illud quidem heic a me diſputandum, num in ipſis Eccleſiæ primordiis duo tantum Hierarchici ordines fuerint. Apoſtolorum alter, alter Diaconorum? quod nonnulli defendunt, aliis contra pugnantibus, Præsbyteros præterea Epiſcopis inferiores jam tunc extitiſſe. Id igitur unum dicam, ab Antiochenis Diſcipulis fuiſſe cum collectis Paulum & Barnabam miſſos *ad Seniores*, nempe ad Eccleſiæ principes viros, quicumque demum ii fuerint, ſive Apoſtoli, ſive Epiſcopi, ſive Presbyteri, ſive etiam Diaconi. Si eo temporis fuere Hieroſolymis Apoſtoli, aut Epiſcopi, his certe traditæ eleemoſynæ fuerint; quemadmodum Presbyteris, ac Diaconis, ſi hi tantummodo illic aderant. Laicis ætate ſenioribus creditæ profecto non fuerunt, neque enim credibile eſt, Eccleſiæ illi Sacros tunc defuiſſe Miniſtros. Sunt qui velint, Seniores fuiſſe Epiſcopos Urbium Hieroſolymitanæ Eccleſiæ proximarum, qui ad negotia magni momenti tranſigenda illic congregari ſolerent; his tamen adverſatur eruditus Auguſtin. s Calmecius (*a*) cui veriſimilibus videtur, hoc nomine intelligendum eſſe univerſum Eccleſiæ Senatum, ex præcipuis membris illius atque Miniſtris, Apoſtolis, Epiſcopis, Sacerdotibus, & Diaconis conſtitutum. Chriſtiani tamen Hieroſolymorum non fuere ſoli, quibus hacce collecta ſubſidium pararetur. Narrat enim Joſephus (*b*) Helenam Adiabenorum Reginam, quum Hieroſolymam ſumma caritate laborare, ac plurimos eſſe, qui fame laborarent, vidiſſet, miſiſſe qui Alexandriæ fruges, & in Inſula Cypro caricas emerent, hæcque omnia in miſeram Urbem delata, ac vulgo diſtributa vitam non exiguo hominum numero ſervaſſe; Iſatem quoque ejus filium miſiſſe eadem de cauſſa ingentem auri vim ad Hieroſolymæ Magiſtratus in pauperes erogandam (1)

VIII. In perſecutione poſt S. Stephani obitum mota Fideles omnia, aut fere omnia, quæ in communi poſſidebant, bona amiſiſſe ſupra indicatum eſt; quod quidem præter probabile ſatis argumentum, quod ex Pauli Apoſtoli ad Hebræos epiſtola (*c*) ducitur, facile quiſque ſibi perſuadebit, ſi ad odium, quo in Chriſtianos ferebantur Judæi, ac tumultus, ſeditioniſque tunc excitatæ impetum animum adjecerit. In extremam ergo paupertatem novi illi Fideles dejecti erant, quæ ab Apoſtolorum providentia miſerationem, curamque ſibi omnem merebatur. Quapropter hi quum in Hieroſolymitano Concilio Pauli ac Barnabæ doctrinam probaſſent, id unum iſtis etiam atque etiam commendarunt, (*d*) pauperum ut memores eſſent, inque regionibus, quas Evangelica prædicatione imbuiſſent, eleemoſynas pro illis ſedulo colligerent. Atque heinc plurium in Pauli Epiſtolis collectarum mentio.

IX. Prima ad Theſſalonicenſes epiſtola (*e*) ait Apoſtolus: *de caritate autem fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis, ipſi enim vos a Deo didiciſtis, ut diligatis invicem: Etenim illud facitis in omnes fratres in univerſa Macedonia* (cujus urbs erat Theſſalonica). *Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis.* Hæ porro eleemoſynæ erogari collectis, quibus divites pauperioribus ſuæ Provinciæ ſubveniebant, erogari debuere. Videbimus infra. Macedoniæ Eccleſias ut ab Judæis, Ethniciſque vexatas aliarum adeo non indiguiſſe ſubſidio, ut potius ipſæ Chriſtianorum Judææ egeſtatibus largiter conſuluerint.

X. Caput primæ ad Corinthios ſextum ac decimum his verbis idem Apoſtolus inchoat: *de collectis autem, quæ fiunt in Sanctos* (2), *ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unam Sabbathi unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non, quum venero, collectæ fiant. Quum autem præſens fuero; quos probaveritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram*

(*a*) *in eum Actorum locum.* (*b*) *l. 20. Antiq. Judaic. c. 2.*

(1) Hanc tamen Joſephi hiſtoriam nuperus Judæi Scriptoris interpres Gallus, idemque vindex Gilletius in falſitatis ſuſpicionem vocat, *ad eum librum animadv.* 11.

(*c*) x. 32. (*d*) *cap. II. v. 10.* (*e*) *cap. IV. v. 9. & 10.*

(2) Veterum Chriſtianorum nomen, quod pluribus teſtimoniis Mamachius confirmat Tom. 1. *orig. & Ant. Chriſt.*

ram in Jeruſalem. Quod ſi dignum fuerit, ut & ego eam, mecum ibunt. Ubi animadverto, Apoſtolum Corinthios ad caritatem ut acueret, Galatarum uti exemplo: quibus proinde aut voce coram, aut per quempiam Miniſtrum, aut epiſtola aliqua, quæ perierit, debuit collectas præcepiſſe; illarum certe in ea, quam habemus, ad Galatas epiſtola nulla fit mentio, & ſolum in ea Fideles monentur, ut *communicet is, qui catechizatur verbo*, ei, *qui ſe catechizat, in omnibus bonis*, nempe ex bonis ſuis opem afferat erudienti. Præterea etſi Apoſtolus indefinite dicit, *per unam Sabbathi* unumquemque apud ſe debere ſeponere *quod ei bene placuerit*; Interpretum tamen ſententia eſt (1), die Dominico id factum, quamvis S. Leonis temporibus ſecunda ac tertia feria collectas habitas reperiamus (*a*). *Gratiam* autem Apoſtolus eleemoſynas vocat, quemadmodum & in aliis ſæpe locis (*b*), neque enim decebat, inquit Oecumenius (*c*) hoc altero vocabulo uti, quod Sanctis præterea, quibus conferri debebant, erat indignum. Tandem, quod ad eam partem, in qua de aliquibus agitur Hieroſolymam ad deferendas eleemoſynas mittendis agitur, obſcurus videtur is Apoſtoli locus, & variata interpunctione (2) ſignificare poteſt, Apoſtolum niſi Corinthum veniſſet, Hieroſolymam, quos datis ad eum litteris Corinthii ipſi probaſſent, miſſurum fuiſſe; aut miſſurum Apoſtolum cum epiſtolis ſuis, quos Corinthii probaſſent, aut denique miſſurum illos cum Corinthiorum, & ſuis ipſius litteris; tunc enim in more poſitum erat, commendatitias ac fiduciarias fidelibus litteras tradere pro aliis eorum locorum, ad quæ proficiſcerentur, Chriſtianis.

XI. Quum priorem hanc ad Corinthios epiſtolam Apoſtolus dedit, Epheſi etiam tum morabatur; Macedoniam tamen cogitabat, quo Timotheum, & Eraſtum præmiſerat. Macedoniam deinde & ipſe profectus Evangelii prædicatione detinebatur, quum Titus Troade ab ipſo fruſtra quæſitus ad eum adiit. Solatus eſt Paulum Titus, fauſtiſſimis de Corinthia Eccleſia nunciis adlatis, deque eleemoſynis, quas Fideles Achajæ Fidelibus Judææ parati erant ſuppeditare. Hoc ſtatim exemplo uſus eſt Apoſtolus Macedoniæ Chriſtianos ad uberes pro Palæſtinæ Fidelibus collectas incitaturus. Heinc Corinthios ut inceptis confirmaret, ſecundam ad eos epiſtolam perſcribere conſtituit. In hac (*d*) Eccleſiarum Macedoniæ exemplo Corinthios rurſus hortatur, ut in Palæſtinæ Fideles eſſe liberales velint, atque *notam*, inquit, *facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ, quod in multo experimento tribulationis, abundantia gaudii ipſorum fuit; & altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum: quia ſecundum virtutem teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarii fuerunt, cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam, & communicationem miniſterii, quod fit in Sanctos; & non ſicut ſperavimus, ſed ſemetipſos dederunt primum* Domino, *deinde nobis per voluntatem Dei; ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam. Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni ſolicitudine, inſuper & charitate veſtra in nos & in hac gratia abundetis*. Macedonum perſecutiones, quas heic Apoſtolus indicat, eæ ſunt, quas cum ab Judæis, tum ab Ethnicis Philipporum, ac Theſſalonicæ Fidelibus illatas fuiſſe ex Apoſtolorum Actis conſtat (*e*). Pium hocce officium Macedonum precibus ſuſcepit Apoſtolus, atque Hieroſolymam eleemoſynas detulit, illicque diſtribuit, quemadmodum hæc ipſa Epiſtola (*f*) & Apoſtolorum inſuper Actus teſtificantur (*g*).

XII. Cœptam ad Corinthios exhortationem Paulus proſequitur, neque ſe ait illis

(1) Theophylactus admonet *unam* dictam eſſe pro *primam*; in quo conſentit Chryſoſtomus. Confer Baronium ad *ann.* 44. *n.* LXVIII.

(*a*) *Serm. de Collect. & jejun.* 2. & 3. (de quibus infra)

(*b*) II. *Cor.* VIII.

(*c*) *in hunc locum.*

(2) Nullus variæ interpunctioni locus in prima illa explanatione; ſed ſolum in duabus ſequentibus.

(*d*) *c.* VIII. & IX.

(*e*) *Act.* XVI. & XVII.

(*f*) VIII. 19. IX. 1. Vide etiam

(*g*) I. *Cor.* XVI. 15.

(*h*) XX. 22. & XXIV. 17.

illis imperare, ut quantum Macedones egerant, tantumdem ipſi præſtarent; Chriſti tamen exemplum urget, qui *propter nos egenus factus eſt, quum eſſet dives*. Addit, haſce eleemoſynas *utiles* ipſis futuras, ob meritum ſcilicet, quod apud Deum eſſent ſibi illis comparaturi, ſanctumque quod ceteris Fidelium Eccleſiis præbituri eſſent, exemplum. In mentem illis revocat, fuiſſe ipſos ad elargiendas eleemoſynas præterito jam anno paratos, quin & eas colligere cœpiſſe: quæ Corinthiorum alacritas priori ad ipſos Apoſtolos datæ epiſtolæ tribuenda veroſimiliter eſt. Quamobrem jure potuit (quod ipſa hæc docet epiſtola) (*a*) S. Paulus Corinthiorum exemplum Macedonibus proponere ad eos vehementius excitandos; etſi enim hi citius collectam perfecerant, illi tamen antea inchoaverant. Monet deinde illos, ne ob iſtas eleemoſynas putent ſe pauperes factum iri, Deus enim voluntatem ſpectat; neque ſe velle, ut ultra vires largi ſint, ſed ſolum ut quamdam inter ſe, & Judeæ pauperes ſervent æqualitatem; quam in rem Mannæ exemplum uſurpat; Deus enim permiſit ut qui plus ex manna collegerat, non abundaret, & qui minus, ei manna non deficeret, ſed ad æqualem omnes menſuram redigerentur. Ubi Apoſtolus exiſtimaſſe videtur, non populi principes ex æquo manna diſtribuiſſe, quemadmodum Hebræus textus indicat, ſed Divino quodam miraculo effectum, ut qui majorem mannæ copiam collegerant, in urna non plus invenirent, quam qui minus collegerant, ut LXX. Interpretum verſio fert. Gratias deinde Paulus, Deo agit, *qui dedit eamdem ſollicitudinem* pro Corinthiis *in corde Titi*, ut collectarum cauſſa eſſet ad Corinthios *ſua voluntate profectus*. Addit a ſe cum Tito alium fratrem fuiſſe miſſum. Porro inter eruditos viros diſputatur, Lucaſne, an Barnabas, an Silas, an Apollo heic deſignetur? Qui a Barnaba ſtant, urgent, fuiſſe illum Pauli peregrinationum ſocium deſtinatum. Verum & alii, quorum Acta Apoſtolica non meminere ad id muneris eſſe potuerunt electi, ut Doctoris Gentium ſocii eſſent, quemadmodum Barnabas. Certe S. Lucas in pluribus itineribus Apoſtolo comes fuit. Nihil aliud addam hac ſuper obſcuriſſima quæſtione (1) nam ne ad meum quidem inſtitutum non pertinet; potius aliqua dicam de inſigni, qua Paulus collectarum pecuniam adminiſtrabat, cautione.

XIII. Grotius (*b*) & alii (*c*) putant, hanc fuiſſe Hebræis in eleemoſynarum diſtributione conſuetudinem, ut probati viri omnino tres deligerentur, quibus ea cura committeretur, juſtæ ſcilicet ac fidelis diſtributionis teſtes futuri. Quam laudabilem conſuetudinem pro Macedoniæ, & Achajæ collectis volens Apoſtolus ſervare, præter Titum, fratremque, cujus nuper meminimus, alium illuc miſit, qui fueritne Apollo, an Epinetus, an Zenas, an Sylas, an Soſthenes, an Lucas, incertum eſt. Quiſquis is fuerit, Paulus Corinthiis præſtat, ſollicitum illum ſemper fuiſſe pro rebus ad Eccleſiam pertinentibus, tunc autem multo ſollicitiorem eſſe, quod Palæſtinæ Fideles eleemoſynis ſublevandos eos bene animatos ex Tito acceperat. Heinc eum, ſocioſque Corinthiorum benevolentiæ commendat.

XIV. Pergit Apoſtolus mirabili ſane artificio ad Collectas Corinthios acuere. Fatetur *de miniſterio, quod fit in Sanctos, ex abundanti eſſe ſibi ſcribere illis*; deinde ſe ait *de illis gloriari apud Macedones, quoniam & Achaja parata eſt ab anno præterito, & Corinthiorum æmulatio provocavit plurimos*. Qua in re prudens Apoſtoli charitas digna eſt quæ obſervetur; dum enim Corinthios hortatur, Macedonum exemplo utitur; contra iſtorum alacritate illorum tarditatem excitat. Addit, miſiſſe ſe fratres, *ut ne quod gloriabatur de illis, evacuaretur in hac parte*, utque celeriter collectas perficiant, monet, *ne quum venerint Macedones ſecum, & invenerint eos imparatos, erubeſcat in hac ſubſtantia*. Varios demum recenſet eleemoſynæ fructus, hancque epiſtolæ ſuæ partem concludit.

XV. Nihil de Collectis invenio in epiſtola ad Romanos, niſi quod Apoſtolus ſcribit, venturum ſe ad Urbem or-

(*a*) II. *Cor.* IX.

(1. Confer Calmetium, & Fabricium in cap. VII. S. Hieronym. *de Viris Illuſtribus*.

(*b*) ad cap. VIII. ep. II. ad *Cor.* v. 18.

(*c*) Maimonides *T.* III. *fol.* 83.

bis Principem, poſtquam Macedoniæ & Achajæ collectas Jeruſalem detuliſſet (a). Hoc extremum eſt, quod ob hanc cauſſam ſuſcepit Apoſtolus iter; poſt hoc enim Cæſareæ duos annos in carcere manſit; heincque Romam fuit miſſus.

XVI. Philippis, quæ Urbs Romana colonia erat, partiſque Macedoniæ princeps, plures pro Paulo collectæ ſunt habitæ. Ejus Eccleſiæ Fideles omnibus, qui ab Apoſtolo fuerant Fidei lumine colluſtrati, gratiore in illum animo fuere. Poſtquam a vinculis, quibus in ea Urbe fuerat ob Evangelii prædicationem adſtrictus, Amphipolim, Apolloniam, Theſſalonicam, aliaſque ad civitates ſe contulit. Quo quo autem progrederetur, Philippenſes (b) eum pecunia juvabant. Bis enim Theſſalonicam (c); ſemel etiam Corinthum (d) ad illum pecuniam miſerunt. Ut autem Romæ illum carcere damnatum intellexerunt (e), Epaphroditum aut Epiſcopum, aut ſuæ Eccleſiæ miniſtrum (f) deſtinarunt, qui ſufficientem pecuniæ vim ad eum deferret: de qua in ſe charitate gratias illis plurimas S. Apoſtolus agit (g)

XVII. Aliam nullam in Pauli epiſtolis collectarum invenio mentionem. Solum Hebræos (h) admonet, *ut hoſpitalitatem nolint oblivisci*, & *meminerint vinctorum, tanquam ſimul vincti*: quod quidem etſi ita intelligi poteſt, ut Paulus voluerit, inviſi illos ab Hebræis debere, ac conſolatione ſuis in ærumnis levari, nihil tamen vetat, quominus eleemoſynas ex iis, quæ ipſis in tanta eorum calamitate ſuperfuerant, commendaſſe Apoſtolus dicatur. Enimvero Paulo poſt eos hortatur, ut *beneficentiæ, & communionis* (bonorum) *nolint oblivisci, talibus enim*, inquit, *promeretur Deus*.

XVIII. Etſi vero Apoſtolo Paulo & Barnaba ab Hieroſolymitano Concilio eſt pauperum, atque Hieroſolymitanorum præſertim, & Palæſtinorum delata cura, nullus dubito, parem illorum fuiſſe ceteris Apoſtolis ſollicitudinem, ac mihi omnino perſuadeo, ab his in eorum ſubſidium fuiſſe ex variis, quas Evangelica prædicatione imbuebant, provinciis eleemoſynas miſſas. Neque pro ſolis Hieroſolymitanis fidelibus, ſed & pro aliarum Eccleſiarum pauperibus Chriſtianis collectas ab illis inſtitutas fuiſſe veroſimile eſt.

XIX. Apoſtolorum exempla conſectantes primi Fideles eamdem inierunt viam, ut pauperibus ſuis graviſſimum egeſtatis onus levarent. In ſingulis Eccleſiis arcæ genus proſtabat (*Gazophylacium vocabant*) in quam ſingulis menſibus, atque adeo hebdomadis pii Fideles quod fraterna charitas maxime ſuggerebat, inferre conſueverant, in pauperes deinde diſtribuendum. (1) Scribit Juſtinus, conſueviſſe ſingulis dominicis diebus ad Liturgiam convenire Chriſtianos, abſolutaque communione, *qui abundant & volunt, ſuo arbitrio, quod quiſque vult, largiri, & quod colligitur apud eum, qui præeſt, deponi, ac ipſum ſubvenire pupillis, & viduis, & iis, qui vel ob morbum, vel aliam ob cauſſam egent* (i). *Tertullianus quoque* (k) *collectas haſce eleganter* in hæc verba deſcribit: *Præſident probati quique ſeniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti; neque enim pretio ulla Dei res conſtat, etiamſi quod arcæ genus eſt, non de oneraria ſumma quaſi redemptæ Religionis congregatur. Modicam unuſquiſque*

(a) *Cap.* XV. 26. (b) *Philipp.* IV. 19. (c) *Philipp.* IV. 16. (d) II. *Cor.* 2.
(e) *Phil.* II. 26. (f) Vide Calmet *Præf. ep.* ad *Philipp.* (g) *Philip. cap. ult.*
(h) *Hebr.* XIII. 3

(1) Sequiore ævo *truncum* appellabant. Innocentius III. ut in ejus geſtis legitur, *in ſingulis Eccleſiis truncum concavum poni præcepit, ut & in eo fideles quilibet juxta quod Dominus eorum mentibus inſpiravit, ſuas eleemoſynas firmitate ſtatuta deponere in remiſſionem eorum peccatorum moneantur*. Confer Grancolaſium *Tom. I. ant. Sacramentarii Eccleſiæ p.* 17. Sed & *Corbonam* Cypriani ævo dictam ejuſmodi arcam diſcimus ex ipſo Cypriano, qui *l. de oper. & eleem. n.* 3. Matronam quamdam objurgans ait: *Dominicum celebrare te credis, quæ Corbonam omnino non reſpicis*. Nam quod Samuel Baſnagius *Exercit. in Baron. p.* 597. non arculam, ſed donum ipſum a fidelibus oblatum *Corbonæ* nomine deſignari contendit, ex Matthæo XXVII. *n.* 6. aperte confutatur; neque enim idem eſt *Corban* Marci VII. 11, quod *Corbona*, ſed illo donum, hoc Gazophylacium denotatur. Vide P. Berlendis *de oblationibus p.* 180.

(i) Apol. I. (k) Apologetici *c.* XXXIX.

que ſtipem menſtrua die (ſemel in menſe) *vel quum velit, & ſi modo poſſit, apponit: nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt; nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis humandiſque, & pueris, ac pupillis re ac parentibus deſtitut's, ætateque domitis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel in tuſtodiis, dumtaxat ex cauſſa Dei ſectæ, alumni confeſſionis ſuæ ſunt.* Hactenus Tertullianus, qui addit, *ejuſmodi vel maxime dilectionis operationem notam nobis inurere penes quoſdam*, ſcilicet Ethnicos; *ſed eo fortaſſe*, inquit hanc *notam* refellens, *minus legitimi exiſtimamur, quia nulla de noſtra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex ſubſtantia familiari fratres ſumus, quæ penes vos dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores.*

XX. Neque hæ ſolum collectæ, quæ conſuetæ dici poſſunt, ſecundo Eccleſiæ ſæculo in uſu erant; ſed aliæ quoque extra ordinem, quas quivis pro qualibet peculiari indigentia Epiſcopus indicere poterat. Id ex eodem Tertulliano (*a*) colligitur, qui poſteaquam ab Eccleſia ſe ſejunxit, Catholicis Epiſcopis iſtam vitio vertit conſuetudinem his verbis: *Bene autem, quod & Epiſcopi univerſæ plebi mandare jejunia abſolent; non dico de induſtria ſtipium conferendarum, ut veſtræ capturæ eſt, ſed interdum & ex aliqua ſollicitudinis eccleſiaſticæ cauſſa.* Sed & clarius ex eo Tertulliani loco (*b*) id ducitur, ubi Paſtoribus Catholicis non avaritiam exprobrat, ſed animi abjectionem, quod vectigalia quædam referent, ut facultatem populi ad divina celebranda myſteria congregandi ab Infidelibus emerent.

XXI. Novimus a primis temporibus laudabilem in Romana Eccleſia conſuetudinem viguiſſe ingenti pecuniæ vi opem Orientalibus Eccleſiis ferendi. Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus id diſerte teſtificatur in epiſtola ad Soterem Romanum Pontificem (*c*). Alter quoque (1) Dionyſius Alexandrinus (*d*) in litteris ad Stephanum Papam datis adſerit, Syriæ univerſæ, atque Arabiæ Romanam Eccleſiam neceſſaria ſuppeditaſſe. Ad Euſebii tempora præclara iſthæc conſuetudo perduravit; ille enim (2) ait (*e*): *hæc enim vobis conſuetudo eſt jam inde ab ipſo religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & Eccleſiis quam plurimis, quæ in ſingulis urbibus conſtitutæ ſunt, neceſſaria vitæ ſubſidia tranſmittatis. Et hac ratione tum egentium inopiam ſublevatis, tum* fratribus, *qui in metallis opus faciunt, neceſſaria ſuppeditatis.* Quæ quidem pecunia ad Orientis Eccleſias a Romana tranſmiſſa fructus oblationum eſſe potuit ab hujus Eccleſiæ alumnis, aliiſque Fidelibus magno numero illas regiones petentibus ultro exhibitarum; videtur tamen aliqua ſaltem ex parte collectis congeſta. Nam collectarum uſus poſterioribus quoque temporibus viguit.

XXII. Epiſcopis Numidiæ obſecrantibus collectam S. Cyprianus indixit, ut poſſent captos a Barbaris Chriſtianos redimere. Tum pecuniam Epiſcopis Januario, Maximo, Proculo, aliiſque miſit cum litteris, quarum hoc eſt initium (3).

Cum maximo animi noſtri gemitu, & non ſine lacrimis legimus literas veſtras, fratres chariſſimi, quas ad nos pro dilectionis veſtræ ſollicitudine de fratrum noſtrorum & ſororum captivitate feciſtis. Miſerum captivorum Fidelium ſtatum magna ſane pietate atque elegantia in hac epiſtola B. Antiſtes deplorat. Mittere

(*a*) *de jejun. adverſ. Pſychicos.* (*b*) *de fuga in perſecut.* (*c*) Euſeb. *l. 4. c.* 23.

(1) Addi poterat Dionyſius Papa, cujus deceſſor Stephanus fuit; is enim ut in epiſtola ad Damaſum Papam ſcribit Baſilius Cæſarienſis, *quoſdam, qui fratres e captivitate liberarent*, (utique collata pecunia) *miſiſſe.*

(*d*) Euſeb. *l. 7. c.* 5.

(2) Commendat quidem eo loco Euſebius Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem illam; at quæ ſequuntur verba, non ipſius Euſebii ſunt, ſed Dionyſii Corinthii, cujus fragmentum reddit.

(*e*) *l. 4. c.* 23.

(3) Epiſt. eſt LX. Baluzianæ editionis.

autem ſe ait *ſeſtertia centum millia nummorum, quæ illic in Eccleſia, cui de Domini Indulgentia præerat, cleri & plebis apud ſe conſiſtentis collatione collecta erant* (1).

XXIII. At iſta tam laudabilis collectarum conſuetudo S. Johannis Chryſoſtomi temporibus Conſtantinopoli plane deſueverat. Quare earum reſtituendarum ſtudio elegantem de illis ſermonem præſtantiſſimus Epiſcopus habuit (a). Duo in eo S. Doctor Gazophylacia diſtinguit, publicum in Eccleſia alterum, alterum in domibus privatum, in quo debere ait fideles ſingulos S. Pauli exhortationibus incenſos aliquid ſingulis diebus Dominicis recondere, quod pauperum levandæ egeſtati ſit deſtinatum. Tum enimvero addit, domos futuras pæne totidem Eccleſias Deo ſacras, privataſque cujuſque facultates melius conſervatum iri, quemadmodum ſubditorum opes ſi in Principum ærario reconderentur, aptius ſervarentur, ut eadem qua Principum pecuniæ, diligentia cuſtoditæ.

XXIV. Ad Theodoſii Magni imperium in multis Eccleſiis pia illa obtinuit conſuetudo pecuniæ in Fidelium Hieroſolymis degentium ſubſidium colligendæ. Conſtat id ex Doctore Maximo S. Hieronymo qui Apoſtolicam hancce inſtitutionem ſtrenue defendit adverſus impium Hæreſiarcham Vigilantium, qui non collectas modo de medio tollere ſtudebat, ſed ipſam etiam Evangelicam paupertatem, quam illis quoque temporibus nonnulli venditis ſuis patrimoniis, pretioque in pauperes diſtributo Monaſticam vitam amplexi profitebantur.

XXV. Hæ tamen collectæ conſuetæ erant, etſi a ſingulis Eccleſiis pro ſuis pauperibus minime habitæ. Apud S. Auguſtinum extraordinariarum occurrit exemplum (b). Theodoſius cui Eccleſiæ jura cordi erant, ita tamen ut ne quid alii inde detrimentum caperent, legem tulerat, qua debitores, qui ad Eccleſias confugiſſent ut ab judicibus ſeſe ſubtraherent, his reddi juſſerat, Epiſcopos vero aut Clericos, qui reddere illos renuerent, æs alienum, quo ii gravarentur, ſolvere. Quum ergo Faſtius quidam debito decem & ſeptem ſolidorum ab opinatoribus urgeretur, ut redderet, ne corporalem pateretur Injuriam (non enim erat ſolvendo) ad auxilium Sanctæ Eccleſiæ convolavit: illi etiam exactores quum proficiſci cogerentur, & ideo dilationem dare non poſſent, graviſſimis S. Auguſtinum, cujus fere verba deſcribimus, onerarunt, ita ut eis illum traderet, aut quod ſibi deberi oſtendebant, unde acciperent, provideret. Auguſtinus mutuo decem illos & ſepem ſolidos accepit, quos in cauſſam Faſtii continuo dedit, promittente illo, quod ad certum diem cum eis reddendis poſſet occurrere, & conſentiente ut ſi non poſſet occurrere, ſermo de illo fieret ad fratres, quorum miſericordia imploraretur. Quum vero, dies, ad quem ſe promiſerat occurſurum, tranſactus eſſet, & pollicitationi ſuæ Auguſtinus facere ſatis vellet, publicam collationem per literas indixit.

XXVI. Ceterum circa hæc tempora ordinarias collectas in uſu etiam tum fuiſſe in ſingulis Eccleſiis poſſumus ex quinque de collectis, & eleemoſynis S. Leonis ſermonibus non ſine incredibili voluptate legendis arguere (2). Poſterioribus temporibus duarum tantummodo

modo

(1) Inter Gyprianicas cit. Baluziana editionis epiſtolas alia extat LXXX. Felicis, Jaderis, Poliani, & ceterorum martyrum, qui ab Herenniano Hypodiacono, Luciano, & Maximo accepiſſe ſe teſtificantur cum Gypriani literis *oblationis nomine non minimam quantitatem*, utique collectam.

(a) De *Eleemoſyna & collectis in Sanctos ex priori Pauli ad Corinthios epiſtola*.

(b) *Epiſt. 225. Maur. edit.*

(2) Atqui non de communibus collectis, quæ in omnibus Eccleſiia olim fiebant, ſed de extraordinaria, ac præcipua, Romanæque Eccleſiæ peculiari Eleemoſynarum collectione S. Leonem his in ſermonibus loqui nuperi ejus editores Ballerinii Fratres exiſtimant *admonitione in illos p. 23. T. I.* Porro Ludorum Apollinarium, per quos populus *ſtipem Apollini, quantum commodum eſſet*, ut ait Livius, conferebat, ſuperſtitione ab antiquis Patribus in pium uſum converſa primus collectarum harum dicta fuiſſe iiſdem

dem

modo collectarum mentionem invenio, ordinariam alteram, alteram extraordinariam. Ordinaria ea eſt, quam Carolus Magnus Imperator quotannis pro Urbe Roma fieri inſtituit. Ecce particulam epiſtolæ Gregorii VII., in qua ea memoratur (1).

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis noſtris P. . . . Albanenſi Epiſcopo, & G. . . . principi Salernitano, legatis noſtræ Apoſtolicæ Sedis in Gallias, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Vobis commiſſa negotia non latent etiam vos, ita ac ſi noſtra: immo quia noſtra ibi in vobis præſentia eſt, cuncta digne peragite. Dicendum autem eſt omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendum, ut unaquæque domus ſaltem unum denarium annuatim ſolvat Beato Petro, ſi eum recognoſcunt patrem, & paſtorem ſuum more antiquo. Nam Carolus Imperator (ſicut legitur in tomo ejus qui in archivio Eccleſiæ Beati Petri habetur) in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas libras ad ſervitium Apoſtolicæ Sedis: ideſt Aquiſgrani, apud Podium S. Mariæ, & apud S. Ægidium, excepto hoc quod unuſquiſque propria devotione offerebat.

XXVII. Quam vero indicabam, extraordinaria collecta illa eſt, quam fecit Alexander III. in Galliarum Eccleſiis fecit pro ſuo in urbem reditu, poſteaquam nonnihil ſubſiderant perturbationes, quæ Roma abeſſe ipſum compulerant.

XXVIII. Non ego heic de collectis agam, quæ pro expeditionibus ad Palæſtinam in Chriſtianorum ditionem redigendam ſuſceptis factæ ſunt; hæ enim, ut ipſo diſſertationis meæ initio monui, a meo inſtituto abhorrent.

XXIX. Ex his porro, quæ hactenus dixi, intelligitis, longo annorum intervallo nullam in Eccleſiaſtica hiſtoria collectarum mentionem fieri. Neque tamen Eccleſiæ pauperibus etiam publice opem ferre deſciverunt. Fortaſſis non memorantur collectæ, quod alio illæ nomine compellabantur. In citatis SS. Johannis Chryſoſtomi, & S. Leonis Magni ſermonibus animadverto, collectas non ſemel *oblationes* vocari. Certum enimvero eſt, omnibus omnino temporibus, ſed illis præſertim, de quibus mihi eſt ſermo, Oblationes, Primitias, Decimaſque non ſolis Altaris Miniſtris, ſed pauperibus quoque obtigiſſe; quod quidem multis, ſi id inſtituti mei ratio ferret, confirmare licere (2). Quamobrem quum Decimarum, Oblationum, Primitiarum mentio poſt ipſum undecimum ſæculum ſepius occurat, mirum non eſt, collectas ſilentio prætermitti. Adde Eccleſiam, quæ a primis ipſis temporibus multa poſſederat, hiſce longe plura poſſediſſe (3), ut propterea ſine collectis opitulari pauperibus potuerit. Medio ſæculo XVI. plures habemus Provincialium Conciliorum canones, quibus oblationum, quas collectas dici etiam poſſe nuper dicebam, uſus intermiſſus revocatur (4). Sed hæc ſatis ſit indicaſſe.

---

dem Balleriniis videtur II. Nonas Julii, quo die Calendarium Maffejanum, Blanchinianum, & Muratorianum *T. I. Theſ. Inſcrip. p.* ct. immo & Polenii Sylvii Calendarium a Bollandianis editum Ludos Apollinares conſignat. P. Cacciarius *p. I. oper. S. Leonis pag.* 15. ſuſpicatus eſt, Saturnalium tempore collectas, de quibus S. Leo, indictas fuiſſe. Sed dum meliora ſuppetant, Balleriniorum conjecturæ præplacent.

(1) *Lib.* VII. *reg. ep.* 23. *T.* VI. *Harduin. collect. parte* I. *col.* 1476.

(2) Confer P. Berlendis *de Oblationibus* §. VIII. *pag.* 202. *ſeq.*

(3) Adi Muratorii V. C. *antiquitates Italicas medii ævi*.

(4) Conſule Mediolanenſe IV. Concilium a S. Carolo Borromæo habitum.

Digitized by Google

AD CAP. XXI.

P.D. JOHANNIS MABILLONII

MONACHI BENEDICTINI.

De Extrema Unctione.

DISSERTATIO XXVI.

I. IN vita S. *Augendi*, vulgo *Eugendi*, Abbatis Jurenſis ab ejus Diſcipulo elaborata occurrit inſignis locus de Sacræ Unctionis, quam Extremam nunc vocamus, Sacramento ad hæc verba: *Cum ultra Sexagenariam ætatem ſex fere menſibus prædictus Pater inæqualitate corporea laboraret, ſic tamen quod numquam Canonico uſque ad horam defuiſſet curſu, nec bis in die feſſo corpuſculo coactus fuit aliquid impertiri, vocato uno ad ſe de Fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, ſecretiſſime quoque ſibi pectuſculum petiit (ut moris eſt) inungi.* Neque id facit *Eugendus* ſanitatis gratia, quem in finem dumtaxat a priſcis Chriſtianis adhiberi ſolitam unctionem contendit nonnemo magni apud Novatores nominis: ſed cauſa præmuniendi exitus. *Eugendus* ſiquidem tunc apud Diſcipulos querelam deponit, quod ſe jam morti proximum in vita precibus ſuis retinerent. Ad metam ergo properabat, aut potius accedebat.

II. Nec quemquam movere debet, quo ſola pectoris unctio iſthic memoretur. Varii fuere cum in aliis Sacramentis, tum in iſto ritus ac cæremoniæ. Baptizandos tertium mergi toto corpore, olim mos fuit. Baptiſmi tempora Paſchate & Pentecoſte definiebantur. Sic in unctione infirmorum non eædem partes ſemper inunctæ ſunt, nec ſervata eadem temporis ratio. Præcipua peccati organa, nimium quinque corporis ſenſus, unctionem antiquiſſimo ritu exceperunt. Parvi pendenda non ſunt verba vitæ S. Theoderici Abbatis Remenſis, qui Theodorici Regis filiam ſuſcitaturus, *oleo Sancto* IN MOREM RECONCILIANTIS QUINQUE CORPORIS SENSUS illiniſſe dicitur. Illius vitæ ſcriptorem ſæculo 9. vixiſſe ex num. 13. apparet. Pectus cordis ſedem, ex quo omnes culpæ procedunt ungi ſolitum fuiſſe aliquando, immo pleriſque in locis, uti apud Græcos etiam nunc id fieri, *Menardus* noſter in lib. Sacram. p. 358. obſervavit. De tempore conferendæ infirmis Unctionis etiam variavit uſus. Unctionem Viatico præmittebant veteres, qui ritus apud ſolos Ciſtercienſes Monachos & quaſdam forte Eccleſias illibatus hactenus perdurat. Mos iſte antiquus ineunte ſæculo 13. in deſuetudinem abiit. Sanctus Gilbertus de Semprinham anno Domini 1189. denatus; *nocte qua natus eſt Dominus*, inquit vitæ auctor (To. 2. Monaſt. Angl. pag. 669.) *apud Monaſterium quod eſt in inſula de* Kadenegia, *Extremæ Unctionis, Dominicique Corporis munitus eſt Sacramentis. Guillelmus* Archiep. Bituricenſis mortuus anno 1209. (Sur. 10. Janu.) *cum jam omnibus rite peractis, etiam teſtamentum multis aſſiſtentibus religioſis & prudentibus viris edidiſſet, Fratribus convocatis Extremæ Unctionis Sacramentum humiliter ac devote percepit. Eo percepto, etiam Sacroſanctam Euchariſtiam ſibi porrigi inſtantiſſime poſtulavit.* Hæc Vitæ ſcriptor coævus, præferendus utique alteri ſubpari apud *Bollandum* (10. Janu.), qui Viaticum Extremæ Unctionis habita ſui temporis ratione præponit. Ergo unctio infirmorum ante Extrema dicta eſt, quam Viatico poſterior eſſet. Porro Extrema ſub finem ſæculi 12. vocari cœpit. Locus in Vita S. *Mauræ* a B. *Prudentio* ſcripta apud *Camuzatum*, ubi *Unctionis Extremæ* fit mentio, interpolatus videtur. Nam hæc in Sacramentorum libris

a *Me-*

Digitized by Google

a *Menardo* editis, nec apud *Udalricum* in libris Conſuetud. Cluniac. nec apud *Lanfrancum*, *Anſelmum*, *Petrum Damiani*, *Petrum de Honeſtis* in Regula Cleric. nec apud S. *Bernardum*, aut *Petrum Lombardum*, *Unctionis extremæ* nomen occurrit.

III. Et tamen non in ipſo morbi principio, ſed periculo imminente, infirmi ungebantur, & continuo Viaticum ſubminiſtrari mos erat (*), quod nonnumquam in eodem morbo iterabatur, ut ex Sacramentorum libris quibuſdam, & ex vita S. *Adelardi* Abbatis Corbejenſis, manifeſte vero ex vita *Ludovici* VI. Franc. Regis a *Sugerio* ſcripta patet. S. *Chrothildis* Regina in iſtis Actis *triceſimo die vocationis ſuæ ſecundum Apoſtolum inuncta a Sacerdotibus oleo ſancto & ſacri Corporis & Sanguinis Chriſti percepto Viatico in confeſſione ſanctæ Trinitatis corpus exuit*. Lege vitam S. *Hunegundis* a duobus auctoribus, altero anonymo coævo, altero *Bernero* Abbate Hummolarienſi literis traditam. Iiſdem verbis uterque auctor, a nobis ſæculo Benedictino proximo ſincere repræſentandus, *Hunegundis* extremam periodum ita deſcribit. *Aſtantibus circumquaque utriuſque ſexus Chriſto famulantibus, qui ad deceſſum tantæ Matris atque Virginis convenere, ex vicinis & longinquis regionibus, dolor ingens & mœror & ſingultus erat omnibus, quoniam videbant ſe fruſtrari nimio ſolatio licet eſſent fidentes, quod ejus ſemper in cœlis devotiſſimo fruerentur patrocinio. Inter hæc converſa ad eos, qui aſſidebant ſibi Presbyteros, Unctionis oleum & communionem expetiit*. Quod circa annum 660. (Sur. & Boll. 2. Janur.) contigit. *Paſchaſius Radbertus* in Vita S. *Adelardi* Abbatis Corbejenſis, *Interrogavimus eum*, inquit, *utrumne vellet* oleo perungi, *quem proculdubio ſcieramus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cœlum obſecrabat ut fieret. Quid putas dum, Sanctus agebat animus, quantis tunc replebatur lacrymis! Erant igitur oculi ad Deum defixi manus vero extenſæ*. An forte ut ſanitatem flagitaret? Audi quod ſequitur. *Invitanſque Sanctum Spiritum dicebat: Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace, quia percepi omnia tui Myſterii Sacramenta. Et nunc quid ſupereſt niſi ut ad te veniam?* En cujus rei gratia *Unctionis Sacramentum* poſtulaverat. Denique Beatus *Petrus Damiani* (lib. 6. Epiſt. 19.) ita de ſeipſo teſtatur: *Dum hæc & his ſimilia frequentius itero, funereæ mihi parantur exequiæ, ſacrati olei delibutione perungor, in cineris ac cilicii ſtrato tamquam illic emoriturus exponor*. Hinc manifeſtum eſt, morituris unctionem collatam, antequam Unctio vocaretur *Extrema*: ejuſque finem præcipuum non corporis ſanitatem, ſed animæ gratiam ab Antiquis æſtimatum fuiſſe.

IV. Cæterum quamobrem Sæculi tertii decimi homines vetuſtum Unctionis infirmorum Ordinem mutaverint, ex Britanniæ Conciliis utcumque conjeciſſe mihi videor. Quippe falſa hæc vulgi animos eo tempore invaſit perſuaſio, non amplius poſt ſuſceptam ſemel infirmorum Unctionem licere uxoratis, ſi convaluiſſent, reverti ad opus conjugale. Quæ ſuperſtitio ad alia erroris capita ſenſim prolapſa effecit, ut Unctioni Viaticum præmitteretur. *Ricardus* Epiſcopus Saresberienſis in Conſtitutionibus circa annum 1218. factis, ubi de Sacramento Extremæ Unctionis agit, (To. 2. Conc. Angl. p. 155.) *Dicant etiam*, inquit, *ac denuntient confidenter Sacerdotes, quod poſt ſuſceptum hoc Sacramentum licitum eſt reverti ad opus conjugale*. Illud idem in Conſtitutionibus anonymi Epiſcopi ſub annum 1237. (Ibid. p. 235.) repetitur. Eam vero perſuaſionem non modo non deſiiſſe, ſed accreviſſe diſcimus ex Synodo Wigornienſi tribus poſt annis habita. Sic enim loquuntur Patres ad Capitulum de Extrema Unctione (Ibid. p. 247.): *Sunt autem quidam ut audivimus, qui poſt perceptionem hujuſmodi Sacramenti priſtinæ reſtituti, neſas reputant vel uxores ſuas cognoſcere, vel carnes comedere, vel etiam aliqua ratione nudis pedibus ambulare. Horum autem errorem utpote doctrine ſanæ contrarium execramur, & eos comminationibus & monitionibus duximus corrigendos*. Et poſt pauca: *Quidam etiam abbor-*

(*) *Riculfus* Sueſſ. Epiſc. Conſtit. 10. Oporter ut Presbyteri infirmos ſuos [illegible] & confeſſionem & reconciliationem oleo ſancto perungant & tunc eos communicent.

abhorrent hoc percipere Sacramentum, quod hoc ſibi vix IN IPSO MORTIS ARTICULO *ſuſtinent exhiberi : propter quod forſan accidit, quod ejus expertes plurimi ab hac luce ſubtrahantur. Contra hunc igitur errorem cum aliis eos per Sacerdotes ſuos & Prædicatores alios crebris exhortationibus præcipimus præmuniri.* Gliſcentem errorem non ſuſtulit iſtud Concilium, ut apparet ex Synodo Exonienſi anno 1287. convocata, quæ conjecturam meam omnino confirmat his verbis (Ibid. p. 357.) *Et quoniam quidam laici imperiti de hoc Sacramento nequiter ſentientes, illud abhorrent, in tantum quod vix velint illud ſuſcipere* ETIAM IN EXTREMIS, *fatue æſtimantes, quod poſt ipſius ſuſceptionem carnis eſum, nudis pedibus inceſſum, copulam carnalem etiam cum uxore legitima ſibi fore penitus interdicta; præcipimus Parochialibus Presbyteris ut ubi noverint tantam hæreſim pullulare, contrarium prædicent,* &c. Idemque denuo in Synodo Wintonienſi anno 1308. (Ibid. p. 448.) iteratur decretum : ut veriſimile ſit, ob ea vulgi deliramenta Unctionem infirmorum in mortis articulum reſervari cœpiſſe, ac ſenſim uſum in omnes Eccleſias fuiſſe propagatum.

V. Ad iſtam de Unctionis Sacramento obſervationem pertinet quæſtio, an Oleum ad Unctionis Sacramentum conſecratum illud ipſum fuerit, quod Sancti in curandis infirmitatibus ſæpius cum in his Actis tum in aliis adhibuiſſe leguntur. Non eodem ubique oleo curationis divinitus perpetratæ ſunt. Oleum ex tumulis Sanctorum ſeu ex lampadibus ad eorum corpora lucentibus acceptum, non raro uſui fuit. In Vita *S. Aredii* Abbatis infra : *Aliam potius de Chriſmario ſuo protulit ampullam, oleum quod de* S. Martini *Eccleſia tulerat continentem*. Et apud *Gregorium Turon.* de gl. Conſ. cap. 9. Aredius *Presbyter ampullam olei de Sepulchro S.* Martini *abſtulit. Venantius Fortunatus* Pictavorum Epiſcopus oculis inunctis ex oleo ad S. *Martini* effigiem *Ravennæ* lucente lumen deſperatum, ut ipſe in lib. 4. de Vita S. *Martini* fatetur, recuperavit. Etiam oleum in infirmorum curationem de improviſo Sancti homines benedicebant. S. *Martinus* referente *Severo Sulpicio* (lib. 3. Dial. c. 3.) *pauxillum olei cum exorciſmi præfatione benedixit, atque ita in os puellæ ſanctificatum liquorem infudit*. Nec fœminis Sanctis etiam id negatum. *Gregorius Turonenſis* (de Vit. Pat. c. 19.) Epiſcop. ſcribit *Monegundem* a ſodalibus rogatum oleum ſalemque pro infirmis benedixiſſe. Epiſcopi in via poſiti oleum benedictum ſecum deferebant. Sanctus *Germanus* (Vitæ n. 47. *infra*) Pariſiorum Epiſcopus, ut Vitæ Scriptor *Fortunatus* habet, procedens *Namnetas Diaconum cum chriſmariis ſuis* curando homini ægroto mittit. In Capitular. lib. 6. cap. 175. præſcribitur, *Ut Presbyteri ſine Sacro Chriſmate oleoque benedicto & ſalubri Chriſti Euchariſtia alicubi non proficiſcantur : ſed ubicumque vel fortuitu requiſiti fuerint, ad officium ſuum veniant parati reddendo debito*. Notanda verba *Severi Sulpicii* (loco cit.) *Non prætermittendum videtur*, A-vitiani *Comitis uxorem miſiſſe* Martino *oleum, quod ad diverſas membrorum cauſas, ſicut eſt conſuetudo, benediceretur*. Certe benedicebatur oleum *pro infirmis ſive pro populo*, ut conſtat ex *Menardi* noſtri libris Sacrament. (p. 67.) Quid eſt autem *pro populo*, niſi pro uſibus populi? Inquit *Goar* (in Euch. p. 432.) Id omnino ex Vitæ S. *Cæſarii* Arelatenſis Epiſcop. lib. 2. num. 13. manifeſtum eſt. *Nam* ad oleum benedicendum *competentibus diebus in Baptiſterio annis ſingulis veniebat. Et ingrediens cucumula, cum ad conſignandos infantes ſederet, parvuli illic pueri vel puellæ a parentibus miſſi certatim currebant exhibentes vaſcula cum aqua, alii cum oleo ut eis benediceret*. Verum *Carolo Magno* imperante Concilium Arelatenſe anno 813. decrevit can. 18. *Ut Presbyteri ſub ſigillo cuſtodiant*, Chriſma, *& nulli ſub prætextu medicinæ vel cujuſlibet rei donare præſumant. Genus enim Sacramenti eſt, & non ab aliis niſi a Sacerdotibus contingi debet*. Idem in Conc. Magutiacenſi can. 27. definitum eſt. Utrobique Chriſmatis nomine intelligendum Oleum infirmorum. Huc facit *Theodori* Cantu. Epiſcopi Capitulare MS. *Romani*, inquit, *non velant viduam. Secundum Græcos Presbyteros licet Virginem ſacro velamine conſecrare, & reconciliare pœnitentem, & facere oleum exorcizatum, &* INFIRMIS CHRISMA *ſi neceſſe eſt. Romanis autem non licet niſi Epiſcopo ſoli*. Hinc apparet, Innocentii Pontificis Romani ſententiam in Epiſt. ad *Decentium Eugubinum* Epiſc. ubi *ægrotantes ſacro Oleo*

Chriſ-

Chriſmatis perungi poſſe in ſua neceſſitate. Docet non recte a *Novatore* detorqueri in Chriſma, quo baptizati Chriſmabantur. Nam oleum exorcizatum, quod a Chriſmate infirmorum diſtinguitur, in Sacramentorum (Menard. in Sacram. p. 142.) libris Remenſi & *Ratolbi* Abbatis Corbejenſis oleum baptizandorum dicitur. De oleo ſatis.

JOANNIS FILESACI.

THEOLOGI PARISIENSIS.

Funus Veſpertinum.

DISSERTATIO XXVII.

I. INciderat aliquis in hunc *Senecæ* locum lib. de Tranquillitate animi; *Minus moleſtiarum habet, funus tacitum*, amiſſum parentem alterum, poſt ſolis occaſum & nocte crepera efferri & ſepeliri curat: Rogatus cur id faciat, ſibi anxiam & moleſtam exequiarum curam ac ſollicitudinem diſplicere dixit, ſive quod doloris imitamenta magis quam verum & ſincerum dolorem iſta omnia referre videantur, ſive ut habet *Tacitus* libro 3. Annal. *Domeſtica mala triſtitia operienda eſſe*. Quemadmodum ſcripſit *Curtius* lib. 5. *eos optime miſerias ferre qui abſcondant*: Sibi Chriſtiano hæc tanti non eſſe, ut populum iſto apparatu ad ſpectaculum magis quam ad orationem advocet. Noſſe ſe Doctore Beato *Auguſtino* Sermone 34. de verbis Apoſtoli, & libri de cura pro mortuis agenda cap. 3. longe pluris ea eſſe facienda quæ defunctorum Spiritibus juvandis imprimis ac potiſſimum conducant, ejuſmodi ſunt SS. Euchariſtiæ Sacrificium, publicæ Eccleſiæ orationes, eleemoſynæ, &c. Sed quanquam facti hujus ratio commemorata nonnullis probatur, veruntamen cum res ipſa a communi & uſitato Chriſtianorum Catholicorum ſepeliendorum ritu ac conſuetudine abhorrere videatur, nec mihi unquam nec multis aliis placere potuit. Quæ de ea re ante annos non paucos in adverſariis meis adnotaveram, nunc digerere operæ pretium duxi, non modo ut quid ego ſentirem conſtaret, verum etiam ut exploratis & excuſſis rationibus meis quilibet æquus rerum æſtimator, utra ſit ſequenda ſententia facile dijudicet. Communi omnium gentium & populorum more atque inſtituto, non aliqua lege expreſſo, ſed tantum uſu recepto, defuncti terræ mandari & ſepeliri conſueverunt quemadmodum ornate diſſerit *Dion Chryſoſtomus*, Oratione 76. *Tacitus* eo ſenſu ſepulturam, *ſortis humanæ commercium* appellavit, dum loquitur de iis, quos damnatos in carcere necari juſſit *Tiberius* Imperator, ac prohibuit ne quis corpora damnatorum cremare, ſepelire vel attingere auderet. Ita lib. 5. Annal. *Interdixerat*, inquit, *ſortis humanæ commercium, vi metus, quantumque ſævitia gliſceret, miſeratio arcebatur*. Non audio *Mæcenatem*, cujus ea ſententia.

II. *Nec tumulum curo, ſepelit natura relictos.*

Alte cinctum illud dixiſſe puto & quidem ingenium grande, & virile habuit, ſed illud idem luxu prodigioſo & incredibili diſcinxit, ut auctor eſt *Seneca*, Epiſtola 92. Moleſtiſſime populus Romanus, ſupra cæteras omnes, *Tiberii* ejuſdem crudelitatem tulit cum *Druſi* veneno ſublati, & Agrippinæ nurus, ad mortem compulſæ, reliquias ſepulchro inferri vetuerit, ſed in terram defoſſas occultari, ut auctor eſt *Dio* lib. 58. Nec aliter ſibi perſuaſit populus a *Tiberio* utrumque necatum quam, quod ſepulturæ honore, illius imperio, uterque privatus fuerit. Ea eſt Beati *Ambroſii* ſententia, Epiſtola. 27. qua *Valentiniano* 2. Imperatori ſuam ad *Maximum* imperii uſurpatorem legationem exponit, cum quo

quo ſanctiſſimus Epiſcopus, in cæteris agebat, ut *Gratiani* Imperatoris, arte Maximi interſecti cadaver, Valentiniano fratri redderetur: quod & recuſabat Maximus, nec propterea *Gratianum* a ſe juſſum interfici affirmabat. Cui Beatus *Ambroſius*; *& quomodo allegabas quod eum non mandaveris occidi quem probibes ſepeliri? Poterit igitur credi, quod ei non invideris vitam, cui etiam ſepulturam invides?* Belluina certe noſtris hominibus, id eſt Chriſtianis, Gentilium immanitas ſemper viſa eſt, cum quavis ſuppliciorum acerbitate necatos a ſe Chriſtianos etiam ſepultura omni ratione privari curarent. Pleni ſunt harum querelarum veterum Chriſtianorum libri & hiſtoriæ, unum, aut alterum proferam locum. Tertullianus in Apologetico c. 37. *Nec mortuis parcunt, Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ, & de aſylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos avellant, diſſecent, diſtrabant.* Ita *Lactantius*, lib. 3. Divinarum Inſtitutionum, cap. 11. *Et non tantum artus bominum diſſipat* (immanitas) *ſed & oſſa ipſa comminuit, & in cineres furit, ne quis exſtet ſepulturæ locus, quaſi vero, id affectent qui Deum confitentur, ut ad eorum ſepulcbra veniatur, ac non ut ipſi ad Deum perveniant. Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ inſania eſt, lucem viris, terram mortuis denegaſſe?* Beatus *Ambroſius* Epiſt. 31. qua reſpondet *Symmacho* P.V. Ubi tunc erat iſta ſententia, eum direptis omnium Chriſtianorum facultatibus, ipſos vitales anhelitus ſpiritus inviderent, & nullis uſquam negata defunctis inhiberent ſupremæ commercia ſepulturæ? Quos gentiles præcipitarunt maria reddiderunt. Graviter *Bacbiarius*, Epiſtola ad *Januarium*, conqueritur Chriſtianum hominem a gentilibus interſectum, a Chriſtianis neglectum. *Ecce enim*, inquit, *contra communes inimicos proceſſit Frater nobiſcum in prælio, & ſubito proſtratus caſu, bunc vos nec ſepulturæ dignum bonore indicaſtis, ſed reliquiſtis cum feris, & alitibus devorandum. Ubi eſt miſericordia Chriſtianæ Religionis, quam Magiſter noſter ſacrificio docuit eſſe meliorem?* Tertullianus Apologetici cap. 39. poſtquam docuit Chriſtianos ſolere modicam ſtipem menſtrua die, vel quam velint, & ſi modo poſſint, apponere, exponit quo pacto ſtipes illa collata diſpenſetur, primum quidem egenis alendis, humandiſque. Sic Chriſtiana miſeratio pauperum ſepulturæ proſpexit: ac ditionibus ſepeliendis quam liberales fuerint oſtendit *Tertullianus*, capite 42. Apologet. *Thura non emimus niſi Chriſtianis ſepeliendis. Sciant Sabaci pluris & Carioris ſuas merces Chriſtianis profligari quam Diis fumigandis.* Eo ſenſu *Tertullianus* ipſe de reſurrectione carnis, medicatam condimentis ſepulturæ carnem dixit. Donatiſtarum hæreticorum furorem ejus generis in Chriſtianos Catholicos extitiſſe teſtatur *Optatus* Milevitanus libro 6. *Quid referam etiam illam impietatem de veſtra conjuratione venientem, quia ad boc Baſilicas invadere voluiſtis, ut vobis ſolis Cimiteria vindicetis, non permittentes ſepeliri corpora Catbolica, ut terreretis vivos, male tractatis & mortuos negantes funeribus locum. Si inter viventes fuerat certamen, odia veſtra vel mors aliena compeſcat. Jam tacet cum quo paulo ante litigabas. Quid inſultas funeri? quid impetis ſepulturam? quid cum mortuis litigas? perdidiſti malitiæ fructum.* *Novatiano* hæretico Cathedræ Beati *Petri* hoſti acerrimo multa objecta impietatis argumenta, pater extra domum projectus idemque fame mortuus nec ſepultus, ut teſtatum reliquit Beatus *Cyprianus* Epiſtola 49. & *Pacianus* Barcinonenſis Epiſtola 3. & certe ſchiſmatici hoc eſſe facinus docet Beatus Hieronymus, lib. adverſus errores *Joannis* Hieroſolymit. *Ille ſcindit Eccleſiam qui vivis babitaculum*, mortuis ſepulchrum negar, qui exilia fratrum poſtulat: qui oſſa Sanctorum & innoxios cineres verberari ab imbribus ſinit. Veteres non tantum eam ſepulturæ curam potiſſimum habuiſſe, verum etiam ne illa diutius differretur diligentiſſime cauſiſſe ex *Homero* docet *Tertullianus* libro de anima cap. 33. *Tanto magis curam ſepulturæ collocavit* Homerus, *quanto etiam moram ejus injurioſam animabus incuſavit, ſimul & ne quis defunctum domi detinens, ipſe amplius cum illo maceretur enormitate ſolatii dolore nutriti: Ita querelas animæ inſepultæ ad utrumque confixit, ut inſtantia funeris, & bonor corporum ſervetur, & mœror adfectuum temperetur.* Paulo poſt. *Titulus injuriæ ceſſatio eſt ſepulturæ.* Aculeate Beatus *Ambroſius* lib. de Tobia cap. 1. *Si viventes operire nudos*

lex

lex præcipit, quanto magis debemus operire defunctorum corpora? Poſt *Nibil hoc officio præſtantius ei conferre qui tibi jam non poſſit reddere, vindicare a volatilibus, vindicare a beſtiis conſortem naturæ feræ hanc humanitatem, defunctis corporibus detuliſſe produntur, homines denegabunt?* Atque ſepulturam ipſam tanti olim fecere qui recta ſaperent, ut corpora defunctorum cremare nullo modo probarent, ſi *Tertulliano* credimus libro de anima cap. 29. poſtquam rejecit opinionem eorum qui ajebant non modicum quid animæ ſubſidere in corpore, deceſſurum quandoque, & ipſum cum totam corporis ſcenam tempus aboleverit. *Nec ignibus funerandum ajunt, parcentes ſuperfluo animæ. Alia eſt autem ratio pietatis iſtius, non reliquiis animæ adulatrix, ſed crudelitatis etiam corporis nomine averſatrix, quod & ipſum homo non utique mereatur pænali exitu impendi.* Varro, Cygno, Satyra, lepide iſtud. Heraclides Ponticus *plus ſapit qui præcepit, ut comburerent* (corpus ipſius demortui) *quam* Democritus, *qui ut in melle ſervarent quem ſi vulgus ſecutus eſſet, peream ſi centum denariis calicem mulſi emere poſſimus.* Illum autem ſepulturæ honorem omnibus cujuſcumque ordinis hominibus communem eſſe debere, nec tenuiores illo fraudari oſtendit *Caſſiodorus* lib. 3. Epiſtola 19. cum *Theodorici* Regis mandato arcæ, quæ in Ravennati urbe ad recondenda funera diſtrahuntur, moderato pretio comparari poſſint. *Ne quibuſdam veniant ad pretium dolores, & miſerabili ſorte votorum creſcat mercantibus de humana morte compendium, ita tamen, ut non ſit iniquitas ſub hac occaſione taxata. Ne cogantur miſeri inter acerba luctuum, gravia plorare diſpendia facultatum, & nefanda devotione conſtricti, aut urgeantur patrimonia pro mortuis prodere; aut dilecta corpora viliſſimis foveis potius dolentes abjicere.* Neque vero humandorum corporum cura inter publicas poſtrema numerata eſt, nec ad minimum, & infimum magiſtratum ſpectavit. Teſtis mihi *Caſſiodorus* lib. 6. cap. 8. in formula comitivæ privatarum, in qua iſta ſunt. *Defunctorum quin etiam ſacram quietem æquabilia jura tuæ conſcientiæ commiſerunt.* Inter illuſtres autem, & ſummos quoſque Magiſtratus Comes rerumprivatarum recenſetur. Innuit autem *Caſſiodorus* Comitem illum de ſepulchris violatis cognoſcere, ne quis veſtita marmoribus ſepulchra nudaret, ne quis columnarum decorem irreligioſa temeritate præſumeret, ne quis cineres alienos, aut longinquitate temporis, aut voraci flamma conſumptos ſcelerata perſcrutatione detegeret, aut corpus quod ſemel reliquerat moleſtias mundanas, humanas iterum pateretur inſidias: *Nam etſi cadavera furta non ſentiunt ab omni pietate alienus eſſe dignoſcitur qui aliquid mortuis abrogaſſe monſtratur.* Ex *Valentiniani* Novella, iſta deſumpta eſſe non dubium, ſic enim Imperator, Tit. 5. de ſepulchris. *Nimis barbara eſt & veſana crudelitas munus extremum luce carentibus invidere. Et dirutis per inexpiabile crimen ſepulchris monſtrare cœlo corporum reliquias humatorum.* Paulo ante. *Et licet occaſus neceſſitatem mens divina non ſentiat, amant tamen animæ ſedem corporum relictorum, & neſcio qua ſorte rationis occultæ, ſepulchri honore lætantur.* Quam eleganter iſta eo loco! *Scimus enim nec vana fides eſt, ſolutas membris animas habere ſenſum & in originem ſuam ſpiritum redire cœleſtem: hoc libris veteris ſapientiæ, hoc religionis, quam veneramur, & colimus, declaratur arcanis.* Quod dixit Imperatoria lex de animabus ſedem corporum relictorum diligentibus, forſan hoc eſt ſententia vulgi, qui putabat animas defunctorum circa corporum ſuorum reliquias oberrare, ut ſcribit *Lactantius* lib. 2. Divinarum Inſtitutionum cap. 2. de ſepulchris violatis, & quidem huic Imperatoriæ Sanctioni conſentaneæ ita graviter cenſuit B. *Gregorius* Nyſſenus, Epiſtola ad S. *Letojum* Epiſcopum Mytilenes, cap. 7. ut ſi quis ſoli corporis in cinerem redacti reliquias patefecerit, oſſaque moverit, quæſtus alicujus captandi gratia, eandem canonicam pœnitentiam ſubeat quam is qui ſimplicem admiſerit fornicationem. Mirum alicui videri debet, quod hoc Canone prodit Epiſcopus hic ſanctitate inſignis, eum venia dignum videri, qui, juxta receptum morem, & conſuetudinem intacto corpore ſepulto lapides ex ipſo aſportarit ſepulchro, ut exponit *Balſamo*, eo loci, quod cedat in Reipublicæ ornamentum & utilitatem. Nam Cod. lib. 9. tit. 19. l. 5. quæ eſt *Juliani* A. quem nos Apoſtatam vocamus, ad po-

populum, aliter cenſet: *Pergit audacia ad buſta defunctorum & aggeres conſecratos, cum & lapidem hinc movere & terram evertere & ceſpitem evellere, proximum ſacrilegio majores noſtri ſemper habuerunt, ſed & ornamenta quædam tricliniis & porticibus auferre de ſepulchris. Quibus primo conſulentes, ne in piaculum incidat contaminata religio defunctorum, hoc fieri prohibemus, pœna ſacrilegii cohibentes.* *Conſtantius* deceſſor *Juliani* eodem titulo lib. 4. ad populum, idem ſtatuerat antea. *Qui ſepulchra violant domos, ut ita dixerim defunctorum, geminum videntur facinus perpetrare: nam & ſepultos ſpoliant deſtruendo, & vivos polluunt fabricando. Si quis igitur de ſepulchro abſtulerit ſaxa vel marmora vel columnas, aliamve quamcumque materiam, fabricandi gratia, ſupplicio afficiatur, quod ſepulchrum violantibus videtur impoſitum. Cui etiam pœnæ ſubjacebunt, & qui corpora ſepulta, aut reliquias contractaverint.* Quæ igitur conſuetudo prætexi poteſt qua liceat impune ſepulchra ipſa ſi non diruere omnino ſaltem, ſaltem aliquantum labefactare & ex iis ornamenta aſportare ad vivorum ædes exornandas? Quæ venia concedi poteſt ei, qui ejuſmodi ſepulchrorum lapidibus exportandi non minus ſacrilegii reus eſt quam ſi ipſas defunctorum reliquias adtrectaverit? At ut ex S. Epiſ. Can. liquet, veniam qui iſta admiſerit non aliter meretur quam, quod totum iſtud ceſſerit in decus, & ornamentum publicum cujus tamen nulla omnino exceptio in iis legibus expreſſa eſt, forte an. Pergo nihilominus, & contendo non modo communi quadam omnium gentium conſuetudine ſepulturæ honorem tributum fuiſſe defunctis. Et ſi *Dio Chryſoſtomus* Oratione 31. Impiis negatam eſſe ſepulturam ſecundum leges veteres afferat; addo quod longe auguſtius, religionis nomine univerſum iſtud circa defunctos munus ſive ſepeliendi, ſive parentandi, & juſta faciendi, aut quid ſimile comprehenſum fuiſſe. *Cicero* lib. 4. de Republica, fragmento, de Pontificio jure (Romanorum) ſanctitudinem ſepulturæ conſtitutam prodit. Eo ſpectat illud Codicis Theodoſiani lib. 9. tit. 17. libro 2. qua *Conſtantius* Imperator ſepulchrorum ſervandorum curam in urbe Roma ipſis Pontificibus mandat, Pontifices autem Gentilium intelligit. Ita *Gordianus* Imperator Cod. lib. 9. tit. 19. lib. 1. quæcunque quovis pacto ad defunctos pertineant, res religioni deſtinatas, quin immo jam religionis effectas appellat, & qui in eas, deliquerit in læſæ religionis crimen incidiſſe pronunciat. *Dioni Chryſoſtomo*, oratione Rhodiaca quæ 31. circa defunctos perperam facta, impietates ἀσεβήματα vocantur. Græci non aliter univerſum hoc pietatis genus ὁσίαν vocant ſed hoc tritum, & egregius de ea re locus apud *Libanium* in Baſilico. *Clemens* Alexandrinus, in exhortatorio ad gentes. Sepulchra olim ea religione culta fuiſſe prodit, ut in templa tandem aliquando converſa fuerint. Sepulchrorum ſanctiratem in ipſo ſolo poſitam eſſe dixit Orator princeps, Antoniana nona, at hominis demortui corpus locum in quo ſitum ſit facrum ſacere in confeſſo eſt apud omnes, quod ipſis legibus eſt comprobatum. Impios milites eſſe vetus verborum, attamen ſepulturam, & quæ ſepeliendis abhibetur, pietatem non omnino neglexiſſe teſtis mihi *Vegetius* lib. 2. de re militari cap. 20. Poſtquam docuit in exercitu Romono, decem folles, hoc eſt decem ſaccos quibus donativi dimidia pars condebatur per cohortes ſingulas conſtitui ſolere, ait additum fuiſſe ſaccum undecimum in quem tota legio particulam aliquam conferebat, ſepulturæ ſcilicet cauſa, ut ſi quis ex contubernalibus defeciſſet de illo undecimo ſacco ad ſepulturam ipſius promeretur expenſa. Nec ego pluribus commemorabo, quodnam pietatis genus ineſſe putarint Ethnici illi ſepeliendis mortuis, & juſtis faciendis. Res Chriſtianas perſequi ſatius eſſe duco. Acute, ut ſolet omnia, S. *Auguſtinus* lib. de cura pro mortuis agenda cap. 2. Reſpondet Paganis qui Chriſtum, aut nullius potentiæ fuiſſe dictitabant, quod barbarica, hoc eſt Gothica vaſtitate, & ea præcipue quam Roma perpeſſa eſt, ſub *Alarico*, *Honorio* imperante, Chriſtianis ſuis non ſubvenerit. Reſponſum a Chriſtianis, animas fidelium pro fidei ſuæ meritis, ab illo fuiſſe ſuſceptas. Sed rurſum illi: Cadavera Chriſtianorum inſepulta jacuiſſe, ac ſi Chriſtus nullam omnino illorum curam geſſiſſet. Excipit B. *Auguſtinus*, primum in tanta ſtrage cadaverum Chriſtianos ſepeliri non potuiſſe, non vivorum culpa, qui id officii ſuis

de-

defunctis præſtare non potuerint; deinde neque iſtud piam fidem nimium reformidaſſe, quandoquidem a Chriſto hoc longe ante prædictum fuiſſet, Matth. 10. Luc. 12. *Nolite timere eos qui occidunt corpus; animam autem non poſſunt occidere.* Præter ea Chriſtianos noſſe ipſius carnis membrorumque omnium reformationem non ſolum ex terra, verum etiam ex aliorum elementorum ſacratiſſimo ſinu, quo dilapſa cadavera receſſerint in temporis puncto reddendam, & redintegrandam promitti. Neque propterea contemnenda, & abjicienda eſſe corpora defunctorum, & maxime juſtorum ac fidelium, quibus tanquam organis, & vaſis ad omnia bona opera ſanctus uſus eſt Spiritus. Rem vero iſtam plane religioſam pluribus demonſtrat cap. 3. ejus libri idem B. *Auguſtinus*, atque antiquorum juſtorum funera officioſa pietate curata eſſe, & exequias celebratas, & ſepulturam proviſam. Quærit idem S. Epiſcopus cap. 10. quid ſit illud velit, quod nonnulli, quibus inſepulta ſepultura contigiſſet, viventibus apparuerint, atque ubi eorum corpora jacerent inhumata, neſcientibus, lociſque monſtratis admonuerint, ut ſibi ſepultura quæ defuerat præberetur. Idcirco hæc contigiſſe reſpondet, & utiliter id factum fuiſſe, ſive ad vivorum qualecumque ſolatium ad quos pertinent illi mortui, quorum apparent imagines ſomniantibus, quod angelicis operationibus fieri credendum, ſive ut his admonitionibus generi humano ſepulturæ commendetur humanitas. *Quæ licet defunctis non opituletur, culpanda tamen irreligioſitate negligitur.* Et quidem *Dio Chryſoſtomus*, oratione Rhodiaca, ſepulchrum non eſſe argumentum virtutis, ſed opulentiæ dixit. De hac religioſa funerandi ſollicitudine longam contexit diſſertationem. S. *Paulinus* Epiſtola 35. ad *Pamuchium*. *Ennodius* Ticinenſis, Dictione 19. *Communis eſt univerſis defunctorum reverentia, & circa Religionem ſorte ultima conditorum, dignam poſcit humanitas univerſa culturam.* Singulare ſemper Chriſtianorum hoc ſtudium exſtitit ſuos vita functos non minori pietate, & religione quam honeſto apparatu ſepelire, ut Chriſtianorum infenſiſſimus *Julianus* ille Apoſtata, Imperator, Epiſtola ſcripta ad *Arſacium*, quam refert *Sozomenus*, lib. 5. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 15. Quod antequam fuſius explicem Sancti *Auguſtini* regulam primum teneamus, Tractatu 120. in *Joannem*. *In exequiis celebrundis uniuſcujuſque gentis morem ſervandum eſſe.* Communis certe univerſæ Eccleſiæ æque vetus conſuetudo fuit, defunctos fideles nonniſi adhibitis precibus, & pſalmis ſepulturæ tradere, quod antea aliis obſervatum, addam nihilominus unum, aut alterum locum: *Evodius* Sancto *Auguſtino* amantiſſimus, Epiſtola 258. inter *Auguſtini* ejuſdem Epiſtolas, in Affrica, quis funeris ritus exiſteret oſtendit loquens de puero quodam notario ipſius *Evodii mortuo*: *Solutus eſt ergo*, inquit, *exequias præbuimus ſatis bonorabiles, & dignas tantæ animæ, nam per triduum hymnis Deum collaudavimus ſuper ſepulchrum ipſius, & redemptionis ſacramenta tertio die obtulimus.* In Oriente S. *Paulæ* funus tam eleganter a Beato *Hieronymo* In Epitaphio *Paulæ* deſcriptum id ſatis comprobat. S. *Chryſoſtomus* de SS. *Bernice*, & *Proſdoce* virginibus ac matre earum, ejuſdem ſententiæ eſt. S. *Ambroſius* lib. de viduis, viduæ continentis argumenta iſta commemorat. *Ipſe lugubris babitus, pompa funebris fletus aſſiduus, & mœſtæ fronti inarantibus rugis impreſſa triſtitia, petulantium premit oculos, reſtringit libidines, procaces avertit aſpectus.* Non ego commemoro quid *Juſtinianus* ad ipſarum exequiarum exiſtimationem, & honorem ſupremum defunctis exhibendum ſtatuerit, cum illas Principali ſumptu veluti de publico fieri voluerit. Exſtant de ea re Novellæ, & ea præſertim quæ eſt 59. & apud Julianum anteceſſorem 53. eaque longe clarior, & apertior quam quæ in ipſis Authenticis. Eſt autem ejuſmodi, hæc conſtitutio loquitur. de impenſis, quæ in funeribus mortuorum fiunt; Et ante omnia mille centum ergaſteria in Conſtantinopolitana civitate immunitatem habere juſſit, ut funera ducant. Sed & reditum funeribus deſtinatum a Divæ memoriæ *Anaſtaſio* Imperatore confirmavit, & funeribus deputavit, & dedit ſingulis cadaveribus, ſive legibus lectis mortuorum, unum aſciterium, id eſt octo ſanctimoniales pſallentes, & tres acholythos, ut neque ſanctimoniales, neque acholythi omnino aliquid accipiant ab his qui funerari mortuum deſiderant, ſed gratis eum deducant. Si autem cognati

vel

Digitized by Google

vel amici defuncti alterum unum aſciterium vel etiam duo adhibere velint, neceſſe eſt eos aliquid præſtare, non tamen immodicum, ſed hujus legis definitione moderatum. Poſtea. Unum autem aſceterium, quod ex neceſſitate ante cadaver pſallit, & acholythi ejus, nihil omnino accipiant, ſed faciant miniſterium gratis. Sin autem aliquis velit unum ex maximis lectis accipere ad honorem defuncti, vel ſi deauratum lectum adhibuerit, tunc tantum præſtet aſceteriis, & decanis quantum pepigerit, ita tamen, ut duodecim aureorum quantitatem non excedat. Græce, & Latine Eccleſiarum conſenſum in illo exequiarum ritu indicat *Joannes* Epiſcopus Citri, in Reſponſis ad *Conſtantium* Cabaſilam, Dyrrachii Archiepiſcopum lib. 5. Juris Græco-Romani, ſeu lib. 1. Reſponſorum. Eſt autem interrogatio ejuſmodi. An liceat Græcos Romæos in Latinorum Eccleſiis ſepelire, & viciſſim Latinos in Græcorum Eccleſiis communi quodam pſallentium choro ex utriſque conflato: Reſpondet Epiſcopus id fieri citra noxam poſſe, nec Latinorum pſalmodiam, in funere fidelium defunctorum uſitatam, aliquid Ethnici vel ſuperſtitioſi ſapere, ſed ex divinis Scriptutis deſumptam. Mirum cuipiam videbitur mulieres pſallentes in exequiis cernere; non Græcorum modo verum etiam majorum noſtrorum Francorum is mos fuit, de quo Capitularium lib. 6. cap. 194. *Admoneantur fideles, ut ad ſuos mortuos non agant ea quæ de paganorum ritu remanſerunt, ſed unuſquiſque devota mente, & cum compunctione cordis pro ejus anima Dei miſericordiam imploret. Et quando eos ad ſepulturam portaverint, illum ululatum excelſum non faciant, ſed ſicut ſuperius diximus devota mente, & cum compunctione cordis, in quantum ſenſum habuerint pro ejus anima implorare Dei miſericordiam faciant: Et illi qui pſalmos non tenent, excelſa voce Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, viris incboantibus mulieribuſque reſpondentibus, alta voce canere ſtudeant pro ejus anima. Et ſuper eorum tumulos nec manducare nec bibere præſumant. Quod ſi fecerint, Canonicam ſententiam accipiant.* Superſtitioſum hunc Paganorum ritum non modo in Affrica, ut teſtis eſt Beatus *Auguſtinus* non uno loco, verum etiam toto Occidente cum cæteris ejus generis, præſertim circa defunctos uſitatum fuiſſe apparet. De adjunctis ita Concilium Atelatenſe tertium, ſaltem nonnulli codices illa adſcribunt huic Concilio. *Laici qui excubias funeris obſervant cum timore, & terrore, & reverentia hoc faciant. Nullus ibi diabolica carmina præſumat cantare, nec joca nec ſaltationes facere, quæ Pagani docente Diabolo adinvenerunt. Quis enim neſciat diabolicum eſſe, & non ſolum a religione Chriſtiana alienum ſed etiam humanæ naturæ eſſe contrarium ibi lætari, cantare, inebriari, & cachinnis ora diſſolvi, & omni pietate, & affectu charitatis poſtpoſito, quaſi de fraterna morte exultare, ubi luctus, & planctus flebilibus vocibus debuerit reſonare, pro amiſſione chari fratris.* Poſt ea. *Si quis autem cantare deſiderat, Kyrie eleiſon cantet.* Certe *Joannes* Clymacus, gradu ſeptimo, graviter eos reprehendit, qui dum funeri defunctorum vacant, in demortui gratiam acerrime, ac æſtuoſe abſorbent vinoque ſe ingurgitant: Ethniciſmum iſtud ſapit, *Tertulliano* teſte, lib. de teſtimon. animæ. *Si quando extra portam cum obſoniis, & matteis, tibi potius parentans ad buſta recedis, aut a buſtis dilutior redis.* Græcorum, & Latinorum conſentiens ritus ſatis aperte nobis, ob oculos ponit non poſt veſperum, non intempeſta nocte, ſed mero die celebratas fidelium vita functorum exequias, quin loca varia, & diverſa ſepulturæ dicata, quorum meminit Novella 59. magis iſtud comprobare videntur. Etiam apud gentiles diſcreta fuiſſe loca hujuſmodi ſatis notum, & aliis adnoratum. *Dio Chryſoſtomus* oratione 31. Rhodiaca liberos homines, & ingenuos non ubivis ſepultos fuiſſe indicat, ac ne in ſordidis quidem locis quæ magis ſervorum humandorum cauſa deſignata eſſe videantur. Apud Judæos, Nobilibus, Potentioribus, Ditioribus ſepeliendis, alius erat adſignatus locus, quam qui tenuioribus, & humilioribus, ſic enim ita ſcribit Beatus *Hieronymus* de locis Hebraicis ſectione de Actis Apoſtolorum, ſi modo ſectio iſta ſit Beati *Hieronymi:* Acheldema, *ager ſanguinis, qui hodie quoque demonſtratur in Ælia. hæc eſt* Hieruſalem *ad auſtralem plagam montis* Sion, *& hactenus, juxta Judæorum conſilium, mortuos ignobiles alios terra tegit* (ſic lego, non tetigit, ut in excuſis) *alios ſub dio putrefacit.* Ita

Chri-

Digitized by Google

Chriſtiani veteres, quamvis alia mente, a ſepulchris gentilium ſua ſejuncta eſſe voluerunt. Quanquam primis Eccleſiæ naſcentis temporibus cum Chriſtiani omnes Judæorum nomine comprehenderentur, ſi qui ob fidem Chriſti interfecti eſſent, ſuperſtitum pietate in Judæorum Cœmeteriis ſepeliebantur, ut colligere licet ex Beato *Ambroſio* in exhortatione ad Virgines. Quin etiam exequiarum apud Gentiles diſcrimen aliquod extitiſſe inter eos conſtat, & unum proferam *Tacitum* lib. 16. Annalium. *Detur hoc illuſtrium virorum poſteritati, ut quomodo exequiis a promiſcua ſepultura ſeparantur, ita in traditione ſupremorum accipiant habeantque propriam memoriam.* Quanti intereſſe putamus ad defuncti, & familiæ gentiſque famam, & exiſtimationem claro die efferri potius quam illuni nocte, nec minimo itinere ad ſepulchrum familiare, & gentilium, ut & ſpatio. Non urgeo nunc, poſthac videbitur. Quin addo ad funeris celebritatem defunctos nonniſi ſplendidioribus veſtibus indutos ad ſepulturam deferri ſolitos. Græcis, & Latinis veteribus iſtud uſitatum, ut ornatiores, ut comptiores efferrentur, de qua re conſulendi qui de funeribus ſcripſerunt. Taceo principes viros, in cæteris id uſu receptum fuiſſe apud noſtros Francos paſſim videre eſt in *Gregorii* Turonenſis hiſtoria Francorum. ac meminit S. *Baſilius*, homilia 7. quæ eſt in divites avaros, ad finem. Defunctorum ornato veſtitu in funere publico efferendorum, ut morem non improbo, ita nec valde laudavero, quod vultus, & oris ille decor non modo in ipſius animæ diſceſſu valde labefactetur, verum etiam nonnunquam ita evaneſcat, ut truculenta facies, & horrorem incutiens ſæpius ſuccedat, ſive ex ipſius morbi malignitate, ſeu quia mors acerba, & præpropera, ſeu vi illata, aut naufragio contingens, quæ eſt veterum omnium conſenſu, crudeliſſima, ſeu occulto Dei judicio, ex Dæmonum, in ipſo exitu apparentium, immani, & horrendo conſpectu. Nam illos refugas Angelos morientibus apparere id certiſſimum, & veriſſimum eſt. S. *Nilus* ad Agathium iſtud explicat ubi Dæmones morientibus anteactæ vitæ flagitia exprobrantes inducit apud *Anaſtaſium*, ſeu Nicænum, ſeu Antiochenum libro Quæſtionum, & Reſponſionum cap. 23. veteris editionis, nam in nupera editione Græco-Latina locus hic S. *Nili* citatur cap. 21. quod alioquin cum illo veteris editionis congruit. *Tertullianus* lib. de Anima cap. 30. *Proculdubio* (anima) *cum vi mortis exprimitur de concretione carnis, de ſomno emergens, ab imaginibus ad veritates, tunc enunciat, & videt, tunc exultat, aut trepidat, prout paraturam devorſorii ſui ſentit, de ipſius ſtatim Angeli facit evocatoris animarum*, Mercurii *Poetarum*. Ambiguus hic evocator, quanquam ſi benignus, & propitius videatur exemplo illuſtrare licebit, quod exſtat apud Beatum *Cyprianum* lib. de mortalitate. *Sacerdos quidam Carthaginenſis de appropinquante morte ſollicitus, dum commeatum ſibi precaretur, adſtitit deprecanti, & jam pene morienti, Juvenis honore, & majeſtate venerabilis, ſtatu celſus, & clarus aſpectu, & quem aſſiſtentem ſibi vix poſſet humanus aſpectus oculis carnalibus intueri, niſi quod talem videre jam poterat de ſæculo receſſurus.* Cetera quamquam ad inſtitutam diſputationem, faciant, quia tamen ſcitu utiliſſima videntur ſubjiciam. *Atque ille Juvenis* (ſpecie) *non ſine quadam animi, & vocis indignatione infremuit, & dixit, Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?* Sed jam propius inſtitutam diſputationem, & quam longe nocturnæ illæ exequiæ a juſtitiæ quæ defunctis debetur lege diſſideant, & diſcrepent videamus. Vita functos hunc ſibi ab agnatis, & affinibus, amicis denique, poſtremum honorem merito poſtulare veteres cenſuerunt, ut Initio docuimus, ac certe ſepulturam *Ammianus ſupremitatem honoris* idcirco appellavit. Quandoquidem officii ratio erga mortuos id a nobis expoſtulet, non modo officio defuiſſe videbimur, ſi nocte id eſt clanculum, id præſtemus. Quis oro, ſepulturæ honos, aut parentaliorum ſanctitas, ut majores dixiſſe oſtendimus, in denſis illis tenebris deprehendi poteſt, ubi rari teſtes, & nonnunquam inviti reperiantur. Quæ religio, quæ ſanctitas, dum calentia cadavera, etiam parentum illico ſub noctem efferuntur, quaſi propriis, & tandiu poſſeſſis ædibus exturbantur? Et vereor cum ne tantillum quidem temporis ad curandam pro dignitate defuncti ſepulturam honorificam concedatur, ne quem

res

Digitized by Google

res iſta tangat eum votum captandæ mortis habuiſſe aliquis ſuſpicetur. Et quos clanculariæ ſepulturæ mandamus hos veluti luce indignos fuiſſe, ac proinde ſempiterna oblivione dignos ſignificamus. Ecquid pudet hujus curationis ac pietatis? Ita certe dum nos ab ea neſcio qua diſſimulatione officii abhorrere videmur, parum pie, & Chriſtiane nos de animæ immortalitate, de altera vita, & futuro ſæculo cogitare dicemur. Melius ſenſere prophani illi quibus propinqui, affines, amici, demortui non amiſſi ſed præmiſſi dicebantur. *Seneca* Epiſtola 63. *Quem putamus periiſſe, præmiſſus eſt:* & libro de conſolatione ad *Polybium*, *quid fata deflemus? non reliquit ille nos, ſed anteceſſit*. Item conſolatione ad *Marciam* cap. 19 Dimiſimus illos (mortuos) imo conſecuturi præmiſimus. Mitto reliquos id genus ſcriptores. Noſtri non aliter ac meliori quidem vaticinio, S. *Greg.* Nazianzenus oratione in funere. Patris, [illegible], homines illud intelligant homines a ſe præmitti. S. *Ambroſius* Epiſtola 59. de vita functo loquens, *abiit, non obiit*: Sanctus *Hieronymus* Epiſtola ad *Salvinam*, *Nebridius*, *Salvinæ* maritus, *profectus non miſſus*. Sanctus *Auguſtinus* Epiſtola 6. quoſdam noſtros migrantes *non amiſimus, ſed præmiſimus*. Ante hos omnes B. *Cyprianus*, lib. de mortalitate ſcribit ſe conteſtatum aſſidue, & publice prædicaſſe, fratres noſtros non eſſe lugendos, accerſitione Dominica de ſæculo liberatos, *cum ſciamus non eos amitti ſed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiſcentes, ut navigantes ſolent Tertullianus* lib. de teſtimonio animæ, *Abiit jam, & reverti debet*. Vulgare dictum eſt. Illud certe funeris ipſius ordo, & diſpoſitio palam demonſtrat cum defuncti corpus prælatum cognati, affines, amici proſequuntur. Qui noctu id afferunt, quamquam iſtud præſtent cum non luce clara id efficiunt, ut defunctos præmiſſos, ſe vero aliquando ſecuturos declarent: Anne putant ſe ad immortalitatem natos, & certe illud obſervatione digniſſimum, quod ſcripſit *B. Chryſoſtomus*, oratione de fide, & lege naturæ, ante uniuſcujuſque civitatis, & oppidi ingreſſum proſtare defunctorum ſepulchra, ut cogitemus cujuſque loci Incolas, licet opibus, gloria, honoribus, rerum denique omnium copia abundantes, iis veluti terminis eſſe circumſcriptos, & illis qui in ejuſmodi conditoriis ſiti ſunt, perſimiles aliquando futuros; Verum cum etiam hoc tempore plerique habeant, aut gentilitia, aut monumenta, iis ſuos vita functos, inferre nocturno tempore quid juvat? Putantne ignotum ſepulturæ locum fore, de illis dico, qui fortunæ ludibrio aut mammonæ iniquitate ad ſumma pervenerunt, nec generis ſui auctores agnoſci cupiant, ipſaque gentilitia ſepulchri vili aliquo coſtite in perpetuum obtecta deſiderent. Non dicam ſpectra, & umbras ipſis inhabitantes ſepulchris, ſatis aperte illa indicare, ut prodit Sanctus *Gregorius* Nyſſenus lib. de anima, & reſurrectione. Audio exceptiones, iſtud inſignis cujuſdam humilitatis Chriſtianæ gratia fieri, quam non aliter qui iſta curant, apud omnes profitentur, ut honoris cujuſque. & gloriæ mundialis calcato faſtu, non jam quid plebecula acclamet ſed quantum miſericordiæ apud ſummum Judicem ipſi conſecuturi ſint ſerio cogitent. Exclamant cum *Seneca*, Epiſtola 91. *Diſcede ambitio, omnium quæ terram premunt ſiremps lex eſto*: Prolixas exequias, & earum longum agmen, ſuperſtitum tantiſper lenire dolorem, animæ nihil prodeſſe, ſumptus hos tam immenſos, legibus fruſtra repreſſos, tam male collocatos, eleemoſynis cujuſcumque generis pro animæ ſalute potius addicendos. Quod dum alio die fiat non videri nocturnam illam ſepulturam reprehenſione dignam. Adde quod ſepeliendis defunctis nullum apud veteres Chriſtianos definitum tempus intelligit; Demetri Phalerei lege apud Athenienſes ante ſolis ortum mortui deferebantur, ut teſtatur orator 2. de legibus. Romanis non unum ſimplexque ſepeliendi tempus. Veſpillones enim, quibus humandorum corporum cura commiſſa erat, a veſpera dicti quoniam ſub nocte tenuiorum, & pauperum ſepulturam procurabant, at divitum, & potentiorum mero die propter pompam funeris. Quod Lex Menia aperte demonſtrat, qua cautum refert *Varro*, Geminis apud *Nonium*. Huic loco ſatis obſcuro adlucebit Plinius lib. 11. hiſtor. Natural. cap. 37. *Morientibus oculos operire, rurſuſque in rogo pateſacere, Quiritum magno ritu ſacrum eſt, ita more*

con-

condito, ut neque ab homine ſupremum eos ſpectari fas ſit, & cælo non oſtendi nefas. Mero die feſta fieri ex ipſius legis, & Plinii interpretis verbis ſatis perſpici poteſt, & Plinius Junior Epiſtola 1. lib. 2. loquens de Virginii Ruffi maximi, & clariſſimi civis publico funere, quod inſigne atque etiam memorabile Populi Romani oculis ſpectaculum exhibuit, cujus exequiæ magnum ornamentum Principi, magnum ſæculo, magnum etiam foro, & Roſtris attulerunt. Sed Chriſtianam explicemus diſciplinam. Credo poſt Chriſtianæ fidei, & Religionis, *Conſtantio* Imperatore, res ſtabilitas, nonniſi mero die ipſas Chriſtianorum exequias, ubi commode accidit, celebratas fuiſſe. Nec quis Sancti *Ambroſii* locum opponat, lib. de viduis, ubi de vidua alteras poſt mariti deceſſum repetente nuptias diſſerit. Viduam duplicem conſtituit ejus generis, unam quæ prolem ex priore marito ſuſceperit, & ſalvam habeat, alteram quæ liberos ſuſceperit, & perdiderit. Priorem ſic compellat: *Tibi quid conſilii tribuam quæ liberos habes? quæ tibi cauſa nubendi, niſi forte levitatis error, & intemperantiæ uſus, & ſaucii cogit pectoris conſcientia.* Poſteriorem ſic dehortatur. *Nonne iterum paſſura quod repetit, & ad ipſorum votorum tumulos exceptarum orbitarum imagines, lamentorum ſtrepitus perhorreſcit? Vel cum accenſis funalibus nox ducitur, nonne pompæ funebris exequias magis putat quam thalamum præparari?* Non vult B. *Ambroſius*, eo loci, ad noctem exequias celebrari, ſed ritum nuptiarum cum ritu funeris componit. Ut in nuptiis, ita in funere tædæ, & faces uſitatæ hinc illud de matrimonio recens iunctis:

Vivite felices inter utramque facem.

Sub noctem accenſis facibus nova nupta in domum mariti deducebatur, ſi Varroni credimus, in Ætiis. *Antea*, inquit, *ſive olim nonniſi per noctem nubentes ducebantur a ſponſis*; ait itaque ipſo nuptiarum die funalia illa accenſa non minus exequiarum ritum præferre quam nuptialem deductionem, non quod tempus tempori reſpondere contendat. Quin potius Chriſtianos clara luce ſuos olim defunctos ſepulturæ mandaſſe, in gratiis teſtatur *Julianus* Imperator, Apoſtata noſtris dictus, quod mirum *Theodoſium* Imperatorem valde pium, & orthodoxum in ſuum Codicem retuliſſe, ſic autem loquitur Cod. Theodoſ. lib. 9. tit. 17. lib. 5. vocatque impius parabata, ſecundum facinus, quod in defunctos admittatur. *Secundum*, inquit, *illud eſt quod efferri cognovimus cadavera mortuorum per confertam populi frequentiam, & per maximam inſiſtentium denſitatem, quod quidem oculos hominum infauſtis inceſtas aſpectibus. Qui enim dies eſt bene auſpicatus a funere? aut quomodo ad Deos, & templa venietur? ideoque quoniam, & dolor in exequiis ſecretum amat, & diem functis nil intereſſe, utrum per noctes an per dies efferantur liberari convenit populi totius aſpectus, ut dolor eſſe in funeribus non pompa exequiarum nec oſtentatio videatur.* In Chriſtianos hanc legem ſcriptum eſſe facile evincam, lata eſt Antiochiæ, quæ urbs omnium totius Orientis urbium fide in Chriſtum illuſtris erat, & Theopolis idcirco cognominata, nec non Chriſtianis civibus abundabat, imo in Miſopogone, fatetur impius ille, totum populum Antiochenum impietatis ſectam, ſic ſceleſtus Chriſtianam religionem perſtringit, ſectari cujus civitatis Chriſtum fuiſſe πολιοῦχον veluti numen tutelare ab ipſis civibus habitum, & vehementer dilectum prodit, hinc odium impuri Apoſtatæ in Antiochenos & viciſſim Antiochenorum in illum & vulgo ipſorum jactatæ voces, *Julianum* indixiſſe bellum cui, ideſt Chriſto. Sic enim antea refert Antiochenos dicere ſolitos Chi & Cappa Antiochiæ nil nocuiſſe, & ex interprete ſe didiciſſe notas illas nihil aliud ſignificare, quam Chriſtum & Conſtantium. Dolebat leviſſimus transfuga Chriſtianos defunctos mero die, longo exequiarum agmine maximo pſallentium concentu, ad ſepulchrum deduci. Sic enim priſcis Eccleſiæ temporibus factitatum fuiſſe, nec prius vita functos Chriſtianos ſepulturæ traditos quin ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium pro eorum requie ageretur, quemadmodum ex capite ultimo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ Beati *Dionyſii* colligere licet. Et quidem apud Græcos mos iſte perduravit: cum enim *Balſamo* in Canonem 4. Apoſtolorum ſcribit κανίσκια capſas omni genere fructuum ornatas ad altare offerri in memoriis Sanctorum & mortuorum nonniſi inter Liturgiæ & Miſſæ officia id præſtari veriſimile eſt. Nam memorias Sanctorum

Digitized by Google

hoc loco interpretos feſtos dies in memoriam Sanctorum decretos, quod ex Concilii Laodiceni Canone 51. & *Balſamone* ad hunc locum firmare licet. Eodem pacto mortuorum memoriæ non aliæ erunt cenſendæ, quam liturgicum iſtud & publicum miniſterium defuncto alicui, cum ſepeliendus eſt, exhibitum. Sed apertiſſime id explicat idem *Balſamo*, in Canonem 106. Concilii Carthaginens. Græca collectione in Synodo inquit hujus Reginæ urbium (Conſtantinopoleos) diverſa fuerunt edicta, ſignificantia eos Sacrorum celebrandorum ſuſpenſioni eſſe obnoxios Antiſtites, qui in Nobilium & Procerum defunctorum memoriis ſacrificant, & dicunt laudatorias preces cum jam bis vel etiam ſoluta oratione. Similiter & Synodali edicto excommunicati ſunt lectores qui in iiſdem memoriis muſica & organica cantica cantillant & pro Epitaphio Epithalamium celebrant. Atque ii recte ſegregari ſunt. Qui autem per pia Cantica naturæ vim non afferentia, & allelujaria, artificioſam vocis dulcedinem præſeferentia hæc faciunt injuria ſegregantur. Non enim luctuoſe, ſed feſtive ac panegyrice memorias hodie celebramus, Deo gratias agentes cui placuit ut is qui defunctus eſt cum fide orthodoxa migraret & qui efficere dignatus ſit ut aperte & cum omni libertate defunctos noſtros ſepeliamus, & non, ut antea, in angulis abjiciamus tum cum hæretici vigerent, & res Catholicorum abjectæ & afflictæ. Ideo ſuffitibus & lampadibus & magnificis congregationibus defunctum excipimus, ut qui ſit per Baptiſmum ſanctificatus. Concludit. Nota præſentem Canonem propter Antiſtites qui dicunt inſuetas precationes in memoriis & de allelujariis qui cantant ſuper mortuos. Interim obſerva non tantum apud Græcos in exequiis defunctorum. *Alleluja* decantari quod & in eodem Horologio memoratur, verum etiam apud Latinos & quidem Romæ teſte B. *Hieronymo* Epiſtola 30. ad Oceanum ubi de funere *Fabiolæ* agit. In Eccleſia Latina jam a multis ſæculis, non alio ritu qu m præmiſſa Sacra Liturgia Chriſtianos mortuos ſepulturæ traditos, ubi opportune id liceret, nimis quam verum eſt. *Tertullianus* ita ſentire videtur lib. de anima cum ſcribit fœminam quamdam, *Morante ſepultura, interim oratione Presbyteri fuiſſe compoſitam.* Quamquam generali notione orationis nomine preces quæcumque intelligi, poſſunt, at Sacrificii liturgici actio excellentiori ſignificato *Oratio* nuncupatur, hinc Tertullianus ipſe, lib. de oratione Sacrificiorum *Orationes*, dixit, & lib. ad *Scapulam*, ſcribit Chriſtianos ſacrificare Deo pura prece. Iſtud explicare *Tertulliano* nefas, fuit, ne præcipuum Chriſtianæ Religionis Myſterium infidelibus proderet. Et quid ſibi vult cum ait: *Viduam pro anima defuncti mariti curare debere offerri annuis diebus dormitionis ejus?* anno multo magis ipſo die dormitionis & proinde ſepulturæ? Sic lib. de Monogamia & in exhortatione ad caſtitatem Beatus *Cyprianus*, Epiſtola 66. dum vetat pro Clerico ad tutelam nominato offerri & Sacrificium pro dormitione ejus celebrari, quid aliud oſtendit niſi adhibito Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, ſepulturam ipſius perfici? Quamquam non negem utrumque diſtincto corpore peragi potuiſſe. Quod ſi quis pervicax id ſibi aperrius probari poſtulet, teſtes habeat fidei pleniſſimos, Sanctam Hieronymum in Comite ſeu Lectionario apud quem *Agendam* (ſic veteres Miſſam nominarunt) pro mortuis reperiet; Sanctum *Ambroſium*, in cujus Miſſali legere eſt Præfationem peculiarem die obitus alicujus demortui in Miſſa recitandam, Beatum *Gregorium* in Libro Sacramentorum ac poſtea *Alcuinum Caroli* Magni Præceptorem, apud quos hæc tam nota ſunt, quam cuique ſua domus. Pergo & illud quod longe graviſſimum videtur, urgeo, cum apud nos tenebriones hæretici adeo tenebris delectenrur ut etiam mortuos ſuos, utpote tenebris exterioribus in quibus eſt fletus & ſtridor dentium in perpetuum addicendos, non niſi poſt compoſitum diem nocte adventante humari curent. At quibus ullo fidei & religionis commercio, vivis non communicavimus, quid mortuos æmulamur? Et vere apte *Tertullianus* Apologetici cap. 22. *Nec fas eſt ulli de ſua religione mentiri* verendum eſt ne nocturnæ ſepulturæ vel in fide & religione Chriſtiana Catholica diſſimulationem aliquam arguant vel imitamentum hæretici ritus ſepeliendi præſeferant. Quod de Ethnicis *Tertullianus* lib. de Idololatria, idem de hæreticis & merito quidem

uſur-

uſurpare poſſumus. *Licet convivere cum hæreticis commori non licet, convivamus cum omnibus collætemur ex communione naturæ, non ſuperſtitionis. Pares anima ſimus non diſciplina, compoſſeſſores mundi non erroris.* At quis ille convinctus & communis vitæ ſocietas? Beato *Hieronymo*, Dialogo 2. contra Pelagianos, *Nulla major inimicitia*, quam amicitias neceſſitate ſociare. Commoti vero quod dixit *Tertullianus*, quid aliud indicat, quam vel ipſo vitæ exitu eumdem profiteri Dei cultum notionemque, parique ſepulturæ ritu efferri? Carpunt hæretici noſtram ſepeliendi formam & modum quem igitur Chriſtianum Catholicum pudeat uſitata priſcis & Majoribus noſtris ſepultura donari? Scite *Tertullianus* libro citato, *Benedictio eſt nominis, maledictio cuſtoditæ diſciplinæ*. Quibus itaque Eccleſiæ Chriſti Catholicæ morigeris & obſequentibus filiis lux innaceſſa & æternum ſplendens promiſſa eſt, & vivi & mortui ſe lucem ſemper adamaſſe teſtentur, & a Deo ut maximo, ita optimo veri & ſinceri filii lucis excipiantur Epheſ. 5. *Tertullianus* hunc locum ſic expreſſit, lib. adverſus Praxeam. *Nam lucere in mundo Chriſtianos oportebat ut filios lucis, lumen mundi unum & Deum & Dominum colentes, & nominantes.*

P. D. JOHANNIS MABILLONII

MONACHI BENEDICTINI

De Ritu humandi Sacerdotes veteri & novo. Epiſtola, ſeu

DISSERTATIO XXVIII.

I. PŒne exciderat quæſtio, quam mihi abſolvendam propoſuiſti, chariſſime *Theophile*, nempe de Ritu ſepeliendi Sacerdotes, haud ubique nunc uniformi, dum converſis aliis ad orientem, alii ad occidentem capitibus, eorum cadavera in tumulis componunt. Uter modus ſit antiquior, rogas; uter præferendus. Ut paucis hac quæſtionem abſolvam, inſpice vetera Epiſcoporum in Cathedralibus, & Abatum in monaſticis Eccleſiis monumenta; & vide an vel unum converſum ad orientem caput exhibeat ante noſtrum, aut forte patrum noſtrorum ſæculum. Brevis hæc probatio, nec quæſitu difficilis, ſed tamen certa & indubitata ad demonſtrandam hujuſce ritus antiquitatem. Atqui in ejuſmodi rebus præferendum videtur id quod univerſim bona probat antiquitas, etiamſi inſtitutionis rationem forte ignoremus. Recte ad propoſitum in conſimili argumento *Joannes* Diaconus in Epiſtola ad *Senarium* virum illuſtrem: *Illud firma mente teneo*, quod non a majoribus tradita cuſtodiret Eccleſia, niſi certa ſui ratio popoſciſſet: nec ea poſſumus dicere inania videri ac frivola, quia eorum minime rationem accepimus.

II. Verum non deeſt ratio, quæ veterum illum morem probet. Vis ſcire qualem? Nimirum ea quæ petitur ab exemplo Chriſti Domini, quem capite ad occidentem, pedibus ad orientem converſis, ſepultum fuiſſe tradunt veteres, probantque ex deſcriptione illius monumenti. Audi quid inſuper hac re ſcribat *Haimo* Epiſcopus Halberſtedenſis, vir inter ſæculi noni haud incelebris, in homilia pro die ſancto Paſchæ. Is, deſcripta ex antiquiorum relata ſpelunca, in qua Chriſti ſepulcrum exciſum erat, hæc ſubdit. *Oſtium vero ſpeluncæ patulum eſt ad orientem. Unde introeuntibus locus Dominici corporis in dextris habetur: quia Dominicum corpus ita in monumento jacuit*, UT CAPUT ILLIUS AD OCCIDENTEM, ET PEDES AD ORIENTEM RESPICERENT: *dextra quoque manus ad meridiem, ſiniſtra ad Aquilonem*. Nihil clarius ac luculentius ad demonſtrandum Chriſti exemplum; nihil efficacius ad veterem illum ritum

aſſerendum. Idem porro colligere licet ex deſcriptione Chriſti monumenti, quam exhibet *Adamnanus* in libro primo de Locis Sanctis & poſt eum Venerabilis *Beda* ex relata *Arculfi* Epiſcopi Gallicani, qui hæc ante annos fere mille & centum oculis contemplatus fuerat. Hinc facile intelligas, veterem illum ſepeliendi ritum ab exemplo Chriſti Domini petitum fuiſſe. Nec dubita, aſſerente idipſum *Haimone* mox laudato. *Ex quo tempore*, inquit, conſuetudo excrevit, Chriſtianorum corpora ad hanc ſimilitudinem ſepeliri. Idem atteſtatur prædictus *Adamnanus* in libro ſecundo de locis ſanctis, ubi obſervat Patriarchus veteris teſtamenti alio modo ſepultos fuiſſe: *quorum plantæ*, inquit, *non* Sicut In Aliis Orbis Regionibus Ad Orientem Humatorum Converti Moris Est, ſed ad meridiem verſæ, & capita contra ſeptentrionalem plagam *converſa*. Itaque ante annos mille & centum jam mos obtinebat, teſte poſt *Arculfum Adamnano*, ut plantæ humatorum, nullo diſcrimine ad orientem converterentur. Cur ergo Sacerdotes ab hac conſuetudine recedant, quæ Chriſti Domini exemplo firmata eſt? At Sacerdotes ſunt, & in benedicentium more compoſiti; ideoque converſi in tumulis ad populum, quaſi benedictionem impertituri. Verum ceſſant in ſepultis hæc Sacerdotum prærogativæ, unaque ſors omnium mortalium in ſepulcris. Quidni ergo prævaleant novitiis illis ritibus antiquitas, in omnibus olim uniformis. Quidni Sacerdotes, ut cæteri homines, exemplum Chriſti ſepulti imitentur?

III. Quod ſi ad antiquitatem & exemplum tam ſacrum rationes morales adjungi cupis, orientem ſpectant Chriſtiani orantes, orientem ſepulti, in ſpem reſurrectionis, cujus oriens ſymbolum eſt. Mihi itaque conſultius videretur, ut antiquitatem ſicut cæteri, retinerent Sacerdotes, ſequerenturque exemplum Chriſti Domini, qui unam cum ceteris reſurrectionis ſpem habent.

IV. Quo tempore hæc antiqui ritus mutatio facta ſit, operæ pretium fuerit hic obſervare. Omnes, quotquot vidi, veteres libri rituales (vidi autem plurimos maxime apud PP. Minimos Pariſienſes) nullum diſcrimen ponunt ante ſæculum decimum ſeptimum inter Sepulturam Sacerdotum, & aliorum. In Rituali Ord. Prædicatorum typis *Alfonſi* Ciaconii Romæ edito anno 1607. tantum præſcribitur, *ut deponatur corpus, & collocetur ſupinum, poſitis pedibus ad orientem vel ad meridiem ſecundum foſſæ diſpoſitionem*, nulla Sacerdotum facta diſtinctione. Rituale Geneven ſe, a ſanctæ memoriæ *Franciſco* Saleſio ordinatum anno 1612. editum, in quo omnia, quæ ad ſepulturam pertinent ex antiquitate accurate repetuntur nullam præſcribit Sacerdotes inter & laicos diverſitatem. Prima hujuſce diſtinctionis mentio facta videtur in Rituali Romano, *Pauli* V. juſſu vulgato Romæ anno 1614. In capite enim de exequiis hæc leguntur, *Corpora defunctorum in Eccleſia ponenda ſunt pedibus verſus altare majus; vel ſi conduntur in oratoriis aut capellis ponantur cum pedibus verſis ad illarum altaria: quod etiam pro ſitu, & loco fiat in ſepulchro. Presbyteri vero habeant caput verſus altare*, ſcilicet in ſepulcro. Ab illo haud dubio tempore hæc mutatio facta eſt, ut in Rituali Carnutenſi, quod *Leonorius* d'Eſtampes anno 1627. imprimi curavit: tametſi Quædam Eccleſiæ veterem uſum retinuerunt in his inſignis Eccleſia Remenſis ut patet ea novo Rituali Illuſtriſſimi *Caroli Mauricii* Tellerii Archiepiſcopi-ducis Remenſis, in quo diſerte præſcribitur, ut Sacerdotes non alio modo, quam laici in tumulis componantur.

V. Porro hæc mutatio ex eo initium duxiſſe videtur, quod corpora Sacerdotum in eccleſia antequam ſepelirentur, ut erant nudo vultu, & ſacerdotalibus induta veſtibus, verſo capite ad altare principio poſita ſunt, ut populo ſpectabilia eſſent, quod ex vetuſtis quibuſdam ritualibus libris diſcimus; deinde vero eadem poſitio in ipſo quoque ſepulchro ſenſim obſervata eſt.

VI. Cæterum quæcumque hactenus hoc de argumento dixi, non eo animo a me allata ſunt, quaſi novum ritum improbem (quod abſit ut mihi arrogem, ſcio enim id eſſe diſciplinæ mutationi obnoxiæ) ſed ut antiquum illuſtrarem ritum, quæ nonnullæ hactenus eccleſiæ retinent, non ſine fundamento, ut ex dictis manifeſtum eſt.

L U-

LUDOVICI ANTONII MURATORII

DISSERTATIO.

De veterum Chriſtianorum ſepulcbris. Ad Clariſſimum doctiſſimumque virum Joannem Ciampinum *Romanum, Magiſtrum Brevium Gratiæ, Literarum Apoſtolicarum Majorem Abbreviatorem, & in utraque Signatura Referendarium.*

DISSERTATIO XXIX.

I. Emerſit apud nonnullos opinio, Ciampine vir eruditiſſime, ſcilicet priſcis temporibus haud quaquam licuiſſe in ſacris ædibus Fidelium Chriſtianorum corpora tumulare, quia quibuſdam Imperatorum edictis id interdictum deprehenditur. Hinc egregius Scriptor Cabaſſutius ad Can. VI. Concilii Namnetenſis: *Serius*, ait, *in uſum Eccleſiarum receptum fuit*, ut Fidelium cadavera intra templorum ambitum ſepelirentur. Tum Gregorii Magni temporibus hanc invaluiſſe conſuetudinem concedit, quippe quæ ex ejus Dialogis evidenter eruitur. Citantur in hanc rem Can. 36. Concilii Bracarenſis Primi, ubi *intra Baſilicas ſepeliri Fidelium cadavera probibentur*; & Can. 17. Concilii Triburienſis Anno 895. coacti illud idem interdicens. Pro his etiam militant lex 2. C. de Sacroſan. Eccleſ., in qua ſic legitur: *Nemo Apoſtolorum, vel Martyrum ſedem bumanis corporibus exiſtimet conceſſam*, & lex ult. C. Theod. de ſepulcr. viol. his expreſſa verbis: μηδεὶς ἐν ἐκκλησίᾳ ταττέτω νεκρὸν, *nemo in Eccleſia ſepeliat mortuum*. Kepperus heterodoxus homo in Polit. Eccleſ. lib. 1. cap. 15. poſtquam ſimiles protulit auctoritates in hanc mirabilem ſententiam deſcendit: *Poſtquam vero creſcente ſuperſtitione ſacra pro defunctis ſub Gregorio Magno fieri cœperunt, tunc etiam Cæmeteria templis vicinia fecerunt Monachi, & ſacrificuli ut ſacra illa facilius obire, & quæſtum majorem facere poſſent*. Eſt hæc & plurium Novatorum invidioſa de nobis opinio. Verum aperte nimis hunc hæreticum, ejuſque aſſeclas falli, ſimulque apud veteres in uſu fuiſſe, ac non ſine laude peractum, ut in ſacris ædibus Fidelium cadavera humarentur, ſolidis evincere teſtimoniis poſt eruditiſſimum Spondanum nitar, quibus præſentium temporum morem cum antiquis conſentire penitus oſtendam. Sunt Paulini carmina.

Cellula de multis, quæ per latera undique magnis
Adpoſitæ tectis præbent ſecura ſepultis
Hoſpitia.

Hæ profecto cellulæ in ipſa fuere Baſilica, ejuſque partem conſtituebant; dixerat enim Paulinus furem clauſis Baſilicæ foribus incluſum, iiſque recluſis mane fugam arripuiſſe.

Harum una fur abditur, atque ubi mane
Clauſtra patere videt, reſerata proſilit aula.

Nihil vero aliud mihi videntur, quam eædem, quas nos Italico Sermone vocamus *Capellæ*. Quod & ex ejuſdem Paulini ad Severum epiſtola XII. manifeſte iterum probo: *Totum*, inquit ille, *extra Concham Baſilicæ ſpatium alto, & lacunato culmine geminis utrinque porticibus dilatatur, quibus duplex per ſingulos arcus columnarum ordo dirigitur. Cubiculo* (en tibi Capellæ præfatæ) *intra porticus quaterna longis Baſilicæ inſerta ſecretis ornantium, vel in lege Domini meditantium, præterea memoriis Religioſorum, ac familiarium accommodatos ad pacis æternæ requiem locos præbent*. Rurſus ecce dives in hiſce Cubiculis tumulos Chriſtianæ gentis fuiſſe ſitos. Lateribus autem Baſilicæ cellulæ iſtæ, ſeu cubicula inſita erant, eodemque procul dubio ordine,

quo

quo præſentium temporum Capellæ diſpoſitæ conſpiciuntur; Siquidem porticus ibi memoratæ, intra quas Cellæ collocabantur, ecquid aliud ſunt quam quæ nobis *laterales Baſilicæ naves* nuncupantur? Geminas porro hujuſmodi naves extra majorem Eccleſiæ concham utrinque ſitas altn, ac magnifico opere, ſuiſque columnis diſtinctas videre eſt in immani, mirabilique Eccleſia Metropolitana Mediolani, tibique in Urbe æterna degenti plura circumquaque exempla ſuppetunt. Sed ut Cubiculorum, quæ Paulinus memorat, ſignificationem evidentius attingamus, en tibi Anaſtaſii Bibliothecarii in Sergio Papa hac de re teſtimonium: *Hic tectum, ait, & cubicula univerſa in circuitu Baſilicæ B. Apoſtoli Pauli ſtudioſius renovavit, ac reparavit*. Defunctos autem vita hiſce in Cubiculis tumulatos ex eodm Auctore diſcimus in Marcellino: *Hic ſepultus in Cæmeterio Priſcillæ in Cubiculo claro*. Quin & apud Græcos uſurpatum eodem ſenſu cubiculi nomen Anonymus de Locis Sanctis cap. 1. apud Clariſſ. Du Treſnium in Gloſſ. med. & inf. Latin. Καὶ εἰς τὸ μέσον τῆς τρούλλας εἰς τὸ ἔδαφος κουβούκλιον πέτρινον ὡραιότατον, *& in medio Trulli ſuper ſolum jacet cubiculum ex marmore formoſiſſimum*. Idem Anonymus cap. 15. refert τὸ μνημεῖον τῆς Ραχὴλ καὶ βουκλιον πέτρινον: *monumentum Rachaelis in Cubiculo marmoreo*. Eadem cubicula quoque οἰκίσκοι appellabantur a Græcis. S. Nilus in deſcriptione Templi ab Olimpiodoro Præfecto extructi ſic ait: ἐν δὲ τῷ κοινῷ οἴκῳ πολλοὺς καὶ διαφόρους οἰκίσκους διακεκριμένους ἀρκεῖ δὲ ἕκαστον οἰκίσκον πεπηγμένῳ τιμίῳ σταυρῷ &c. In communi vero æde multis variiſque diſtincta Cubiculis attolli Cubiculum unumquodque, compoſita intus venerabili Cruce. Itaque iſtis in cellulis quum piorum memoriæ, ſeu tumuli ſtatuerentur evidenter elucet in Baſilicis Fidelium ſepulcra fuiſſe locata. Alius præterea pius inter Catholicos uſus obtinuit ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, ut Martyres in ſacris conderentur ædibus, uti in notis animadverti ad illud carmen in Nat. XI.

Quæ cineres reverenda tegunt altaria Sacros,

ubi etiam innui fas non potuiſſe templa abſque Martyrum corporibus, aliquibuſque Reliquiis ſacrare. Illud certiſſimum, & extra omnem dubitationis aleam poſitum. Alius autem mos erat Fidelibus, nempe omni ſtudio curare, ut SS. Martyrum corporibus cadavera ſua opponerentur, quia tantorum apud Deum interceſſorum precibus ſe fortius adjuvandos arbitrabantur. Paulinus in Panegyr. Celſi pueri hæc de filio ſibi defuncto habet.

Quem Complutenſi mandavimus urbe propinquis
Conjunctum tumuli fœdere Martyribus.
Ut de vicino Sanctorum ſanguine ducat
Quo noſtras illo purgat in igne animas

II. Sanctus quoque Auguſtinus a Paulino meo interrogatus, *an cuique poſt mortem proſit, quod Corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam ſepeliatur* (ſunt ejus verba lib. 2. Retract. cap. 64.) Librum unum repoſuit *de cura pro mortuis gerenda*. Ibi vero ait: *Hoc abs te vidua memorata petiverat pro defuncto in eis partibus filio ſuo, & reſcripſeras conſolans eam idque etiam nuncias de cadavere fidelis juvenis Cynegii, quod materno, & pio affectu deſideravit eſſe completum, ut ſcilicet in Beatiſſimi Felicis Confeſſoris Baſilica poneretur*. Probat ibidem hanc piam conſuetudinem Auguſtinus, neque ab hoc fideli juvene tantum, ſed ab univerſis Fidelibus uſurpatum affirmat. In calce libri hæc ſatis expreſſe ſubjicit Doctor magnus: *Quod vero quiſque apud Memoriam Martyrum ſepelitur, hoc tantum mihi videtur prodeſſe defuncto, ut commendans cum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo ſupplicationis augeatur*. Unuſquiſque igitur apud Martyrum tumulos ſepeliebatur, ac idcirco intra templorum ambitum S. Maximus Taurinenſis Epiſcopus Serm. 55. hujuſce rei fidem facit: *Ideo hoc*, inquit, *a majoribus proviſum eſt, ut Sanctorum oſſibus noſtra corpora ſociemus, ut dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat, dum illos Chriſtus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergo Martyribus quieſcentes evadimus Inferni tenebras eorum propriis meritis, attamen conſocii ſanctitate*. Florebat Maximus quinto Epochæ noſtræ ſæculo, & quum is *a majoribus proviſum* afferat, ut oſſa noſtra Sanctorum oſſibus copulentur, continuo

tinuo patet prioribus Eccleſiæ ſæculis Chriſtianorum cadavera in templis componere conſuetum fuiſſe. Nonnulla vero, ut multis parcam, iſtius rei exempla dabo non longe nimis adſcita, ſed Mediolani nata. Quietis locum in Ambroſiana Baſilica ſub altari ſibi vivens deſtinarat S. Ambroſius, ubi dein SS. Gervaſi, ac Protaſii corpora locavit. Ait ille in Orat. ad populum de iiſdem Martyribus habita: *Hunc ego locum prædeſtinaveram mibi: dignum eſt enim ut ibi requieſcat Sacerdos, ubi offerre conſuevit. Sed cedo ſacris victimis dexteram portionem. Locus iſte Martyribus debebatur*. S. Satyrus ejuſdem Ambroſii frater, vir inter Laicos dumtaxat connumeratus, parem ſortitus eſt quietis ſedem; ab amantiſſimo enim fratre in S. Victoris tumulo depoſitus eſt, additique ſepulcro verſiculi a Dungalo quoque relati.

Uranio Satyro ſupremum frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambroſius.
Hæc meriti merces, ut Sacri Sanguinis humor
Finitimas penetrans abluat exuvias.

III. Aliud etiam in Ambroſiana Baſilica non minoris antiquitatis pretiique monumentum occurrit, Manliæ nempe Dædaliæ Virginis piæ ſarcophagus his carminibus diſtinctus:

Martyris ad lævam recubent quæ membra ſepulcro
Ut Lector noſcas eſt operæ pretium.
Clara genus, cenſu pollens, & mater egentum
Virgo ſacrata Deo Manlia Dædaliæ.

Reliquos verſus a Grutero in Inſcript. volum. pete. Sed & S. Marcellina juſta S. Ambroſii fratris tumulum requiem invenit, quod ut apertiſſimum, probatione non indiget. Hi igitur omnes, quod Eccleſiaſticus poſcebat uſus, intra ſacrarum ædium ambitum ſepulturam aut in vivis conſtituti ſibi deſtinaverant, aut poſt mortem aliorum ſtudio ſunt nacti, ut mirer Cabaſſutium in hæc verba extitiſſe: *Verum non in alia templi parte quam in veſtibulo, conditus Conſtantius Auguſtus, quod idem cenſendum pariter exiſtimo de Epiſcopis*. Atqui S. Ambroſium reliquoſque Fideles una cum SS. Martyrum cineribus cineres ſuos compoſuiſſe tam certum, ut nihil hæſitationis obveniat. Quum vero SS. Martyres ſub templorum altaribus quieſcerent, quis non videt Chriſtianos quoque Fideles, nedum Epiſcopos, in interioribus ſacrarum ædium penetralibus ſuam inveniſſe ſepulturam? Quam autem improvide ad contrarium firmandum Canon Concilii Moguntiaci inducatur, quam refert etiam Gratianus in c. nullus a 13. quæſt. 2. nemo non videt. Eſt ille his conceptus verbis. *Nullus mortuus intra Eccleſiam ſepeliatur, niſi Epiſcopi aut Abbates, aut digni Preſbyteri, aut Fideles laici*. Etiam laicos Fideles præter Epiſcopos & Presbyteros templis inferri poſt mortem ſolitos hinc diſcimus, tantum abeſt, ut contrarium inde ſuadeatur. Itaque ſolos Infideles, Hæreticoſque, aut etiam laicos parum dignos, puta ſine pœnitentia defunctos, uſuris addictos, occiſores, aut hujuſmodi morbis tactos reſpicit laudatus Canon, quos a Sacris in Eccleſia ſepulturis arcendos omnino conſtituit. Quod ſi quidam Canones, & Imperatorum leges adverſus hunc pium morem emanarunt, non non alia ratio in cauſa fuit, niſi quia nimis in ædibus ſacris tumulorum cadaverumque moles augebantur, ut propterea coercendi ex parte fuerint Chriſtiani, quibus extra Eccleſiam ſacer locus alium aperiebat ſepulcri campum. Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus in S. Remigii Vita apud Sur. Tom. 1. quamdam Eccleſiam memorat, *in qua eique circumjacentibus atriis ex antiquo erat Cæmeterium Rhemenſis Eccleſiæ*. Vides igitur *ex antiquo*, videlicet ante S. Remigii tempora, qui ſæculo Chriſti quinto degebat, tum in ipſis Templis, tum etiam circa illa Chriſtianorum tumulos fuiſſe conſtitutos. Gotfredus ad l. 9. Cod. Theod. Tit. 16. ſepulcr. viol. *Obſervandum*, ait, *etſi Chriſtiana Religione invaleſcente contra legem obtinuerit Sanctorum reliquias in Civitatibus condi, atque ad ejuſmodi ſepulchra plerumque ædiculæ, ſeu Martyria extructa fuerint, in quibus Imperatores Conſtantinopoli, mox & Sacerdotes ſingulari privilegio fuerint ſepulti, privatis tamen idem non licuiſſe*. Hæc juxta legis ſenſum, quibus, & ego lu-

Digitized by Google

lubens ſubſcribo. At hinc illud diſcimus, in urbanis quidam templis per aliquod tempus interdictam Fidelium ſepulturam, quia & antiquis Ethnicorum placitis, & Chriſtianorum pariter Principum edictis cautum erat, ne in urbibus ſepulchrum mortuo concederetur; in Eccleſiis vero extra urbem ſitis, cujuſmodi primo Chriſtianæ Religionis ævo pene omnes erant, id non licuiſſe parum ſapit, qui negare ante tot veterum teſtimonia audeat. Non ſum denique eorum immemor, quæ tu in egregio opere de veter. Monim. tom. 1. cap. 17. Cœmeteria illuſtrando protuliſti, ſed apud temetipſum tua adhibere inutilis opera cenſeretur. Unum iccirco producam Onuphrium Panuvinum virum tanti in antiquitatum ſcientia nominis, qui in ſuis ad Platinam additamentis libellum de Cœmeteriis iiſdem propoſuit. Docet autem *Cœmeteria non ſolum Eccleſias fuiſſe, & Baſilicas, ſed aliquid melius quam Eccleſiæ urbanæ, ſepulchra ſcilicet Chriſtianorum, quæ intra Urbem fieri non poterant, habuiſſe*. Id innumeris ille exemplis roborat, quæ apud illum, & apud Spondanum in lib. de Chriſt. ſepult. recolenda volentibus reſervamus. Hinc igitur Ciampine doctiſſime, ni mea me fallit opinio, eluceſcit quam imprudenter Kepperus aliique hæretici in Chriſtianorum ſepulchra ferantur. Profecto non Gregorii Magni temporibus, nempe ſæculo Æræ noſtræ ſeptimo, vicina templis loca ſibi in tumulum uſurpare cœperunt Fideles, ut illi nobis invidiam conflaturi ineptiunt, ſed ipſis prioribus Eccleſiæ ſæculis id apud non paucos receptum fuit, ut intra ipſas tumularentur Baſilicas. Quibus hucuſque enarratis ſi calculum tuum pro ſumma, qua polles, eruditione addideris, ego non tam, quod hæreticorum calumniam everterim, quam quod tibi placuerim, mihi ſummopere gaudebo. Vale.

LUDOVICI ANTONII MURATORII

De antiquis Chriſtianorum ſepulchris.

DISSERTATIO XXX.

Ad Clariſſimum, ac eruditiſſimum Virum.

JUSTUM FONTANINUM

In Archigymnaſio Romano publicum eloquentiæ Profeſſorem, & Eminentiſſ. Card. Renati Imperialis Bibliothecarium.

Synopſis Diſquiſitionis.

Chriſtiani ſacris in ædibus, & olim tumulati Oriente. Abuſus in eum ritum invecti. Profanis etiam, & Infidelibus ſepultura illic data Patribus contra clamantibus. Tumuli alieni dejecti, ut Martyrum ſepulchra ornarentur. Iidem tumuli venum dati. Explicatur Lex VI. Cod. Theod. *de ſepulchr. viol.* oſtenditurque ibi non improbari ſepulturam Chriſtianorum in Templis. Mortuos olim intra urbes tumulare nefas. Imperatores hoc tantummodo confirmarunt. Explicantur aliæ quædam Imperatorum Leges. Tum ante eas Leges, tum etiam poſtea in ſacris templis ſepulti Chriſtiani. Varia pro varietate locorum diſciplina.

I. Non paucos, *Fontanine* doctiſſime, inter Heterodoxos Scriptores invenias, quibus piaculum videatur, quod ſacris in Ædibus Chriſtianorum cadavera tumulare ſoleamus. Neque, id mirum, ho-

homines a noſtra communione ſegregatos ſententiis quoque, & moribus a nobis vel in minimis diſſidere. Illud potius mirari ſubdit, quod quoſdam etiam de noſtris habeamus, eumdem ritum averſantes, & opinionem ſuam veteris Eccleſiæ auctoritate, ut ſibi videtur tuentes. Verum ſi eam, quam utrique nobis objiciunt, priorum temporum notitiam diligentius conſuluiſſent, aut nullum ſepulchris noſtris bellum indictum, aut mitius cum illis jam actum fuiſſet. Etenim, ut in Diſquiſitione XVII. Tom. I. Anecdotorum meorum oſtendi, antiquis etiam temporibus pia hæc conſuetudo non invaluit modo, ſed etiam præſtantiſſimorum virorum ſuffragium tulit. Equidem, ut candide tecum loquar, non is ſum, qui tot tumulos in domo Dei commendem, quum non Templa, ſed Cœmeteria ingredi nonnumquam videar mihi. Sed qui modum in hujuſmodi re opto, non continuo rem ipſam improbo. Quin ſecundas curas ad idem argumentum deferre nunc placet, palamque facere ſaltem poſt Imperium *Conſtantini* conſueviſſe Chriſti Fideles in ipſis ſacris ædibus tumulo tradi. Qua in re duo potiſſimum perſequar. Primam ſcilicet partem impendam in explicandis nonnullis, ſive Nazianzeni, ſive alius vetuſti Scriptoris, verſibus, in quibus niſi lux aliqua affulgeat, difficile aſſequemur mentem Poetæ illius. Verſabitur altera pars in inquirendo, an revera hujuſmodi ſepulchra olim interdixerint Imperatores Chriſtianam Religionem profeſſi. Te autem hujus quæſtionis Judicem in primis volui, ut aut conſenſu tuo ſententia mea glorietur, aut cenſura tua corrigatur quidquid confidentius pronunciavero. Certe non poteram neque graviorem, neque doctiorem amicum ſe igere, quum tibi tum in profana, tum in ſacra eruditione tanta ſit rerum copia, ut cum præſtantiſſimis quibuſque ævi noſtri certare jam poſſis. Quod niſi jam editis libris tu ipſe palam feciſſes, uberiuſque in dies facturus ſis, intelligeret tamen quicumque novit, te jamdiu ab ampliſſimo Cardinali *Joſepho Renato* Imperiali delectum ad curam ſelectiſſimæ ſuæ Bibliothecæ, & denique ad Romani Lycæi Cathedram evectum a CLEMENTIS XI. P. M. cujus optimi ſimul ac doctiſſimi Principis de te judicium non dubito quin futurum ſit cum apud præſentes, tum apud poſteros, abſolutiſſimum tuæ virtutis encomium. Age vero, arenam ſine mora ingrediamur.

II. Uti in memorata Diſquiſitione palam me feciſſe arbitror extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, antiquitus etiam ſacris in Templis Chriſtianorum Fidelium oſſa fuiſſe compoſita. Quum autem in Occidentalibus Eccleſiis non conceſſum modo, ſed laudabiliter quoque uſurpatum oſtendi, id etiam apud Orientales viguiſſe, Nazianzenus in verſibus, quos nunc primum ego edidi, teſtabitur. Ita ille in *Liviam Amphilochii* uxorem Carm. XVII. Anecdotorum meorum.

> Εἷς δόμος ἀλλ᾽ ὑπένερθε τάφος, καθύπερθε δὲ σηκὸς
> Τύμβος δειμαμένοις, σηκὸς ἀεθλοφόροις.
>
> *Una domus, ſed inferiori parte ſepulchrum, ſuperiori vero Templum*
> *Tumulus iis, qui ædificarunt; Templum Martyribus.*

Ecce, ni mea me fallit opinio, *Livia* in Martyrum æde tumulo tradita; ſuperior enim Templi pars Martyribus deſtinata erat; inferior vero, nempe ſubterranea, tumulum cadaveri *Liviæ* præbebat, cujus ſtudio in honorem Martyrum excitata illa Ædes fuerat. Eadem colligi poſſe videntur e *Gregorii* noſtri Oratione X. in funere *Cæſarii* fratris, ubi hæc habentur: Νῦν ἡμῖν ὁ πολὺς Καισάριος ἀποτέθειται, κόνις τιμία νεκρὸς ἐπαινούμενος, ὕμνοις ἐξ ὕμνων παραπεμπόμενος, Μαρτύρων βήμασι πομπευόμενος. *Nunc nobis magnus* Cæſarius *ſervatus eſt cinis pretioſus, mortuus laudatus ex hymnis ad hymnos tranſmiſſus ad Martyrum ſacraria cum pompa ductus*, &c. Scilicet ad Martyrum ædem funebri pompa perductum fuiſſe *Cæſarium*, ibique ſepultum juxta ſacros eorum cineres, intelligimus, ubi complures alii quietis locum ſibi parabant, pie ſperantes fore, ut facilius apud Deum vicinorum Sanctorum patrocinium experirentur, quemadmodum alibi docuimus. Ea alio quoque Nazianzeni Epigrammate nunc primum per me edito diſcimus, *Gregorium* adoleſcentulum humanis functum ab avunculo *Gregorio* juxta puros Martyres fuiſſe appoſitum, καθαροῖς Μάρτυσι παρθέμενον. Neque diverſo

in loco tumulata Nazianzeni manet *Nonna*. Ita de illa ſcribit filius in Epigrammate nunc evulgato:

> Σῶμα δ' ἄρ' ἐκ νεὼ Μάρτυσι παρθέμεθα.
> *Corpus vero de Templo Martyribus appoſuimus.*

Tum ipſos Martyres ille his alloquitur:

> Μάρτυρες ἀλλ' ὑπέδεχθε θύος μέγα, τὴν πολύμοχθον
> Σάρκα, καὶ ὑμετέροις αἵμασιν ἐστομένην.
> *Martyres ergo excipite magnam hoſtiam, laboribus confectum*
> *Corpus, quod ſanguini veſtro ſociatur.*

De ipſa *Nonna* in alio Epigrammate hæc habet Nazianzenus;

> Νηὸς ὅδ', οὐ γὰρ ὅλην Νόνναν θέμις ἦεν ἐρύξαι,
> Ψυχῆς οἰχομένης, μοῦνον ἔπεχε δέμας.
> *Templum hoc, non enim totam* Nonnam *fas erat retinere,*
> *Anima egreſſa, ſolum retinuit corpus.*

III. Hiſce exemplis, ſi forte litem non dirimant, clariſſimum addam, e Cappadocia Nazianzeni provincia, atque ab iſtius ævo petitum. *Macrinam SS. Baſilii* Magni, & *Gregorii* Nyſſeni ſororem, ejuſque parentes intra Martyrum Baſilicam tumulo datos fuiſſe, certiſſimus auctor eſt idem *Gregorius* Nyſſenus in Oratione de *S. Macrina*, quam ad diem XIX. Julii retulit *Surius*. Inquit enim: *Porro quum inter ſeceſſum, & SS. Martyrum ædem in qua parentum etiam corpora quieſcebant, ſeptem octove intercederent ſtadia, totum prope diem in eo ſpatio conficiendo conſumpſimus*. Addit infra: *Quum parentum jam eſſet patefactus tumulus, in quem illam decreveramus inferre* &c. Denique ait: *Sacrum illud corpus e feretro tollentes, juxta matrem appoſuimus, atque ita votum utriuſque complevimus. Uno enim conſenſu ſemper oraverant Deum, ut corporibus poſt mortem copularentur*. Quibus ex rebus conſtare ſatis poteſt, ut mihi videtur, minime Nazianzeno, ejuſve æqualibus diſplicuiſſe Chriſti Fidelium Sepulchra in ædibus Sacris, eumque morem in Cappadocia viguiſſe, qui altas in Occidente jam egerat radices. His autem poſitis, tutius progrediemur ad illius Carminis explicationem, quod εἰς τοὺς ἀνορύττοντας τάφους προφάσει Μαρτύρων, *in effodientes ſepulchra prætextu Martyrum* elucubravit poeta noſter, ſive alius quiſpiam certe vetuſtus auctor; ſiquidem ibi non ipſam in Templis ſepulturam, ſed abuſus in eam irrepentes, aut ex ipſa conſequutos damnat, quem admodum e ſingulorum verſuum enarratione liquebit. Ita ſe habent priores:

> Τρισθανέες, πρῶτον μὲν ἐμίξατε σώματ' ἀνάγνων
> Ἀνδροφόνοις· τύμβοι δὲ θυηπόλον ἀμφὶς ἔχουσιν,
> *Ter morte digni, primo quidem miſcuiſtis corpora profanorum*
> *Martyribus: & ſepulchra ſacerdotem utrinque habent.*

En prior abuſus Chriſtianorum ſepulturam inficiens, cui viam præcidere molitur poeta. Uti enim dicebamus, ſpe felicitatis æternæ adducti Chriſtiani juxta SS. Martyrum tumulos oſſa ſua collocanda curabant. At in piis tantummodo hominibus non ſubſiſtit hujuſmodi conſuetudo; nam ἀνάγνοι etiam ſeu *profani*, & *impii* eamdem ſibi in Templis ſedem quietis eligere cœperunt. Hinc eos corripit Poeta. Dabimus Scholiaſtis Ambroſiani MS. verba, ſive explicationem verſuum eorumdem: ὦ τρισκατάρατοι, καὶ τρισθάνατοι. πρῶτον μὲν ἐμίξατε σώματα ἀνάγνων ἀνθρώπων τοῖς τῶν ἁγίων Μαρτύρων σώμασι. τύμβοι δὲ βεβήλων θυηπόλον πολλάκις μέσον ἔχουσι κείμενον. O ter execrandi, terque morte digni, primo quidem impurorum hominum corpora SS. Martyrum corporibus commiſcuiſtis, Sepulchra vero profanorum, Sacerdotem ſæpe circumquaque obſident. Et ſane τὸ ἀμφὶς in Nazianzeni carmine poſitum, non obſcure ſignificare videtur, ſæpe Sacerdotes, dum in Templis ſupra SS. Martyrum ſepulchra incruentum Sacrificium offerrent, hinc, & illinc impiorum, aut impurorum cadavera habuiſſe.

IV. Atqui piis Sanctorum Patrum mentibus piaculum minime tolerandum videbatur, quod ſanctitatis domicilium, aut Ethnicis, aut profanis cadaveribus impleretur. S. *Hilarius* Pictav. Epiſcopus Chriſti Domini verba explicans Cap. VIII. Matthæi relata: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, hæc ſcribit ad eumdem

dem locum: *Oſtendit Dominus, inter fidelem filium, patremque infidelem jus paterni nominis non relinqui. Non igitur obſequium humandi patris negavit, ſed admonuit non admiſceri* MEMORIIS SANCTORUM *Mortuos infideles; Mortuos autem etiam eos eſſe, qui extra Deum vivunt.* Quibus ex verbis non modo a Baſilicis Martyrum arcenda eſſe Ethnicorum corpora intelligis, verum etiam *Hilarii* temporibus in more fuiſſe, ut ibidem tum Chriſtianorum, tum Paganorum corpora tumularentur, & quoniam horum tantum ſepulturam improbat *Hilarius*, conſequens eſt, ut ab eodem pia Fidelium conſuetudo probata fuerit. Quod ſi de Idololatris Nazianzenum nequaquam contendas loquutum: quantum etiam flagitium erat, Chriſtianos in vitiorum cœno, dum in vivis agerent volutatos, Cœloque propterea indignos, tam pia ſepultura, & Martyrum, ut ita dicam, contactu dignari! Tantam temeritatem cœlum ipſum non tulit interdum, quin gradibus prodigiis ſuam hac de re indignationem aperuit. Certe lib. 4. Dialog. cap. 50. auctor eſt non uno exemplo *Gregorius* Magnus, cœlitus e ſepulturis exturbata profanorum, impiorumque cadavera fuiſſe. Unum ex iis tantum adferam in urbe Genuenſi factum. *Ibi*, inquit S. Pontifex, Valentinus *nomine*, *Eccleſiæ* Mediolanenſis *Defenſor defunctus eſt vir valde lubricus, & cunctis levitatibus occupatus, cujus corpus in Eccleſia B. Martyris* Syri *ſepultum eſt. Nocte autem media in eadem Eccleſia factæ ſunt voces, ac ſi quis violenter ex ea expelleretur, atque turbaretur foras* &c. *Mane autem facto aperientes ſepulchrum, in quo idem* Valentinus *poſitus fuerat, ejus corpus non invenerunt. Cumque extra Eccleſiam quærerent, ubi projectum eſſet, invenerunt hoc in ſepulchro alio poſitum, ligatis adhuc pedibus, ſicut ab Eccleſia fuerat abſtractus.* Quibus, aliiſque exemplis recenſitis addit S. *Gregorius*, ita *Petrum* alloquens: *Ex qua re*, Petre, *collige, quia hi quos peccata gravia deprimunt, ſi in ſacro loco ſepeliri ſe faciant, reſtat ut etiam de ſua præſumptione judicentur, quatenus eos ſacra loca non liberent, ſed etiam culpa temeritatis accuſet.*

V. Non ſolis autem *Gregorii* M. temporibus piorum mentes juſtitiæ divinæ timor occupabat, ſi ſe abſque meritis tumulandos in ſacris ædibus curabant; ſed eos etiam occupavit qui Gregorio noſtro Nazianzeno ætate propiores fuere. Atque idcirco nonnulli ſanctitate præſtantes viri, quod nempe demiſſe de ſua vita ſentirent extra Templorum ambitum ſepulchri beneficium exquiſiere. Celeberrimum hujus rei exemplum reliquit S. *Ephrem* Syrus qui in Teſtamento ſuo publici juris jamdudum facto, diſcipulos ſuos ita obteſtabatur. *Ne ſinatis me in Domo Dei poni, aut ſub Altari. Si quis vero fallacibus rationibus auſus fuerit ſub Altari me collocare, ſupernum, ac cœleſte Altare talis non videat.* Rationem autem, cur pium officium hoc ſuis intercederet poſtea ſubdit. *Non enim decet verminem putredine ſcatentem in Templo & Sanctuario Domini reponi &c. non enim homini peccatori, atque indigno prodeſt vana gloria, & cui præſertim ea non congruit* &c. *Quorſum igitur honore me afficitis, qui me ipſum actionum appellatione non honorari?* Infra etiam eamdem repetit cauſſam, ita inquiens: *Præterea vel adhortor, obteſtorque o viſcera mea deſiderata, ne me cum Sanctis ponatis; nam peccator ego ſum, & minimus & propter inſipientiam ac ſtultitiam meam ipſis appropinquare metuo* &c. *Non autem iſta dico quod ſocietatem & conjunctionem illorum reſpuam, ſed infinitam, atque immenſam peccatorum, meorum multitudinem inſpiciens exhorreſco & contremiſco.* Quibus ex verbis colligas, minime a ſanctiſſimo viro ſepulchrum in Æde ſacra improbatum; ſed ideo evitatum, quod ſi præ ſancta animi demiſſione timeret, ſi apud Martyres quietem oſſibus ſuis quæreret. Hinc Fratres iterum obſecrat, ut ſe tanquam opprobrium deſpectum, atque abjectum ſepeliant; vilem enim atque abjectum coram Domino ſuiſque operibus ſe plane confuſum dictitabat. Quod ſi ea ſanctis viris ſententia ſedebat, ut nequaquam in ſacris Templis ſe tumulari paterentur, quanto magis ab hujuſmodi ſepultura abhorrere debebant impii, profanique homines, ne eorum cadaveribus loca ſacra fœdarentur animabus vero in Tartara projectis major pœna crearetur? Certe quod virtutis cauſſa pii quidam viri fugiebant nefariis ſceleſtiſque impietatis ergo interdicendum fuit, quando iis neque viventium preces ne-

que ſanctorum patrocium quidquam ſubſidii afferre amplius poſſent. Jure itaque Nazianzenus conqueritur, quod ſacris in ædibus nullus ſepeliendorum delectus haberetur. Quem abuſum Chriſtiani patres numquam non ſunt abominati, pluraque deinde Concilia, & Mediolanenſia præcipue ſuſtulerunt Ethnicorum, Judæorum & hæreticorum cadavera e Templis exulare cogendo. Ad hæc publici fœneratores ſe ipſos interficientes, blaſphemi in Deum ac Cœlites incendiarii, meretrices, concubinarii ſimiles pravi homines a Chriſtianorum Cœmeteriis ac Templis arcentur.

VI. Atque hic prior abuſus fuit, quo Eccleſiaſtica olim in Martyrum Baſilicis ſepultura vexabatur. Ad alterum veniamus his verſibus a noſtro Poeta deſcriptum.

> Δεύτερον αὖτε τάφους τοὺς μὲν διετέρσατ' ἀθέσμως,
> Αὐτοὶ σήματ' ἔχοντες ὁμοῖα.
> *Deinde vero tumulos alios quidem evertiſtis nefarie,*
> *Ipſi ſepulchri habentes ſimilia.*

Sæculo Chriſti quarto ut in Notis etiam ad Carmen εἰς Μαρτυριανὸν animadverti peſſima invaluerat conſuetudo, ut paſſim mortuorum tumuli dejicerentur, ſeu divitias ibi ſomnitatas homines perquirerent, ſeu marmora ex alienis aſportata ſepulchris divendere, aut in uſum ſuum convertere vellent. Hinc Templorum, in quibus, aut juxta quæ, ſita erant ſepulchra, nulla habebatur religio, & confuſa ſepultorum fidelium quiete, Martyrum etiam tumulis quodammodo bellum indicebatur. Tantum flagitium legibus compeſcere, ſuum eſſe arbitrati ſunt Imperatores; quare *Conſtans* Auguſtus anno 340. Mediolani agens contra Sepulchrorum violatores edictum promulgavit, cujus exordium eſt: *Si quis in demoliendis ſepulchris fuerit adprehenſus, ſi id ſine Domino conſcientia faciat, metallo adjudicetur.* Vide *Legem* 1. *Cod. Theodoſ. de Sepulchr. viol.* Altera etiam Lege idem Imperator A. C. 349. ſepulchra demolientes perterruit, quam reperire eſt in eodem Codice Theodoſ. Tit. memorato una cum aliis Conſtitutionibus ad hanc rem attinentibus. Ea de cauſſa tot verſibus a Martiniani tumulo confractores avertere ſtudet Nazianzenus, cujus etiam carmina Jambica exſtant quam plurima κατὰ τυμβωρύχων, ſive *contra ſepulchrorum effoſſores* in Billiana editione, & nos multo plura nunc dedimus in Anecdotis noſtris.

VII. Propterea in id genus homines excandeſcit *Gregorius* noſter, & cur, inquit, alienos evertitis tumulos, cum & ipſi tumulus corporibus veſtris jam paraveritis, factoque aliis exemplo idem cineribus poſtea veſtris periculum immineat? Quum vero exportatis de alieno ſepulchro ruderibus, & ſaxis quidam exornarent ſanctorum Martyrum monumenta, in ſubſequenti Carmine his eos verbis Poeta caſtigat

> Μέχρι τίνω τύμβοις Μάρτυρας ἀλλοτρίοις
> Τιμᾶτ' εὐσεβέοντες, ἃ μὴ θέμις;
> *Uſquequo tumulis alienis Martyres*
> *Honoratis, pii, quatenus non licet?*

Hoc eſt, cur alienorum tumulorum ſpoliis ſanctorum Martyrum ſepulchra honorari poſſe creditis; cur pietatis famam ex illata aliis injuria conſectamini; atque his animadverſis facile, ut reor, liquebit, quid titulus ſonet hiſce Carminibus a Poeta noſtro inſcriptus: εἰς τοὺς ἀνορύττοντας τάφους προφάσει Μαρτύρων, *in eos qui tumulos effodiunt, occaſione, ſive prætextu Martyrum.* Ut enim Martyrum monumenta, quæ dificillimis Eccleſiæ Chriſtianæ Temporibus, dum Ethnicorum tyrannica vis in Chriſti populum debaccharetur, veluti deſpecta fuerant, nulloque ornamento diſtingui potuerant, reddita ſub piis Imperatoribus pace, illuſtrarentur, licitum ſibi nonnulli arbitrabantur, aliena evertere ſepulchra & ex eorum marmoribus tumulos SS. Martyrum ditare. Itaque pium hoc, ut ita dicam, ſacrilegium improbant idem cœlites, ita per os Nazianzeni comminantes:

> Ὃς βήματα δ' ἁγνὰ ἐγείρει
> Ἀλλοτρίοισι λίθοις, μηδὲ τάφοιο τύχοι.
> *Qui autem ſacraria nobis exſtruit*
> *Alienis lapidibus, is nec ſepulturam conſequatur.*

Veruntamen ab Ambroſiano Scholiaſte MS. inter explicatos videri verſus iſtos non diſſimulo: ſiquidem in hanc ſen-

ten-

ſententiam loquitur: ὅτις δέ ἐν τοῖς ἀλλοτρίοις βήμασιν ἡμῖν ἀνεγείρας, καὶ ἀτίμους, καὶ ἀτίμους, καὶ βδελυροὺς φέρει τιμάς, μηδὲ τάφου τύχοιτο νενομισμένου. *Quicumque vero in alienis tumulis ſacraria nobis excitat, quum ignominioſis, atque abominandis nos afficiat honoribus, neque ipſe legitimam juſtamque ſepulturam ſortiatur.* Ac ſi diceret, conſueviſſe quoſdam inter hominum impiorum ſepulcra conſtruere Baſilicas Martyrum, aut ipſa in ſacras Ædes convertere. Ut lubet eruditi judicent. Sed ſi pro ἐν legamus ἐκ τοῖς ἀλλοτρίοις τάφοις, *ex alienis tumulis* facile germanum ſenſum exigua mutatione reſtituemus.

VIII. Tertium nunc perpendamus abuſum, quem his verſibus refert Poeta noſter;

> τοὺς δὲ (τάφους) ἀπέδοσθε
> Πολλάκι, καὶ δὶς ἕκαστον ὁ δὲ τρίτον.
>
> *Alios autem* (tumulos) *vendidiſtis*
> *Sæpe & bis unumquemque; aliquis &*
> *ter* (vendidit.)

Eo nonnullorum avaritia devenerat, ut minime ſibi religioni ducerent monumenta vendere, & ut ita dicam de tumulis communione locorum ſacrorum ſanctificatis mercaturam facere. Certe Chriſtianæ plebis pietatem illud nequaquam decebat, quum & a ſacris officiis, & a locis populorum religione, & ſacramentorum præſentia conſecratis turpe lucrum exulare debeat. Animadvertendum autem, apud ipſos Ethnicos tanto in pretio ſepulchra fuiſſe, ut minime eorum alienatio permitteretur. *Gordianus* Imperator *l. 1. cod. de Sepulchr. viol.* reſcripſit *res religioni deſtinatas quin imo jam religionis effectas, ſcientes qui contigerint, & emere, & diſtrahere non dubitaverint, tametſi jure venditio non ſubſiſtat, læſæ tamen religionis inciderunt in crimen.* Et quoniam inter hujuſmodi res religioni deſtinatas monimenta mortuorum computabantur, certe eorum alienatio interdicta erat. *Ulpianus* idcirco l. ſiquis ſepulchrum. §. *Senatuſconſulto ff. de Religioſ. & ſumtib. 6. fun.* edicto cautum affirmat, *ne uſus ſepulcrorum permutationibus polluatur*, hoc eſt, ne venumdetur. Ad hæc *Antoninus* Auguſtus in *l. 2.* & Alexander Aug in *l. 9. Cod. de relig. & ſumt. funer.* apertiſſime ſanxerunt, nefas eſſe mortuorum monumenta vendere. Quintuplicis legibus talem venditionem interdicentibus non contenti, quidam privatis etiam pœnarum minis jura tumulorum ſuorum tuebantur. Ita apud *Gruterum* pag. 672. num. 1. Aur. Maximianus filiæ ſepulcro inſcripſit: *ſi quis hoc ſepulchrum, vel monumentum cum ædificio univerſo poſt obitum meum vendere vel donare voluerit, corpus alienum invehere velit dabit pœnæ nomine* ark. *Pont. L. S. C. N. & ei cui donatum, vel venditum fuerit, eadem pœna tenebitur.* Similes aliæ inſcriptiones non paucæ exſtant. Quod ſi gentilibus tanta erat ſepulchrorum ſuorum cura, quanto major Chriſtianis futura erat in ſpe reſurrectionis innutritis & corporum immortalitatem poſt ſupremum Judicii diem expectantibus: imo quanto turpius fuit apud Chriſtianos, quam apud Ethnicos e tumulorum venditione lucrum quærere quum in ædibus ſacris eorum, horum vero ſemper in campo & ſub dio ſepulchra conſtituerentur? Hoc igitur hominum genus poeta noſter increpat, & Martyres ipſos flagitiis iſtis lædi clamat.

> ἱεροσυλεῖς
> Μάρτυρας, οὓς φιλέεις. Σοδομίτιδες ἄξατε πηγαί
>
> .... *ſacrilegio lædis*
> *Martyres, quos amaſ. Sodomitici cedite fontes.*

Videlicet o Sodoma cede, major enim eſt horum, quam tua improbitas.

IX. Atque hactenus qui fuerint abuſus piam Chriſtianorum in Templis ſepulturam conſequuti, luculente perſpeximus. Et eos quidem Nazianzeni zelus nequaquam ferebat, quamvis alioqui non toleraret ſolum, ſed exemplo etiam ſuo probaret fidelium ſepulchra ſacris in ædibus. At graviores nunc erumpunt in Chriſtianorum ſepulturam arietes, non ut ejus tantum abuſus concutiant, ſed etiam ut ejus uſum prorſus evertant. Nimirum producitur *Lex 6. Cod. Theod. Tit. de ſepul. viol.* quam anno 381. *Eucherio* & *Siagrio* (SS. promulgavere Imperatores, *Gratianus*, *Valentinianus*, & *Theodoſius*, his concepta verbis: *omnia quæ ſupra terram urnis clauſa, vel ſarcophagis corpore detinentur, extra urbem delata ponantur, ut & humanitatis in-*

inſtar exhibeant , & relinquant incolarum domicilio ſanctitatem &c. Ac ne alicujus fallax &c. arguta ſolertia ab hujus ſe præcepti intentione ſubducat , atque Apoſtolorum vel Martyrum ſedem humandis corporibus æſtimet eſſe conceſſam ab his quoque ita, ut reliquo civitatis , noverint ſe , atque intelligent eſſe ſubmotos. Poſtrema hæc Periodus non . Heterodoxos dumtaxat, ſed nonnullos etiam Orthodoxos in eam opinionem induxit , ut arbitrarentur fidelium ſepulturam in Martyrum Baſilicis omnino fuiſſe interdictam. Atqui in ea ſententia fuiſſe videntur doctiſſimi viri *Gretſerus* l. 2. cap. 8. de fun. Chriſt. *Spondanus* lib. 1. part. 3. cap. 14. de Cœmet. Saer. *Gonzalez* in Notis ad lib. 3. Decretal. Tit. 28. de Sepulchr. cap. 1. ac *Thomaſſinus* Tom. 3. lib. 1. cap. 66. de Benef. Cenſet autem *Spondanus* ab Imperatoribus legem hanc in omnes Chriſtianos latam hortatu præſulum , ad retundendam hanc ratione eorum petulantiam , qui cunctis indiſcriminatim , id conceſſum exiſtimarent , quod ſacris dumtaxat, & pietate inſignibus perſonis tribuebatur nempe , ut indignis aditus præcluderetur, dignos quoque una lege excludere conſultius viſum fuit.

X. Nihilominus re ſerio perſpecta , nihil in laudata ſanctione contra Fidelium ſepulchra conſtitui , aliamque Imperatorum fuiſſe mentem , fidenter affirmo. Quibus ut pateat , memoria repetendum eſt , Lege XII. Tabularum cautum fuiſſe , *ne homo mortuus in urbe ſepeliretur , neve ureretur*. Sive id Majoribus noſtris placuerit, ut civium ſaluti melius conſuleretur, amotis ab Urbe cadaveribus, ſive quod mortuorum conſpectum averſarentur, diu Lex illa inter Romanos, aliaſque gentes obtinuit. Senatus etiam Conſulto circiter annum 490. ab Urbe condita *Duillius* Conſul veterem firmavit legem , ut auctor eſt *Servius* ad Lib. 11. Æneid. *Ante etiam* , inquit is, *in Civitatibus homines ſepeliebantur: quod poſtea* Duillio *Coſ. Senatus prohibuit , & lege cavit, ne quis in urbe ſepeliretur*. Poſt hæc *Hadrianus* Imperator *Ulpiano* perhibente in *l. 3. §. 5. ff. de ſepulchr. viol. ac Antoninus* Pius *Julio* Capitolino teſte in ejus vita , *intra Urbes ſepeliri mortuos vetuerunt*. Exſtat etiam hac de re *Diocletiani* , & *Maximiani* decretum in l. 12. cod. de religioſ. & *ſumt. fun.*, ut miſſa faciam *Pauli* Juriſconſulti , aliorumque veterum verba.

XI. Tametſi vero ſepulchram urbanam tot Leges improbaſſent , Chriſtiana tamen Religione cum Chriſtianis Imperatoribus invaleſcente , tum Baſilicæ Martyrum, tum Cœmeteria in civitatibus ſenſum extrui cœpta ſunt. Illic dabant operam Chriſtiani , ut Cadavera ſua componerentur , fructum, ut diximus , e vicinis Sanctorum Reliquiis pie ſperantes. Novæ propterea conſuetudini edicta veterum Imperatorum ſucurrebant, liberumque ſibi quiſque ducebat in urbibus tumulari. At Conſtantinopolitani Imperatores populorum licentiæ obviam eundum arbitrati, Lege laudata ſanxerunt , ut nemo in poſterum ſepeliretur in urbe, quæ vero cadavera urnis vel ſacrophagis incluſa ſuper terram intra urbis mœnia continebantur , extra urbem deferrentur. Ne vero quis legem eluderet exiſtimans ; quamvis urbana ſepultura generaliter prohiberetur, hac tamen generali prohibitione ſepultura in Martyrum Baſilicis non cohiberi: additum eſt non a reliquis tantum urbis Conſtantinopolitanæ locis, ſed ab ipſa nominatim *Apoſtolorum ac Martyrum ſede* urnas eſſe ſubmovendas. Hæc Legis frons eſt , & ſenſus germanus.

XII. Quædam autem conſideranda heic præcipue occurrunt. Et primo, hinc etiam aperte probari, ſæculo Conſtantiniano Apoſtolorum, vel Martyrum ædem humandis corporibus fuiſſe conceſſam. Qui enim hujuſmodi ſepulturam Imperatores interdicerent, niſi antea in more fuiſſet? Secundo laudatam Conſtitutionem pro una tantum Urbe Conſtantinopolitana editam, atque in ea urbis tantum illius , non vero cœterarum , mentio habetur . Quare , tam etſi hac in lege a ſepulchro in Ædibus ſacris quærendo Chriſtiani abſtergerentur, non omnes tamen Imperio Romano ſubjecti , ſed Cives dumtaxat Conſtantinopolitani ea prohibitione tenebantur , licebatque propterea in aliis urbibus tumulum intra Martyrum Ædes impetrare . Tertio a Martyrum ac Apoſtolorum templis Chriſtianorum cadavera fuiſſe ſubmota non directe quidem atque animo revera hujuſmodi ſepulturam improbandi , ſed indirecte , & ex conſequenti . Ni ita ab

Im-

Imperatoribus cautum fuiſſet, nullum ſucceſſum ſibi Lex ſpopondiſſet, imo plane irrita jacuiſſet; ſiquidem ſibi quiſque in urbanis Templis ſepulturam, poſtea quæſiiſſet cauſaturus, pium apud Sanctos Martyres tumuli uſum edicto generali minime fuiſſe comprehenſum. Non igitur ideo ſepultura urbana interdicta eſt; ut Chriſtianorum cadavera a ſacris ædibus arcerentur, ſed ideo ſepulchra in eiſdem Ædibus interdicta, ut ab urbana ſepultura quilibet excluderetur. *Ab his* (edicti ſunt verba) *ſacris Ædibus ita ut a reliquo civitatis noverint, ſe intelligent eſſe ſulmotos*.

XIII. Quamobrem deinceps etiam fas erat in ſuburbanis Baſilicis ſepulchro donari: quod certe hac Lege nequaquam vetabatur, Legibuſque etiam antiquis conſentaneum erat, quæ ſepulturæ tantum urbanæ uſum non ſuſtinebant. Atque hanc præter alias fuiſſe quoque cauſſam veteribus Chriſtianis, vel poſtquam ſanctæ Religioni nomen Imperatores dederant, cur Baſilicas extra urbes conderent, nempe, ut ibi cum ſacri Martyrum cineres, tum aliorum quandoque Fidelium oſſa, Legum jure incorrupto componi poſſent. Ne ab Urbe æterna, in qua præclariſſimæ Baſilicæ, & Vaticana potiſſimum, olim extra pomœria exſtructæ fuerant, hujus moris exempla putamus, ſit ſatis ampliſſimas, ac vetuſtiores Mediolanenſis Urbis mihi notiſſimas recenſere Baſilicas, quæ nunc quidem amplificata Civitate uno mœnium ambitu cinguntur, ſed antiquitus ſuburbano in agro conſpiciebantur. *Philippi* enim Baſilica (nunc S. *Franciſci*) Portiana (nunc S. *Victoris*) Dionyſiana, & Euſtorgiana, ut nos antiqua monimenta docent, in ſuburbiis ſitæ fuerant, quemadmodum, & quæ S. *Simpliciani* nomine conſpicua eſt. Quin Sanctus Antiſtes *Ambroſius* Baſilicas minimum duas, unam, & SS. Apoſtolis nomen habentem, quæ deinde Nazariana nuncupata fuit, alteramque de ſuo nomine excitavit, utramque procul dubio extra Urbem, ut in iis libere quorumdam etiam Chriſtianorum cadavera tumulo traderentur.

XIV. Vides igitur, minime probari poſſe ſententiam affirmantium, ſepulturam Fidelium Imperiali decreto in quibuſcumque Ædibus ſacris fuiſſe damnatam. Evidentius autem conſtabit, illic de ſola ſepultura urbana fuiſſe actum, ubi promulgandæ Legis rationes expendantur. En ullas: *Ut mortuorum corpora extra urbem delata humanitatis inſtar exbibeant, & relinquant incolarum domicilio ſanctitatem*. Videlicet, ut juxta vias publicas in Cœmeteriis poſita mortalitatis imaginem prætereuntium oculis exhiberent, humanæque conditionis admonerent viatores. Tum ut ne nota Urbs a ſepulchris occupata ab iiſdem Sancta; & ſacra efficeretur, atque ut locum incolarum viventium ſanctitati relinquerent. Non enim ſola apud antiquos, ut noſti, ſepulchra ad religionem ſpectare credebantur, *Sanctaque* idcirco, *ſacra & religioſa* appellari ſolebant, ſed loca etiam adjacentia, ædificia, agrique circumpoſiti *religione* & *ſanctitate* obligabantur. Id ſexcentis tum Ethnicorum, tum Chriſtianorum exemplis conſtare poteſt, quæ apud *Spondanum* leguntur lib. 1. parr. 1. cap. 9. de Cœmetr. ſacr. & Lib. 3. Cap. 15. & apud *Kirchman.* lib. 3. cap. 21. de Funer. Roman. & apud *Gutherium* de Jure Man. lib. 3. cap. 9. Neceſſum igitur fuit extra urbes ſepulchra compellere, ut ea in civitatibus loca tantum eſſent ſanctitate obſtricta, quæ incolarum pietati ac Templorum religioni conſentanea viderentur. Atque hæc potior fortaſſe, verique ſimilior Legis interpretatio eſt, quam quæ a *Gothofredo* adfertur, nempe, ideo vetitam in Urbe ab Imperatoribus laudatis mortuorum ſepulturam, *ne ſacra Civitatis funeſtarentur*, quemadmodum *Paulus* Juriſconſultus lib. 2. recept. ſentent. Tit. 21. ſcripſit. Nimium ſuperſtitionem, ac Gentilium indolem ea ratio redoluiſſet, Principibus certe Chriſtianis indigna. Quod ſi temerariæ conjecturæ periculum non immineret, pro *Sanctitate*, ut habent editi libri, *Sanitatem* legendum heic opinari poſſemus, nimirum ne cadavera peſtiferis exhalationibus Urbem inficerent, neve cum incolarum viventium ſalute fœtor mortuorum corporum confligaretur. Si igitur ſepultura, non ab urbanis tantum, ſed etiam ab omnibus Martyrum Templis, avertere Imperatores ſtatuiſſent, aliquam procul dubio prohibitionis hujus univerſalis rationem attuliſſent, pura, ne Domus Dei, ubi puriſſimum omnium ſacrificium peragitur, fune-

neribus impleatur, aut ut impii ſepeliri vetarentur eodem in loco & ſimilia. Verum nihil minus cogitarunt Principes, memoratæ Legis auctores, quibus in animo tantum erat ab una urbe eliminare ſepulchra, atque ideo ſuburbanis Baſilicis eorumdem uſum relinquere.

XV. Quæ quum ita ſint, jam intelligere poſſumus a Conſtantinopolitanis Imperatoribus numquam, niſi indirecte, & ut Scholarum vocabulo utar, niſi per accidens, cautum fuiſſe, ne in ſacris Ædibus Fidelium Sepulchra haberentur. Sæculo vero ſequenti *Leo* Imperator, quum hujuſmodi prohibitionem Chriſtianorum pietati minime congruam reputaret, liberum cuicumque fecit, vel intra Urbes tumulari, Legemque contrariam abrogavit, atque a Legum Civilium corpore delevit Conſtit. Nov. 53. πῶς γὰρ, inquit is, οὐκ ἔστι τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν αἰσχύνειν, ὅπου μὴ βούλεται ὁ νόμος ἐν χρῶ τελεῖσθαι, εἰ μὴ ἔξω πόλεων φέροιτο τὸ ἐκλιπὲν ὑπὸ τοῦ θανάτου σῶμα; *At quod Lex mortuorum corpora nonniſi extra Urbes humani vult, quomodo id humanam naturam dedecore afficere non eſt?* Equidem heic improbari quamdam Legem *Hadriani* Auguſti relatam in *ff. de ſepulchr. viol.* hoc eſt, *l.* 3. *Divus* Hadrianus non autem eam quam a Conſtantinopolitanis Auguſtis promulgatam vidimus, arbitror; ſiquidem ab una Urbe *Conſtantini* iidem Imperatores ſanxerant amovenda eſſe ſepulcra; *Hadrianus* vero majorum ſuperſtitionem ſequutus ab omnibus Imperii Romani civitatibus arcuerat. Sed quidquid ſit, certe Cl. V. *Thomaſſinio* aſſentiri non poſſum, qui per hanc *Leonis* Legem reſtitutum Sepulchrorum uſum in ſacris Ædibus opinatur, propterea quod a laudatis Imperatoribus Chriſtianis in memorata Lege hujuſmodi ſepulturam proſcriptam fuiſſe ille ſibi perſuaſerat. Leo *ſapiens*, inquit is Par. 2. lib. 1. cap. 66. de Beneſ. *indulſit ut ſepeliri fas eſſet in urbibus, hoc eſt in Eccleſiis. Ita enim promptum eſt de ejus mente conjectari.* Sed *Leonis* Imperatoris verba per quam clara nullius interpretationis indigent. Urbanam ſepulturam priores Imperatores proſcripſerunt; eamdem *Leo* reſtituit. Nulla heic de Eccleſiaſtica ſepultura mentio, neque id indulgetur quod numquam antea fuerat interdictum.

XVI. Nugantur vero, ſeque mirum in modum torquent Juriſconſulti quidam & *Civilium* Legum interpretes, ut *l.* 2. *nemo c. de ſacroſ. Eccleſ.* explicent his conceptam verbis; *Nemo Apoſtolorum, vel Martyrum Sedem humanis corporibus exiſtimet eſſe conceſſum.* Hi enim ſacris in Ædibus mercimonia vetita, illi habitationem prohibitam arbitrati ſunt; alii etiam laicos in Choro morantes dum ſacra perſolvuntur heic damnatos ſomniarunt. Verum ſi fontem, unde hauſta a *Juſtiniano* lex illa fuit, petiiſſent nempe laudatam l. 6. *Cod. Theod. tit. de ſepul. viol.*, primo errorem in verbis deprehendiſſent, quum *pro humanis corporibus* legendum ſit *humandis corporibus*; tum intellexiſſent, humanorum corporum in ſepulturam in Byzantinis Apoſtolorum & Martyrum Baſilicis fuiſſe interdictam. Quum vero Imperatores præcedentes hujuſmodi jure urbana tantummodo ut viſum eſt nobis, Urbis Conſtantinopolitanæ Templa privarint, dubitandi relinquitur locus, utrum per eam Legem renovatam *Juſtinianus* non ab urbanis tantum, ſed a ſuburbanis Templis ſepulchra eliminarit. Equidem nego; quippe nihil amplius præſtitit Imperator, quam edicta Majorum, ac *Theodoſii* præſertim, repetere novoque edicto confirmare. Et quoniam uti dictum eſt, urbanam tantum in Baſilicis ſepulturam *Theodoſius* vetuerat; idem ipſum *Juſtinianus* voluiſſe cenſendus eſt. Secus aliis uſus fuiſſet verbis, prohibitionem ad omnia Templa extenſurus.

XVII. Ejuſmodi autem interdicto ſacra Templa extra urbes poſita nequaquam fuiſſe obnoxia, exemplis quoque nonnullis in exordio diſputationis hujus productis palam factum puto. Quibus nunc addendum ab ipſius *Conſtantini* M. temporibus intra ipſas Baſilicas urbanas conſueviſſe tumulari Imperatorem, & Epiſcoporum corpora, ut ex certiſſimis monimentis liquet, quæ *Dufreſnius* in Conſtantinopoli Chriſtiana refert lib. 4. pag. 108. & ſequ. Prætera de *Jacobo Maronis* diſcipulo viro ſanctitate ſingulari prædito in Vitis Patrum Cap. 21. *Theodoretus* hæc tradit, *Conſtruxi*, inquit egregius Scriptor, *ego quoque locum in Æde Victoria inſignium Apoſtolorum. Sed quum hoc reſciviſſet vir divinus, ſæpe me rogavit, ut in illo monte corpus mandaretur ſepulturæ*, &c. *Nihilominus humilis*

milis vir : Non patiar , inquit , hoc vocari ſepulchrum Jacobi , *ſed volo hanc fieri Ædem Martyrum victoria inſignium : me autem tamquam aliquem inquilinum poni in altero ſepulchro , ut qui dignus habitus ſim , ut apud eos habitarem. Neque vero hoc ſolum dixit , ſed etiam fecit , & quum multos quidem Prophetas , multos autem Apoſtolos , maxime autem plurimos Martyres undique collegiſſet , eos poſuit in una arca , volens ſimul habitare cum populo Sanctorum , & deſiderans cum eis reſurgere & dignari Dei contemplatione*. Itaque in Martyrum æde ſuum corpus ſepulturæ mandandum curavit *Jacobus* , ut mortuus quoque una cum iis habitaret , quorum vivens Reliquias collegerat , atque coluerat. Accedat etiam teſtis luculentiſſimus S. *Hieronymus* qui ad *Euſtochium* ſcribens Epiſt. 27. *Paulæ* Romanæ ſepulturam his explicat verbis : *Pſalmi in ordine perſonabant , non ſolum triduo , donec ſubter Eccleſiam , & juxta ſpecum Domini conderetur* Paula &c.

XVIII. His igitur hactenus prolixo ſermone adnotatis , abſque temeritatis periculo affirmari poſſe mihi videtur , piam intra Sacras Ædes Chriſtianorum ſepulturam ab Imperatoribus minime fuiſſe improbatam , ſed in una tantum Conſtantinopoli , idque non ejuſmodi ſepulturæ contemptu , ſed ut ab Urbe tot ſepulchra mortuorum abeſſent. Nunc ſupereſt , ut perſpiciamus , quæ praxis deinde fuerit in ſepeliendis Chriſtianorum corporibus. Diverſum hunc morem Eccleſiaſtica Diſciplina fecit & in quibuſdam Provinciis licuit apud Sanctos Martyres tumulari in aliis vero nequaquam. Romæ id numquam interdictum plurima antiquitatis documenta ſuadent. *Loayſa* in Notis ad Concilium Bracarenſe decretum MS. *Pelagii* II. P.M. anno 580. promulgatum, ſe vidiſſe in S. *Laurentii* Bibliotheca teſtatur , in quo cautum , ut *corpora defunctorum nullo modo intra Baſilicam , ſed ſi neceſſe eſt foris circa murum Baſilicæ ſepelirentur*. Quamquam a veritate hæc abſint , *Gregorii* Magni , qui *Pelagio* in Pontificatus munere proxime ſucceſſit lucubrationes luculenter produnt. Sanctiſſimus enim vir piorum ſepulturam intra Baſilicas ubique probat , facile non facturus , ſi contra hujuſmodi ritum pronunciatus eſſet ille deceſſor. Itaque *Loyſiam* vitiato Codice , aut apocrypho monumento uſum merito ſuſpicemur.

XIX. Neque *Nicolao* I. Pontifici maximo alia ſententia fuit; nam percunctantibus Bulgaris , an intra Baſilicas ſepeliendi forent Chriſtiani , reſpondit : *Hanc Sanctus Papa* Gregorius *quæſtionem abſolvit dicens : Quum gravia peccata non deprimunt , hoc prodeſt mortuis , ſi in Eccleſia ſepeliantur : quod eorum proximi , quoties ad eadem ſacra loca conveniunt , ſuorum , quorum ſepulcra aſpiciunt recordantur , & pro eis Domino preces fundunt*. &c. Mediolani eamdem quoque piam conſuetudinem viguiſſe , S. *Ambroſii* verba exemplaque Tom. I. Anecdot. Latin. relata uberrime teſtantur ; eamque Nolæ etiam uſurpatam fuiſſe oſtendimus. Neque aliter in Africa factum eſt. In Hiſpaniis tamen Concilium Bracharenſe An. Ch. 563. celebratum conſuetudini illi obviam ivit; Canone etiam XVIII. Hæc ſtatuit : *Placuit ut Corpora defunctorum nullo modo in Baſilica* Calii Codices *intra Baſilicas* præferunt) *ſepeliantur. Sed ſi neceſſe eſt de foris circa murum Baſilicæ , uſque adeo non abhorret*. En locus unde ſuppoſititium *Pelagii* II. edictum , quod nuper notavimus , derivatum mihi videtur.

XX. In Gallis vero diu Chriſtianorum corpora in ſacris Ædibus ſepulturæ mandata fuiſſe , non modo *Gregorius* Turonenſis pluribus in locis teſtatur , ſed alia exempla palam faciunt. Auctor Vitæ S. *Cæſarii* Arelatenſis Epiſcopi Baſilicam ab eo exædificatam ſcribit , & ſub pavimento arcas lapideas , ut ibi Sanctimoniales tumularentur , collocatas fuiſſe. *Et ut offerret* , inquit , *Sacris Virginibus , quas congregaverat , curam neceſſariæ ſepulturæ nobiles arcas corporibus humandis aptiſſimas de ſaxis ingentibus noviter fecit incidi , quas per omne pavimentum Baſilicæ conſtipatas ſterni fecit ordine*. Verum quod fortaſſe in eam ſepeliendi conſuetudinem abuſus irrepſerant , Galliarum partibus placuit , a Templis removere mortuorum ſepulchra. Ignotum eſt , quo anno Concilium Namnetenſe habitum fuerit : perantiquum tamen eſſe conſtat. In ejus autem Canone VI. prohibetur , ut in Eccleſiis nullatenus ſepeliatur vita functi, ſed in atrio , aut in porticu , aut in exedris Eccleſiæ. Canonem hunc ad Con-

cilium Vaſenſe refert Gratianus in c. præcipiendum 13. quæſt. 2.

XXI. Theodulphus Aurelianenſis in epiſt. ad fratres, & Compresbyteros ſuos in eamdem ſententiam ſcribit. Antiquus in his regionibus in Eccleſia ſepeliendorum mortuorum uſus fuit, & plerumque loco divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hoſtias præparata, Cœmeteria, ſive polyandria facta ſunt. Unde volumus ut ab hac re deinceps abſtineatur, & nemo in Eccleſia ſepeliatur, niſi forte talis ſit perſona Sacerdotis, aut cujuslibet juſti hominis, quæ per vitæ meritum talem vivendo ſuo corpori defuncto locum acquiſivit.

Tum corpora quæ antiquitus in ſacris Ædibus humata fuerant, nequaquam projicienda monet, ſed altius in terram immergenda, ita ut ſupra pavimentum nulla tumulorum veſtigia ſuperſit: quod etiam Sanctiſſimus Mediolanenſium Antiſtes Carolus Borromæus faciendum curavit, ac juſſit in Concilio provinc. 1. Cap. de Sepulturis & in Synodo Diœceſ. IV. Decr. 37. & alibi.

XXII. Porro in *Theodulphi* verbis duo potiſſimum animadverteris. Primum eſt, non recenter invectam, neque invaleſcentem tunc in Galliis conſuetudinem illam fuiſſe, uti Clariſſ. *Thomaſſinus* par. 3. lib. 1. cap. 67. de Beneficiis minus recte appellat, ſed antiquam plane & multorum forſitan ſæculorum uſu confirmatam. Alterum eſt quandoquidem tanta in locis Divino cultui dicatis cadaverum moles creverat, ut non jam Templa ſed Cœmeteria videretur, hunc abuſum a Theodulpho ſublatum, relictamque tamen hujuſmodi ſepulturæ facultatem tum Sacerdotibus tum Laicis, qui explorata, dum in vivis, agerent pietatis ſigna dediſſent; Idem quoque a Concilio Moguntino An. Ch. 813. conſtitutum eſt Can. 52. quem refert Gratianus in c. nullus 13. quæſt. 2. At quum ſibi quiſque piæ vitæ in ſæculo peractæ teſtimonium adſcriberet, ideoque pauci humanis functi a Baſilicis arceri poſſent, Laicis quibuslibet a Carolo M. interdictum eſt, ne in Templis ſepulturæ mandarentur quod Capitularia nos docent lib. 1. cap. 159. & Lib. 5. cap. 48. Eadem ſancita reperies a Concilio Tribürienſe cap. 17. Anno 895. Multorum ſubinde Conciliorum hanc in rem prodiere decreta. quæ quum varium diſciplinæ Eccleſiaſticæ uſum præferant, atque ab illis Scriptoribus ſedulo congeſta fuerint, omittenda mihi in præſentia videntur.

Cæterum quæ hactenus expoſuimus in eam nos ſententiam facile dicunt, ut affirmemus, antiquis etiam Chriſti Fidelibus licuiſſe ita Templorum ambitum tumulo tradi, idque ſæculo potiſſimum quarto, quo Nazianzenus degebat. Ne igitur piam iſtam noſtrorum temporum conſuetudinem ac ſi Gregorii tantum Magni ævo nata fuerit, Sacrarumque Baſilicarum decori ſit minus conſentanea, Hetherodoxi damnent, quando illam tot veterum Patrum non exempla ſolum, ſed ipſi etiam calculi probant. Laudabile quidem & ego arbitror juxta ſacras Ædes in Cœmeteriis ſepulcra quærere, ut animi demiſſi confeſſio prodatur, ſimulque ut ob ſacrorum reverentiam cadavera Chriſtianorum ab aris diſtent, in quibus immaculati Agni Sacrificium peragitur. Verum non idcirco minus eorum pietas eſt commendanda, qui intra ipſas Ædes ſacras humilem & ambitionis neſciam ſibi parant ſepulturam, tum ut Martyres ibi contumulatos apud ſupremum Numen patronos ſentiant, tum ut viventes mortalitatis commonefaciant, & ab eis facilius precum, & orationum impetrent opem.

Atque hæc habui *Fontaninæ* eruditiſſime, quæ in veterum Chriſtianorum ſepulchra commentarer, ut ritus noſtros cum antiquis conſentire oſtenderem, & Nazianzeni (ſi tamen is Auctor) verſibus quibusdam facem aliquam præferrem. Tu aut triſti argumento, aut bono ſermoni ignoſce, meque tui amantiſſimum, ut facis, amare perge.

AD

Digitized by Google

AD CAPUT XXII.

P. JOHANNIS CABASSUTII

ORATORII DOMINI JESU

De diſcrimine inter Epiſcopos, & Presbyteros jam inde ab ipſis Eccleſiæ exordiis.

DISSERTATIO XXXI.

I. INſauſto quodam omine conſcripti a quodam Batavo Calviniano libri adverſus Epiſcoporum dignitatem, & quod mirum eſt, inſulſi, inepti, perpetuiſque ipſius auctoris adverſus ſemetipſum contradictionibus referti, nonnullos etiam Catholicæ profeſſionis adeo ludificantur, at etiam editis in lucem libris non dubitarint hunc aſſerere errorem, in Catholicæ profeſſionis viris intolerabilem: nihil fuiſſe diſcriminis inter Epiſcopos, & Presbyteros primis Eccleſiæ ſæculis, quod attinet ad officium dignitatemque, ſed qualecumque nunc temporis invectum ſit, id omne novitatem redolere; ab initio autem non ſic fuiſſe. Prætermitto hic vetuſtiſſimorum Scriptorum monumenta, quæ omni perſpicuitate convincunt iſtam inter utroſque differentiam, adeo ut omnes Epiſcopi præcipuum quid haberent, nequecum inferioribus Sacerdotibus commune; ita ut non omnes Sacerdotes eſſent, aut dicerentur Epiſcopi, atque iſtos præfuiſſe non ſolum ratione ordinationis, quæ tamen ſuprema eſt in Eccleſiæ regimine dignitas; ſed etiam in confirmandi poteſtate, qua confertur Spiritus Deus in aliis manuum impoſitionibus, in conſecrationibus Eccleſiarum, Altarium, ſacrorum Vaſorum, & Virginum, in poteſtate juriſdictionis Eccleſiaſticæ interioris atque exterioris, in auctoritate publicæ decernendi, in inflictione cenſurarum aliarumque pœnarum Eccleſiæ, in diſpenſationibus, mandatis, juſſionibus, in officiis, & Beneficiis conferendis, aut amovendis, in promulgandis legibus, aut decretis, in Synodis convocandis, in ſacro conficiendo chriſmate, aliiſque innumeris functionibus, quas regimen requirit humeris Epiſcopalibus incumbentis Eccleſiæ. Ordinatio pariter Epiſcopalis longe diverſa fuit a communi Sacerdotali, adeo ut per hanc conſecrationem Spiritus ſanctus talem illis impertiatur poteſtatem, & regendi Eccleſiam auctoritatem, qualem ex vi propriæ conſecrationis cæteri Sacerdotes minime nanciſcuntur, aut nanciſci potuerunt ab initio, nec deinceps potuerunt aduſque mundi finem. Idque non humana licentia, ſed fide prorſus ad ſalutem æternam neceſſaria tenendum.

II. Epiphanius hæreſi 76. Aerium Hæreſiarcham ab Eccleſia eo nomine damnatum perhibet, quia omne tollebat Epiſcopi, & ſimplicis Sacerdotis diſcrimen, eoſque in omnibus volebat haberi pares. At Epiphanius longe diſpares eſſe probat ratione ordinationis, quæ ſolis ab Epiſcopis fieri poteſt. Verba ejus omnino digna ſunt, quæ mentibus fidelium inſigantur. *Epiſcoporum ordo eſt ad gignendos Patres, nam Eccleſia patres, id eſt Sacerdotes, progignit. At Sacerdotum ordo cum nequeat Patres progignere, generat tamen per lavacrum regenerationis filios Eccleſiæ. Quomodo enim poſſet Patres progignere poteſtate carens manuum impoſitionis?*

III. Quanto vero ætatis poſſumus Apoſtolicæ, atque adeo ab ipſis Apoſtolis conſecratos Epiſcopos proferre? Jacobum Jeroſolymis Domini fratrem, quique huic ſucceſſit Simeonem; itemque Marcum Alexandriæ, & qui ei ſucceſſit Anianum; Evodium Antiochiæ, & hoc defuncto Ignatium, Smirnæ pariter Polycarpum Joannis Apoſtoli diſcipulum.

Digitized by Google

Tres præterea ab Apoſtolo Paulo conſecratos Epiſcopos, Timotheum Epheſi, Titum Cretæ, Epaphroditum Philippenſium.

IV. De Epiſcopatu Jacobi Apoſtoli fratris Domini cognomento Juſti refert Hegeſippus apud Hieronymum, de ſcriptorib. Eccleſ. cap. 4. *Hegeſippus vicinus Apoſtolicorum temporum in quinto Commentariorum libro de Jacobo narrans, ait, ſuſcepit Eccleſiam Jeroſolymæ frater Domini cognomento Juſtus*. Clemens Alexandrinus lib 6. hypotypoſeon, & ex eo Euſebius lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 1. eumdem aſſerunt a Petro, & Joanne, & Jacobo majore Jeroſolymorum conſtitutum Epiſcopum. His adde ſi lubet Anacletum Pontificem Apoſtolis ſupparem, relatum in decreto, can. ult. diſt. 66., & Clementem Papam Petri diſcipulum lib. 8. Conſtitut. Apoſt. cap. 35. referentem, quod Jacobus tam a Chriſto primum, quam ab Apoſtolis creatus eſt Jeroſolymitanæ Eccleſiæ Antiſtes. Quibus accedunt conformia poſteriorum teſtimonia Euſebii, & Hieronymi in Chronico, Epiphanii hæreſi 29. num. 3. & hær. 78. num. 13. & 14. Cyrilli Hieroſolymitani catech. 4. & 14. Chryſoſtomi ſerm. 38. in 1. Corint. & ſermon. 3. in Acta.

V. De Epiſcopatu Marci Evangeliſtæ fidem faciunt Euſebius lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 24. Hieronymus in Catalog. ſcript. Eccl. cap. 18. dicens Alexandrinam Eccleſiam fuiſſe a Marco Evangeliſta fundatam, eique ſucceſſiſſe Anianum octavo Neronis anno. Idemque epiſt. 126. Epiphanius quoque hæreſi 51. Marcum aſſerit fuiſſe a Petro miſſum in Ægyptum, poſtquam Evangelium conſcripſerat. Euſebius ſimiliter, & Hieronymus teſtificantur Petro in Antiochenam ſedem ſucceſſiſſe Evodium, & deinde Ignatium, Timotheum ab Apoſtolo Paulo conſtitutum Epheſinæ Præſulem Eccleſiæ, idem Apoſtolus ſcribit 2. Timoth. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt, per impoſitionem manuum mearum*. Deque ejuſdem ſupra Sacerdotes judiciaria poteſtate, 1. Tim. 5. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*. Titium ſimiliter Paulus perhibet a ſe conſecratum Cretenſium Præſulem; Tit. 1. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi*. Epaphroditum denique fuiſſe ad Epiſcopalem Philippenſium Eccleſiæ ſedem promotum, idem docet Apoſtolus Philipp. 2. quo loco eumdem vocat Philippenſium Apoſtolum.

VI. Irenæus lib. cap. 3. perhibet Apoſtolos in ſingulis Eccleſiis a ſe fundatis conſtituiſſe qui eas regerent Epiſcopos. Additque Romanam Eccleſiam inſtitutionis ſuæ a Petro, qui primus ejus fuit Epiſcopus, habuiſſe primordia, ejuſdemque ſucceſſorum Pontificum ſeriem texit ad ſuam uſque ætatem. Ipſum deinde Polycarpum commemorat ab Apoſtolis præfectum Smyrnæ Antiſtitem, ac Hierarcham, *quem nos* (inquit) *vidimus in priori noſtra ætate*. Idemque alios exprimit Epiſcopos, quorum ſucceſſorum ſeriem extare affirmat in propriarum Eccleſiarum Archiviis; Eidem patrocinatur cauſæ Tertullianus, qui ſecundo exeunte tertioque ineunte ſæculo ſcribebat, hoc argumento, hiſque verbis, quoſcumque hæreticos fortiter expugnans, tractatu de præſcript. cap. 32. *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint, habuerit auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum ab Joanne collocatum refert, ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. Proinde utique, & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcoporum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici*. Hactenus Tertullianus.

VII. Ut vero cunctos obices, & remoras amoveamus, ultro annuimus, ſimplices quandoque ac ſecundi ordinis Sacerdotes Epiſcoporum nomine in ſacris Scripturis deſignari, quæ meta denominatio eſt, rei ipſius diſcrimen minime tollens. Eædem namque voces, & nomina nunc ampliorem, nunc ſtrictiorem ſignificationem ſortiuntur; & peſſime argumentaretur, quiſquis, ex eo quod paſſim apud ſanctos Patres Cyprianum, Hieronymum, Auguſtinum, Paulinum, alioſque, vocentur quilibet nomine Papæ, vellet concludere, habere ſingulos æqualem

lem cum ſupremo Pontifice gradum, paremque in univerſa Eccleſia poteſtatem. Indifferenrem illam Epiſcopi, & Sacerdotis denominationem obſervant. Hieronymus, Chryſoſtomus, Theodoritus, freti tum verbis iſtis Apoſtoli ad Philippenſes, *Omnibus ſanctis qui ſunt Philippis cum Epiſcopis, & Diaconibus*. Nulla ibi Presbyterorum mentio, quia ſub Epiſcoporum nomine comprehenduntur: alioqui enim eſſe in una urbe plures Epiſcopi non poſſunt, ſumendo id nomen in ſtricta magiſque propria notione, quæ ad ſolos coarctatur Pontifices: His accedunt verba quoque Pauli Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Quo loco Apoſtolus Presbyteros Epheſinæ Eccleſiæ hortatur, quos Miletum acciverat; cum tamen ex ſacris Eccleſiæ inſtitutionibus non poſſit, niſi unus Epiſcopus uni Eccleſiæ præfici. Tertius locus eſt in cap. 11. epiſtolæ ad Titium, cui maxime innititur Hieronymus, in ejus loci commentario: *Hujus rei gratia, reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas; & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi, ſi quis ſine crimine eſt &c.* Cujus moniti hanc rationem ſubjungit, *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut diſpenſatorem Dei*. Apoſtolus igitur ſingulis Presbyteris, quod Titus ordinaverat, nomen quoque tribuit Epiſcopi.

VIII. Enim vero prorſus eſt improbabilis opinio Theodoriti comment. ad 1. Tim. cap. 3. Eos nimirum qui ſunt ſuperioris ordinis Sacerdotes, & nunc vocari ſolent Epiſcopi, fuiſſe olim nominatos Apoſtolos. At vero poſterioris ordinis Sacerdotes communi appellatione Epiſcoporum fuiſſe deſignatos. Eſto vocaverit ſemel Paulus Epaphroditum Apoſtolum, Philipp. 7. At pluries etiam nunc contingit præfectos, ſuique officii admodum ſtudioſos Clericos, cujuſcumque Ordinis, quorum opera plures ad morum ſanctitatem, aut ad fidei profeſſionem, ex depravata vita, vel ex infidelitate, aut hæreſi converſi fuerint, Apoſtolos audire, ac denominari. Sic Sanctus Dominicus apud Volcas, & Tectoſages, S. Vincentius Ferrerius, S. Antonius Ulyſſiponenſis, apud Japones S. Franciſcus Xaverius, qui nunquam fuere Epiſcopi, denominati ſunt Apoſtoli. At vero illi, qui cum Epiſcopali dignitate fulgerent, dicti quoque fuere Apoſtoli, illam nuncupationem honorificam ſunt conſequuti, non propter characterem ſacri Ordinis, ſed ſolum propter converſas a ſe nationes: ſic enim Sancti Epiſcopi Remigius Francorum, & Leander Viſigothorum, Bonifacius Germanorum Apoſtoli audiunt, ob populos, quos evangelizando in ovilia Chriſti traduxerunt. Eoque ſenſu Epaphroditum nuncupat Paulus Apoſtolum, qui Apoſtolicis laboribus, & ſacro zelo quo ardebat in excolendis ſibi commiſſis populis.

IX. Hieronymus tamen haud leve hac in re negotium faceſſit, tum in epiſtola ad Evagrium 85. tum in commentariis epiſtolæ ad Titum cap. 1. adeo ut Michael Medina ipſum in invidiam traxerit dogmatis Æriani; ſed perperam, nec citra temeritatem. In primis Sanctus Doctor contendit nomen *Epiſcopi* fuiſſe ab ipſis Apoſtolis attributum quibuslibet Eccleſiæ Presbyteris; quod nos ultro concedimus. Additque in illa ad Evagrium epiſtola: *Quod autem unus electus eſt, qui cæteris præponeretur, ut ſchiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet*. Atque hoc idem ſic repetit ſcribens in epiſtolam ad Titum: *Poſtea vero cum in partes, & contraria ſtudia diviſus eſſet populus, ut dicerent quemadmodum Corinthii, Ego ſum Pauli, ego vero Apollo, ego autem Cephæ, ut demum plantaria iſta diſſenſionum divellerentur, ad unum ſingulari Epiſcopi nuncupatione omnium ſollicitudinem eſſe delatam*. Et ſubinde, *Sicut ego Presbyteri ex Eccleſiæ conſuetudine ſciunt ſe ei, qui ſibi præpoſitus fuerit eſſe ſubjectos, ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere, imitatores Moyſis, qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum judicaret*. Idemque præfata ad Evagrium epiſtola, *quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?*

X. Agnoſcens ergo Hieronymus Epiſcopos inferioribus Presbyteris præcellere ordinandi poteſtate, qua iſti omnino carent; idemque pares Moyſi faciens Epi-

Epiſcopos, & æquiparans Presbyteros ſeptuaginta illis judicibus, quos Moyſes in ſui conſortium, & ſolatium aſſumpſerat, ſatis indicat ſe non exiguum poteſtatis, & dignitatis diſcrimen agnoſcere inter Epiſcopum, & Presbyterum: dum vero contendit idem in Eccleſiæ exordiis, pares cum Epiſcopo fuiſſe Presbyteros, id multiplices eoſque veros ſenſus involvit. In primis pares erant nuncupatione, ſecundum quam nunc diſpares exiſtunt. Secundo pares in regimine, quamvis origo, & fons regiminis in ſolo eſſet Epiſcopo. Ea quippe moderatio primo, vereque aureo ſæculo in Epiſcopis erat, ut in commune bonum omnia cum Sacerdotum cœtu gererent, neque his inconſultis Præſules quidquam aggrederentur. Quæ Diſciplina licet in multis exoleverit, multa ſuperſunt tamen, in quibus neceſſe habent Epiſcopi conſilium Capituli adhibere. Præclareque decernit Alexander Papa III. de his quæ fiunt a Prælat. ſine conſenſ. capit. c. novit. *Novit tuæ diſcretionis prudentia qualiter tu, & fratres tui unum corpus ſitis, ita, quod tu caput, illi membra eſſe probantur. Unde non decet, te omiſſis membris, in Eccleſiæ tuæ negotiis aliorum conſiliis niti cum id non ſit dubium, & honeſtati tuæ, & ſanctorum Patrum inſtitutionibus contraire.*

XI. Æquiparari nonnihil poteſt priſtinum illud ab Hieronymo commemoratum regimen Eccleſiarum cum illo Prætorum Athenienſium, quos vocabant, Collegio. Poſtquam enim, mortuo ultimo illorum Rege Codro, Reſpublica Athenienſium in Democratiam vertit, ab electorum a ſe Prætorum Senatu ſemper fuit adminiſtrata. Iſti quidem ſinguli Archontes vocabantur, ſingulis etiam incumbebat Reipublicæ ſollicitudo: Sed tamen horum unus ſimiliter Archon dignitate reliquis præeminebat, ſolus collegas convocabat, convocatis præſidebat, ejuſque ſolius nomine anni, & faſti ſignabantur. Sufficit vero ad eluendam labem, quam auſus eſt Medina Hieronymo, ipſique Epiphanio inſpergere, quod uterque in ſolo Epiſcopo agnovit Ordinationis poteſtatem, quæ tamen non unica eſt prærogativa: veteres quippe canones, quos ambo Patres optime norant, alia Epiſcopis privilegia tribuunt, a nobis paulo ante recenſita, ad quæ Sacerdotibus inferioribus aſpirare ac præſumere non licebat. Ipſeque Epiphanius Aerium inter hæreticos accenſet hoc nomine, quia temerario auſu Presbyteros Epiſcopis æquiparabat.

XII. Egregium circa Epiſcopalem ordinandi poteſtatem aliis Sacerdotibus incommunicabilem proferre lubet exemplum ex hiſtoria Eccleſiaſtica, & veteris Concilii Ortodoxi teſtimonio. Athanaſius in ſuo Apologetico refert ſe Arianorum accuſatione reum peractum eo nomine, quod Iſchyram Presbyterum ſacris ad Altare myſteriis operantem Macarius ab ipſo mandatus Athanaſio male multaſſet, atque myſticum calicem, (quo utebatur Iſchyras) confregiſſet. Tum Synodus Alexandrina, ad quam Epiſcopi Ægypti, Lybiæ, Thebaidis, & Pentapolis convenere, poſt diſcuſſam accuſationis hujus cauſam, ſcripſit Synodicam ad Julium Romæ Pontificem, cæteroſque omnes orbis Chriſtiani Antiſtites, quam integram ſuo inſeruit Apologetico idem Athanaſius: ea vero teſtificatur neque ibi Iſchyram rem ſacram feciſſe, neque myſticum calicem habuiſſe, ac ne Presbyterum quidem fuiſſe, ſed tantum laicum; quippe qui a Collutho manuum ſuſceperat impoſitionem, qui non Epiſcopus, ſed tantum Presbyter erat.

XIII. Ut vero ad Hieronymum regrediar, ejus ſententia de differentia inter Epiſcopum, & Presbyteros introducta, non a Domino, ſed ab Eccleſia, elucidatur per veterem atque indiſcriminatam Epiſcopi, & Presbyteri nuncupationem: Scripturis etiam ſacris, quas paulo ante produximus, ab Hieronymo comprobata, & quam poſtmodum Eccleſia diſcriminavit, ad ſolos Eccleſiæ Præſules, & Hierarchas hanc reſtringens denominationem. Neque ſolum clareſcit per commune Presbyterorum conſilium, quorum operam, & miniſterium in conſortium laboris, & ſollicitudinis aſſumere ſacri ſolebant Pontifices. Sed tertio quoque aſtruitur, & elucidatur inde, quia Apoſtolorum ætate erant Epiſcopales, ſeu Cathedrales Eccleſiæ; earum quippe maxima pars a Sacerdotibus minoribus regebatur nullo præſente Pontifice, quemadmodum fieri cernimus in Parochialibus Eccleſiis. Etenim in Actis Apoſtolorum legimus, ipſam Samariam in-

Digitized by Google

inclytam civitatem, Jeroſolymitanæ æmulam, & in ipſo Judeæ confinio ſitam, non habuiſſe peculiarem ullum Epiſcopum; cum neceſſe fuerit ad eam mitti Petrum, & Joannem Apoſtolos, ut ibi munus obirent Epiſcopale impoſitionis manuum ad Sacramentum Confirmationis.

XIV. Præeminentiam denique Epiſcoporum in omnem Clerum, & populum, & obtemperandi neceſſitatem, ac officium, quo illis Presbyteri obſtricti ſunt, inſigniter commendat inſignis Apoſtolum diſcipulus; & tertius a Petro in Antiochena Eccleſia Epiſcopus Ignatius Martyr ſanctiſſimus, ad Philadelphenſes ſcribens. Stet demum fidei fundamentum inconcuſſum, jam inde ab Apoſtolis, ipſoque Chriſto ſtabilitum, & noviſſimo generali Concilio Tridentino adverſum nuperas hæteſes aſſertum, ſeſſ. 32. can. 6. *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat Epiſcopis Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.* Deinde can. 7. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, anathema ſit.*

P. JOANNIS CABASSUTII

ORATORII DOMINI JESU

Quiſnam fuerit priſcorum Epiſcoporum Senatus ac Presbyterium.

DISSERTATIO XXXII.

I. PRioribus Eccleſiæ ſæculis viguit Sacerdotum ac Diaconorum, quibus tam Cathedralis Eccleſiæ nobiliora miniſteria & officia, tum inferiorum parochiarum cura & Sacramentorum adminiſtratio incumbebat, collegium; quod quoties convocabatur, ſolebat presbyterii nomine deſignari. Hujus meminit Paulus dicens 1. Timoth. 4. *Cum impoſitione manum presbyterii*, & Act. Apoſt. qui Antiochenæ Eccleſiæ miniſtrabant, & Spiritu Sancto commonente, manus Paulo, & Barnabæ impoſuerunt, & ad prædicandum gentibus miſerunt. Hi componebant Eccleſiæ Antiochenæ presbyterium: Quemadmodum etiam Jeroſolymytanæ Seniores illi, qui una cum Apoſtolis decretum ſuum de immunitate a legalibus obſervationibus ad Eccleſias Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ tranſmiſerunt per communes ac Synodicas literas. Tertullianus Apologet. cap. 39. de conventibus Chriſtianorum ſic loquitur: *Præſident probati quique ſeniores*. A ſenioribus enim, qui Græce πρεσβύτεροι dicuntur, denominatur *Presbyterium*.

II. Inſuper apud Cyprianum extat epiſtola 3. Cleri Romani ad Clerum Carthaginenſem, quo tempore per Fabiani Romani Pontificis recens Martyrium ſuprema ſedes vacabat: Cyprianus vero perfugam, eadem ſæviente perſecutione, latebat: unde colligitur, Presbyterium non modo a Conciliis præſente Epiſcopo fuiſſe, ſed ad ipſum quoque, vacua Epiſcopali ſede, præfecturam & ſollicitudinem Eccleſiarum pertinuiſſe: quemadmodum Capitulum viduatæ Cathedralis Eccleſiæ nunc quoque curam gerit, idque his verbis ibidem ſatis exprimit Romanus Clerus: *Et cum incumbat nobis qui videmur præpoſiti eſſe vice Paſtoris, & cuſtodire gregem*. Iidemque alias ad Cyprianum Romana ex urbe literas miſerunt, quibus iſte reſcribit epiſtolam ſuam quartam. Cumque diuturnior eſſet Romanæ ſedis vacatio, Cyprianus iterum Romanum Presbyterium interpellat epiſt. 23. & 29. cui a Romano Clero reſpondetur epiſt. 30. & 31. Presbyterii pariter idem meminit Cyprianus epiſt. 35. 46. & 49. Qui Fabianum martyrem exceperat Cornelius Papa, in eadem epiſt. 46. ad Cyprianum de Clero Romano in Concilium a ſe convocato, ſic ait: *Omni igitur actu ad me perlato, placuit*

cuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Epiſcopi quinque, qui & hodie præſentes fuerunt, ut firmato concilio, quid circa perſonam eorum obſervari deberet, conſenſu omnium ſtatueretur. Siricius item Papa, epiſt. 2. *Facto igitur* (ait) *Presbyterio, conſtitit doctrinæ noſtræ, id eſt legi Chriſtianæ, eſſe contraria. Unde omnium noſtrum tam Presbyterorum & Diaconorum, quam totius etiam Cleri una lata fuit ſententia.*

III. Quod hic dicitur Presbyterium, Hieronymus ad Ruſticum, Cleri Romani *Senatum* vocat, quia ſine hujuſmodi Concilio Romanus Epiſcopus nihil arduum aggredi ſolet. Senatus iſte componitur etiam nunc ex Epiſcopis Romanæ provinciæ ſuffraganeis, & Presbyteris atque Diaconis titulorum ſeu Baſilicarum Romanæ civitatis, qui jam vocantur Cardinales, quos etiam purpureo amictu decoravit Innocentius quartus in Concilio Lugdunenſi generali anno 1250. Similiter Presbyteria ſeu Senatus cæterorum paſſim Epiſcoporum non fuerant a primævo canonici choro addicti, qui olim Cantorum nomine cenſebantur, ut neque nunc Romæ Canonici præcipuarum Baſilicarum Lateranæ, aut Vaticanæ; ſed honoratiores Eccleſiæ Cathedralis officiales Presbyteri, cum Parochis urbis. De hujuſmodi Presbyteris ſic decernit Gregorius Magnus lib. 11. epiſt. 49. ad Joannem Epiſcopum Panormitanum: *Tabellarium una cum conſenſu Seniorum, & Cleri memineris ordinandum, qui annis ſingulis, ad amputandam fraudis ſuſpicionem, ſolemniter debeat rationes ſuas exponere.* Et ſubinde: *Siquid* de quocumque clerico ad aures tuas pervenit quod te juſte poſſit offendere, facile non credas, nec te ad vindictam res accendat incognita: ſed præſentibus ſenioribus Eccleſiæ tuæ diligenter eſt veritas perſcrutanda; & tunc, ſi qualitas rei popoſcerit, canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis.

IV. Seniores illi conferri poſſunt ad Epiſcopum, quemadmodum olim, teſte Hieronymo, judices illi ſeptuaginta ad Moyſem. Ait enim in comment. ad epiſt. ad Titum: *Epiſcopi meminerint in commune cum Presbyteris Eccleſiam regere, imitantes Moyſem, qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit cum quibus populum judicaret.* Alexander Papa III. in c. novit, de his quæ fiunt a prælat. ſine conſ. Capit. hoc ſtatuit: Novit tuæ diſcretionis prudentia, qualiter tu, & fratres tui unum corpus ſitis, ita quod tu caput & illi eſſe membra probantur. Unde non decet te, omiſſis membris, aliorum conſilio in Eccleſiæ tuæ negotiis uti, cum id non ſit dubium & honeſtati tuæ, & Sanctorum Patrum inſtitutionibus contraire.

V. Temporum tamen ſucceſſu Senatus Epiſcopalis jam non Parochis, & Eccleſiarum Auctoribus conſtat, ſed Canonicorum cœtu, qui ſibi ex omnibus Eccleſiæ, functionibus, non Sacrificia, non Sacramentorum, non Doctrinæ, non Catecheſeon, non verbi Dei miniſterium; ſed munus ſanctum quidem, his tamen longe inferius, Eccleſiaſticum cantum aſciverunt, qui cantus ſolis olim infimis Clericis reſervabatur, adeo ut cantores a ſolo Presbytero, nullo Epiſcopi interventu, conſtituerentur: cum tamen Ordines etiam minores nemo conferre poſſit præter Epiſcopum, ut liquet ex Concilii quarti Carthaginenſis can. 10. Concilium etiam Romanum præſidente Magno Gregorio Papa, cujus ipſe meminit lib. 4. epiſt. 44. & refertur diſt. 92. cap. in ſancta Romana: vetat Presbyteris, & Diaconis in Eccleſia cantare, eo quod eſſent ſanctioribus, & ſublimioribus Officiis addicti. Huc etiam ſpectat inferius videndus Laodicenæ Synodi canon. 15.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

ET 14

005265044